XENOPHONTIS, PHILOSOPHI ET IMPERATORIS CLARISSIMI, QVAE EXTANT OPERA,

in duos tomos diuisa:

A IOANNE LEVNCLAVIO tertia cura in Latinum sermonem conuersa, nouaq; Adpendice recens aucta:

Nunc ab ÆMILIO PORTO FR. F. recognita, breuibusq; singulorum librorum argumentis & notatiunculis illustrata. Cuius ad Græcum contextum Notæ perpetuæ, cum Indice Græcolatino, seorsum ad Græcolatinam editionem adiunctæ.

Additus in calce Index Rerum & Verborum memorabilium; a fronte, Tomi vtriusq; & nouæ Adpendicis Leunclauianæ Catalogus.



FRANCOFVRTI

Apud Andreæ Wecheli hæredes, Claudium Marnium & Ioann. Aubrium,

A. CHR. MD XCV.

Cum S. Cæs. Maiest. priuilegio ad sexennium.

Rtarum Camaldulens S. P. Romualdi Ex legato M. D. Feliciani Wysouicz Capnei Hareuens

OPERVM XENOPHONTIS ATHENIENSIS VIRI MAXIMI,

Tomus secundus,

Quo continentur politici, atque alij libri xv, quorum indicem versa pagina exhibet, cum epistolarum fragmentis, & adpendice noua,

IO. LEVNCLAVII AMELBVRNI lucubratio tertia.



FRANCOFVRTI
Apud heredes Andreæ Wecheli, Claud. Marnium & Ioann. Aubrium.
M. D. XCV.

LIBRI XENOPHONTIS, QVOS ALTERO TOMO complexi ſumus:

ADPENDIX NOVA, QVA CONTINENTVR.



XEN. DE AGESILAO REGE ORATIONIS

ARGVMENTVM.

1. Agesilai genus, & nobilitas. 2. Agesilaus Leotychidæ de regno contendenti cur a ciuitate prælatus fuerit. 3. Qua ætate regnum sit adeptus. 4. Quomodo in eo se gerere cœperit. 5. Primum Agesilai facinus in Asia contra barbaros quale fuerit. 6. Dolus honestus, quo Tissaphernem Agesilaus fefellit, vt eius perfidiam vlcisceretur. 7. Agesilai erga omnes insignis humanitas, quæ beneuolentiam omnium ei conciliauit. 8 Equitatum cur, & quomodo primum instituerit, ac ad res bellicas exercuerit. 9. Barbaros captos cur nudos vẽdi iuberet. 10. Prælij cum barbaris commissi descriptio. 11. Græci victores ipsis hostium castris potiuntur. 12. Tissaphernes a Persarum Rege cur capitali supplicio fuerit affectus. 13. Agesilaus vt patriæ periclitanti ferret opem, interrupto felici rerum cursu, morem Magistratui gerit. 14. Quomodo in Asia se gesserit. 15. Quantum dolorem omnes Asiaticæ ciuitates ex Agesilai discessu ceperint. 16. Quid molestiarũ in suo reditu Agesilaus habuerit. 17. Equestre prælium inter Agesilai, Thessalorumque copias commissum, vnde præclaram victoriam Agesilaus reportat, ac tropæum statuit. 18. Prælij ad Coroneam commissi descriptio cum quantitate, & qualitate copiarum, quas Agesilaus, ac ipsius hostes habebant. 19. Agesilaus victoriam obtinet: sed ipse vulneratur. 20. Agesilai pietas, ac religio. 21. Agesilaus in Græciam reuersus, Argiuis bellum infert. 22. Piræum Corinthiorũ portum quomodo ceperit. 23. Achæos in societatem recipit. 24. Cum Acarnanibus confligit & Acarnanes, Æotolos, ac Argiuos Achæis amicos, sibi fœderatos facit. 25. Corinthios, Thebanos, Phliasiosque cogit suos exules in patriam reducere, vnde propter Laconismum exulabant. 26. Thebanis bellum infert. 27. Quomodo patriam

à grauissimo excidij periculo præter omniũ expectationem liberarit. 28. Pecuniam patriæ quibus rationibus pararit. 29. In legationibus pro Repub. obeundis qualem se præstiterit. 30. Annos octoginta natus in Ægyptum cur profectus, & res illic ab eo gestæ. 31. Agesilai virtutes recensentur, ac ordine singularũ exempla proponuntur. 32. Agesilai pietas, iustitia, temperantia, tolerantia, continentia, fortitudo, sapientia, amor erga patriam, & vniuersam Græciam, comitas, ac morum incredibilis suauitas, magnanimitas, frugalitas. 33. Agesilai, Regisque Persici collatio.

** Alterum huius orationis argumentum vide apud Xenophontem pag. 672.673.674. * Tertium eiusdem orationis argumentum in pauca perbelle contrahi potest, vt dicamus totam hanc orationem esse pulcherrimum Agesilai encomium, quod eius genus, nobilitatem, virtutes, dicta factaque præclara fuse declarat.*

XENOPHONTIS DE AGESILAO REGE ORATIO.

651 
LICET equidem sciam, nõ esse facile, laudationẽ Agesilai virtute ac gloria dignã scribere: nihilo tamẽ minus erit mihi hoc conandum. Nõ enim æquum videri possit, eum propterea, quod perfecta virtute bonitateq; præditus fuerit, nec minores meritis laudes cõsequi. De generis quidem eius nobilitate quid vel maius, vel honestius dici possit, quam quod hac etiam tempestate commemoratur, quotus inter eos, qui maiores ipsius nominantur, fuerit: non illos certe priuatos homines, sed reges, ortos ex regibus? Itidem ne hac quidem in parte reprehendi possunt, quod reges sane fuerint, at vrbis obscuræ ac vilis: sed quemadmodum eorum familia inter alias patriæ ornatissima est, sic & vrbs ipsa in Gręcia per est illustris. Quo fit, vt inter secundos non primas obtineant; sed inter principes, principe loco sint. Hanc etiã ob caussam operæ pretium est patriam pariter, ac familiam ipsius laudare. Quippe numquam vrbs inuidia mota, quod eximiis honoribus ante alios fruerentur, abrogare imperium familiæ voluit: & reges numquam maiora concupiuere, quam

Agesilai familia.

quam leges ferrent, quibus initio regnum acceperant: Itaque nullum aliud imperium, non popularem ciuitatis statum, non dominationem paucorum, non tyrannidem, non regnum inconuulsum permansisse constat: quum solum hoc regnum perpetuum sit. Iam prius etiã, quam imperio potitus esset, dignum regno Agesilaum fuisse habitum: eius vero rei hæc sunt indicia. Nam quum rex Agis viuendi finem fecisset, contendentibus de regno Leotychida, vt Agidis, & Agesilao, vt Archidami filio: vrbs ipsa, quæ magis Agesilai genus ac virtutem probaret, eum regem constituit. At vero quũ in vrbe præstantissima dignus munere pulcherrimo iudicatus fuerit, & quidem a viris optimis: cuiusmodi amplius opus est argumentis ad indicandam virtutem, quæ in eo fuerit ante, quam imperaret? Quas autem res in imperio suo gesserit, iam commemorabo. Nam de rebus gestis etiam mores ipsius, mea quidem sententia, rectissime existimari poterunt. Igitur Agesilaus regnum iuuenis adhuc consequutus est. Quumque recens imperio potitus esset, nũtiatum fuit, Persarum regem magnas tum nauales, tũ terrestres copias aduersus Græcos cogere. Qua de re quum Lacedæmonij ac socij deliberarent, policitus est Agesilaus se, * si quinquaginta Spartanos sibi concederent, cum ter mille tironibus, & sex millium agmine de sociis coacto; traiecturum in Asiam, operamque daturum, vt vel pacem faceret, vel si quidem gerere bellum barbarus mallet, ei tantum exhiberet negotij, ne aduersus Græcos arma sumere posset. Confestim hoc eius desiderium vehementer nonnulli suspiciebant, quod quum rex Persicus ante id temporis in Græciam traiecisset, ipse aduersus illum vice versa traiicere vellet; potiusque putaret in eum pergendum, quam illius adgredientis impetum sustinendum; ac regis facultates potius, quam Græcorum, hoc bello absumendas. Longe autem pulcherrimum esse iudicabatur, quod non de Græcia, sed Asia certamen institueret. Posteaquam copiis acceptis cũ classe domo profectus est, quinam clarius demonstrari possit, quo pacto se in imperatorio munere gesserit, quam si ea commemorentur, quæ sunt ab eo gesta? Primum igitur in Asia facinus eius hoc fuit. Præstiterat Agesilao sacramentum Tissaphernes, si secum inducias pangeret, donec nuntij, quos ad regem mit-

Agesilaus Leotychidæ præfertur.

652

** triginta, sic rectius.*

Primum in Asia facinus Agesilai.

teret, reuersi essent: impetraturum se ipsi, vt oppida Græci nominis in Asia sui iuris & libera esse permitterentur. Agesilaus ab altera parte iurauerat, seruaturum se inducias sine fraude; tribus mensibus ad eam rem conficiundam definitis. Verum Tissaphernes iusiurandum præstitum mox violauit. Nam pro eo, quod pacem se confecturum policitus erat, ingentes copias arcessebat a rege, quas cum iis coniungeret, quibus iam ante vte-
653 batur. Hæc tametsi animaduerteret Agesilaus, nihilominus in seruandis induciis perstitit. Quamobrem mihi primum hoc fecisse præclare videtur, quod dum Tissaphernem periurum esse declararet, suspectam eius apud omnes fidem reddiderit. Contra, dum se constanter & sacramento confirmata seruare demonstraret, & fœdera minime violare: perfecit, vt omnes tam Græci, quam barbari, fidentibus animis cum eo fœdus inirent, si quod ei visum esset inire. Vbi vero Tissaphernes elatus ob eas copias, quæ a rege descenderant, bellum Agesilao denuntiasset, ni Asia excessisset: ceteri quidem socij, cum Lacedæmoniis, qui aderant, omnino se angi declarabant; quod Agesilaum minores in præsentia copias habere putarent, quam quæ adparatui regio responderent. Agesilaus autem hilari admodum vultu renuntiare legatos Tissapherni iussit, habere se magnam ipsi gratiam, quod periurio Deos sibi quidem infestos reddidisset, Græcis vero belli socios. Deinde militibus mox imperat, ad expeditionem vti se accingerent: oppidis autem, ad quæ ipsum in Cariam ducturum accedere necesse erat, vt forum rerum venalium sibi pararent, denuntiat. Etiam Ionibus, Æolensibus, Hellespontiis mandat; vt Ephesum ad se mitterent eos, qui secum essent militaturi. Tissaphernes partim, quod ab equitatu Agesilaus non esset instructus, & Cariam equitatui sciret esse incommodam, partim quod eum succensere sibi putaret ob fraudem, qua fuisset vsus: reipsa statuens eum in Cariam, quæ ipsius esset sedes, irrupturum, vniuersum peditatum eo transportat, equitatum vero in Mæandri planiciem circumducit; quod existimaret sibi satis esse virium ad proculcandos equitatus opera Græcos prius, quam ad loca equitibus non idonea peruenissent. Age-

silaus

silaus autem, omissa in Cariam profectione, statimque diuersam in partem se flectens, Phrygiam petebat: & occurrentes in itinere copias secum sumens vna ducebat, & occupabat oppida, quodque præter exspectationem irruisset, magnam opum vim capiebat. Atque hoc ipsius facinus dignum imperatore iudicabatur, quod quum bellum esset denuntiatum, atque ex eo fraude vti fas & ius esset; non solum Tissaphernem puerum esse declararit hoc dolo, sed etiam visus sit amicos singulari prudentia collocupletare. Nam quia propterea, quod magnæ opes captæ fuerant, vili omnia pretio vendebantur: præmonebat amicos, vt emerent. se enim celeriter exercitum ad mare deducturum. Manubiarum vero venditoribus imperabat, vt quanti quid amici sui emerent, consignarent: simulq; res captas ipsis traderent. Quo factum est, vt eius amici nullo prius numerato pretio, & absque detrimento publicæ rei, facultates ingentes vniuersi consequerentur. Præterea quoties transfugæ, ita vt fit ad regem transeuntes, viam ad opes interuertendas commonstrare volebant: operam dabat, vt opes eæ per amicos caperentur, quo illi simul & ditarentur, & maiore in hominum essent opinione. Has ob caussas statim perficiebat, vt amicitiam ipsius multi expeterent. Quum autem intelligeret, regionem vastatam & ad solitudinem redactam, nō posse diu militum copias sustinere, quum cultus ager, & qui seritur, victum perennem suppeditet: curam adhibebat, vt non vi tantum aduersaries subigeret, sed etiam lenitate suas ad partes traduceret. Militibus quoque sæpenumero denuntiabat, vt captiuos non tamquam reos iniuriarum plecterent; sed velut homines, seruarent. Sæpe, quoties mutabat castra, si animaduerteret paruos a mercatoribus relictos esse pueros, quos sane multi vendebant, quod existimarent eos se vehere ac nutrire non posse; curabat, vt hi quoque simul aliquo deportarentur. Si qui captiui ob senectutem relinquerentur, imperabat, vt horum etiam haberetur cura, ne vel a canibus, vel lupis discerperentur. Quo fiebat, vt non tantum illi, qui hæc audiebant, sed etiam ipsi captiui, beneuolo essent in eum animo. Quascumque vero ciuitates suas ad partes traduceret, eis adimebat ea ministeria, quæ serui dominis suis præstant; & illorum loco imperabat,

Honestus Agesilai dolus.

654

vt in illis dicto audientes essent, in quibus homines liberi magistratibus parent. Etiam oppida quædam nulla vi expugnabilia, suam in potestatem clementia redigebat. Ceterum quod in locis campestribus nec in Phrygia cum exercitu, propter equitatum Pharnabazi, subsistere posset: visum est ei, copias quasdam equestres instruẽdas esse, ne inter fugiendum dimicare cogeretur. Itaque ditissimos quosque iis in vrbibus delegit, qui equos alerent. Prędixit etiam futurum, vt quicumque suppeditaret equum, arma, & spectata virtute virum, immunis esset a militia. Qua re fecit, vt
655 hæc quisque lubenter sibi conquireret. Constituit item, quibus ex vrbibus equites parandi essent; quod existimaret ex illis vrbibus, quæ equos essent alturæ, mox etiam prodituros quosdam in equestri re maxime animosos. Quin & illud admiratione dignum fecisse videtur, quod equitatum instituerit, qui & robore statim, & rebus gerendis præstabat. Ineũte vere, copias vniuersas Ephesum cogebat, vt eas exerceret. Proponebat autem turmis equestribus præmia, quæcumq; ex iis equitandi artem optime teneret: itidemq; pedestribus, quæcumque corporibus esset egregie exercitis. Sic & cetratis, & sagittariis præmia proponebat, quicũque præclare suis functi muneribus essent. Secundum hæc videre erat gymnasia plena viris sese exercentibus, hippodromum equitibus equos agentibus, iaculatores ac sagittarios per series incedentes. Adeoque totam Ephesum, vbi tũ degebat, spectatu digna vt esset, Agesilaus effecit. Nã forũ omnis generis armis & equis venalib. plenũ erat, & fabri ærarij, lignarij, ferrarij, sutores, pictores, omnes adeo bellica parabant arma: vt reuera putasses, vrbem belli officinam esse. Confirmabat hoc quoque animum alicuius, quod primum ipsum Agesilaum, deinde milites ceteros sertis redimitos e gymnasiis discedere videret, ipsasque corollas Dianæ suspendere: Nam vbi homines religiose Deos venerantur, & bellicis in rebus exercentur, & se ad parendũ consuefaciunt; qui non istic consentaneum sit, optima spe cuncta plena esse? Quum item existimaret, cõtemtum hostium robur quoddam in animis ad pugnandum excitare: præconibus edixit, vt capti a prædonibus barbari nudi venderentur. Itaque milites, qui albos quidem eos esse cernerent, quod se numquam exuere solerent: sed pingues, nullisque

Agesilaus Persas nudos vendi iubet.

lisque laboribus exercitos, quod vehiculis semper vterentur: bellum hoc non aliud fore putabant, atq; si prœlio cum
fœminis decernendum esset. Prędixit etiam militibus, mox
se ducturum ad opulentissimam regionis partem, via maxime compendiaria: vt sic hoc ipso tum corpora, tum animi ad pugnam præpararentur. Enimuero Tissaphernes
hæc Agesilaum dicere putabat, qui rursum dolo se circumuenire vellet: quum tamen reabse iam impetum in Cariam
facturus esset. Itaque peditatum, vti prius quoque factum
erat, in Cariā traducit; equitatu in Mæandri planicie subsi- 656
stere iusso. At vero Agesilaus, quod prædixerat, præstitit; ac
recto Sardianam in regionem progressus est. Quumque
triduum hoste nullo conspecto progrederetur, magnam
rerum necessariarum copiam exercitui suppeditabat. Die
quarto equites hostium aderant. Eorum dux impedimentorum præfecto mandat, vt amne Pactolo traiecto, castra
metaretur. Ipsi vero conspicati eos, qui Græcorum agmen
sequebantur, hinc inde palatos prædam agere: complures
ex eis trucidant. Id animaduertens Agesilaus, equites suis
opem ferre iubet. Persæ quum viderent, copias his auxiliares summitti; colligunt sese, ac vniuersas equestres turmas
in aciem explicatas Græcis opponunt. Ibi vero Agesilaus
secum ipse cogitans, necdum hostibus peditatum adesse, sibi vero nihil eorum, quæ ad bellum parauerat, deesse: opportune se facturum arbitrabatur, si decernere prœlio cum
hoste posset. Itaque cæsis victimis, recta phalangem aduersus instructos equites ducebat; mādans, vt ex peditibus armaturæ grauis, qui annis x pubertatem excesserant, secum
in hostem cursu ferrētur, & iussis itidem cetratis cursu subsequi. Equitatui quoque denuntiat, vt in aciem aduersam
impetum feceret: se, cum copiis vniuersis, subsequuturum
policitus. Exceperunt impressionem equitum Persæ, quotquot erant viri fortes. At vbi simul imminere omnia terribilia vident, acie inclinata, partim recta in flumen decidūt,
partim fuga sibi consulunt. Eos subsequuti Græci, etiam
castris hostium potiuntur. Tum vero cetrati, vt fit, ad prædas se conuertunt. Agesilaus vndique omnes tum hostium,
tum suorum res, castris positis complectitur. Quumq; perturbari hostes audiisset, quod alter in alterum rei male gestæ culpam conferret: confestim Sardes exercitum ducit,

Ibi ſimul ferro ac flamma quæ circum vrbem erant, vaſtabat; & ſignificari per præconem iubebat, vt quicumque liberi eſſe vellent, ad ſe tamquam opitulatorem accederent. Sin aliqui Aſiam ſibi vindicarent, ad liberandum eos, de quibus diſceptaretur, armati adeſſent. Poſteaquam nemo aduerſus eũ prodiret, libere metu poſito deinceps bellum gerebat; quum quidem videret Græcos, qui prius ſummiſſe venerari Perſas cogerentur, ab iis ipſis honore adfici, a quibus petulanter tractati fuerant: at illos, qui ante hac di-
657 uinis frui voluiſſent honoribus, eo redactos, vt ne quidem adſpicere Græcos poſſent. Efficiebat etiam, vt amicorum ager minime vaſtaretur: ipſe de hoſtili fructus eos percepit; vt intra biennium decumam Delphico Deo conſecraret, c talentis ampliorem. Ceterum Perſarum rex arbitratus Tiſſaphernem in culpa eſſe, quamobrem res ſuæ miſere diriperentur: miſſo de locis ſuperioribus Tithrauſte, caput ei præcidi iuſſit. Secundum ea barbari magis abiectis eſſe animis, Ageſilai rebus multum roboris accedere. Nam legati ad amicitiam ineundam omnibus a nationib. mittebantur, & plerique ad eum deficiebant, libertatis deſiderio ducti. Quare iam non Græcorum modo, ſed multorum etiam barbarorum dux erat Ageſilaus. Æquum eſt etiam, ex hoc ſumma hominem admiratione proſequi; quod quum imperium teneret complurium in continente ciuitatum, atque etiam inſularum, poſteaquam ei claſſem quoque patria tradidit, iam ſuccreſcens famæ celebritate ac potentia, nactuſque poteſtatem vtendi multis commodis, & quod maximum erat, iam voluens animo, ſpeq; cõcipiens euerſionem eius imperij, quod prius Græciam armis inuaſerat: nihilominus ab harum rerũ nulla vinci ſe paſſus ſit, ſed vbi domo veniſſet ad eum quidam a magiſtratibus, qui eũ opitulari patriæ iuberet: parebat perinde reipublicæ, ac ſi tunc
forte ſolus in Ephororum curia propter * Quinqueuiros conſtitiſſet. Qua quidẽ re inſigniter declarauit, non ſe terrã vniuerſam patriç, nec poſteri⁹ adquiſitos amicis veteribus, nec turpia lucra, nullo cum periculo coniuncta, honeſtis ac iuſtis, quæ periculum habeant, anteferre. Qui non etiam hoc regis laude digni facinus ſit, quod imperij ſui tempore, quum ciuitates omnes, quibus præfuturus domo nauigauerat, inteſtinis diſſidiis laborantes accepiſſet, quoniam

* Intelligit Ephoros.

am essent mutatæ respublicæ, posteaquam ademptum Athenienſibus imperium fuerat; perfecerit, vt absq; exsiliis & cædibus, quam quidem diu aderat ipse magna cum animorum concordia semper administrarentur, & felices essent? Enimuero Græci, quotquot incolunt Asiam, non eius ex Asia discessum, ceu principis tantum: sed etiam vt patris, ac sodalis dolebant, & tamdem declarabant, non ei se ficticiam beneuolentiam exhibere. Nam sponte cum eo profecti sunt ad ferẽdum suppetias Lacedæmoni, quum quidem scirent, sibi non aduersus deteriores se pugnandum esse. Atque hic rerum in Asia gestarum finis fuit. Ceterum Hellesponto traiecto, per easdem nationes iter faciebat, per quas Persarum rex illo ingenti cum exercitu profectus fuerat: & quæ via confecta totius anni spatio fuerat a rege barbaro, eam minori quoq;, quam mensis spatio, Agesilaus cõfecit. Non enim hoc propositum eius erat animo, vt serius patriæ succurreret. Posteaquam Macedonia peragrata, Thessaliam ingressus est; sequentes eum a tergo Larissæi, Cranonij, Scotusæi, Pharsalij, Bœotorum socij, omnesque adeo Thessali, exceptis qui tunc in exsilio degerent, agmen extremum carpebant. Ducebat antehac Agesilaus copias quadrato agmine, quum partem equitum dimidiam a frõte, dimidiam a tergo haberet. Verum postea, quam Thessali extremos adorti, quo minus in itinere pergeret, prohibebant: partem eorum, qui primo erant in agmine, solis exceptis, quos penes se habebat, ad agmen vltimum mittit. Quumque acies essent vtrimque instructæ, Thessali non satis commode se prœlio equestri congressuros cum grauis armaturæ peditibus arbitrati; terga dabant, ac pedetentim discedebant, illis imprudenter admodum eos persequentibus. Agesilaus, erratis vtrorumque animaduersis, equites, quos secum habebat robustos admodum, mittit: vtque tum ipsi hostem summo persequerentur impetu, nec conuertendi se potestatem ei facerent, tum aliis idem denuntiarent, mãdat. Eos quum Thessali præter opinionem equos adigere viderent, plane se nõ conuertebant; ac si qui sane id facere conati fuissent, ab equitibus, quos trãsuersos habebant, intercipiebãtur. Conuertit inter alios sese Polycharmus Pharsalius, equitũ magister, & vna cum suis dimicans interfectus est. Quod vbi accidisset, ingens fuga facta 658

fuit, ita vt alij occiderentur, alij viui hostium in potestatem venirent. Neque prius substitere, quam ad montem † Narthaciensium peruenissent. Statuit tunc Agesilaus tropæum inter Prantem ac Narthacium: & mansit ibi, mirifice delectatus hoc facinore; quod eos, qui se plurimum ob rem equestrem efferunt, vicisset eo cum equitatu, quem ipsemet instituisset. Postridie Achaicis Phthiæ montibus superatis, deinceps per regionem pacatam profectus est ad Bœotorum vsque fines. Ibi quum in acie stantes aduersus se reperisset Thebanos, Athenienses, Argiuos, Corinthios, Ænianes,

659 Euboenses, Locros vtrosque: nihil cunctatus, vt pugnā committeret aperte struebat aciem, quum cohortem secū Lacedæmoniorum vnam cum semisse haberet, & ex sociis, qui habitant iis in locis, solos Phocenses & Orchomenios, cum reliquis copiis, quas ipse ducebat. Nec iam hoc dicturus sum, quod quum multo pauciores & imbecilliores haberet, nihilominus conflixerit: quandoquidem id si dicam, videar Agesilaum amentem, ac me stultum pronuntiare, qui hominem temere periclitantem de summa rerum laudem: sed hoc apud me potius in admirationem venit. Quod copias non minores hostilibus comparauerit, & sic armis instruxerit: vt omnia merum æs, omnia esse mera purpura viderentur. Dederat itidem operam, vt milites possent labores perferre; animosque ipsorum ea compleuerat ferocia, vt ad pugnandum aduersus quosuis satis essent idonei. Præterea contentionem mutuā inter suos excitarat, vt singuli se præstantissimos declararent. Spe denique repleuerat omnes, futurum policitus, vt vniuersi multa bona adipiscerentur, si viros se fortes gererent. Existimabat enim, viros eiusmodi promtissime in hostem dimicaturos, quæ sane ipsum opinio minime fefellit. Pugnam quoq; narrabo, quod eiusmodi fuerit, qualis alia nostro quidem æuo nulla. Nam in campum ad Coroneam cōuenerunt, Agesilai quidem exercitus a Cephisso; Thebani vero cum suis, ab Helicone. Et videbant phalanges suas admodum prœlio committendo pares, propeque multitudo equitum vtrimq; par erat. Agesilaus dextrum cornu apud suos tenebat, in læuo postremi erant Orchomenij. Contra, Thebani dextro suorum in cornu erant, in læuo Argiui. Et hactenus dum congrederentur, vtraq; in parte magnum erat silētium. Quum vero

† al. Anthracotorū, id est, Carbonariorū.

Prœlium ad Coroneam.

vero a se inuicem vnius abesset stadij spatio, clamore Thebani sublato, cursu in aduersos ferebantur. Vbi tria restarent inter vtrosque plethra, de Agesilai phalange aduersa in eos ruebant stipendiarij milites, quos Herippidas ducebat. Erant autē illi partim, quos domo secum in expeditionem duxerat; partim, qui Cyro militauerant, & Iones, & Æolenses, & Hellespontij, horum vicini. Hi omnes illorum erant in numero, qui vna procurrebant; ac intra ictum hastæ quum venissent, hostes sibi oppositos in fugam verterunt. Argiui quidem illorum impetum, qui apud Agesilaum erant, haud sustinuere: sed ad Heliconem fuga se receperunt. 660
Atque heic iam nonnulli hospites corona cingebant Agesilaum, quum ei quidam nuntiat, Thebanos perruptis Orchomeniis ad impedimenta peruenisse. Quapropter in eos euoluta phalange ducebat. Thebani quum socios suos ad Heliconem fugisse viderent, magna vi pergebant, vt ad suos elaberentur. Tum vero fortem virum fuisse Agesilaum hauddubie dicere possumus, quamquam tutissima non eligeret. Nam quum dimissis illis, qui elabi conabantur, sequi a tergo posset, & vltimos capere: non hoc fecit, sed aduersa fronte cum Thebanis est congressus. Itaque collatis clupeis vrgebantur, pugnabant, interficiebant, interficiebantur. Nullus quidem excitabatur clamor, non tamen erat silentium: sed eiusmodi quædam vox, qualis ex ira prœlioque proficisci potest. Tamdem Thebanorū alij ad Heliconem elabuntur, multi dum pedem referunt, interimuntur. Postea quam victoria potitus erat Agesilaus, & ipse ad phalangē adlatus esset, accepto vulnere: quidā equites adactis equis ei dicunt, ex hostibus L X X X viros armatos esse sub fano, quidq; de his faciundū esset, interrogabāt. Ille vero, quamquam accepisset multa toto passim corpore vulnera; & ab omnis generis telis inflicta; non tamen numinis obliuiscebatur, sed mandabat, vti potestatem eis facerent abeundi, quo vellent, neque lædi eos patiebatur. Quin equitibus etiam, quos penes se habebat, imperabat; vt eos deducerent, donec ad loca tuta peruenissent. Commisso iam prœlio, videre erat illo in loco, quo congressi fuerant, terram sanguine conspersam, cadauera tam amicos amicorū, quam hostium, sparsim inter se iacentia, pertusos clupeos, confractas hastas, pugiones vaginis nudatos partim humi, partim

in corporibus, partim ipsis in manibus hærentes. Ac tum quidem, quia vesper aduenerat, tractis hostium cadaueribus intra phalangem, cœnaque sumta, quieti se dederunt. Postridie * Gylum polemarchum aciem mane iubet instruere, ac tropæum excitare, inque honorem Dei corollis omnes se redimire, tibicines denique omnes tibiis canere. Interea dum hoc illi faciunt, Thebani præcone misso, mortuorum cadauera per indutias ad sepulturam poscunt.

*al. Gylim.

661 Itaque fiunt indutiæ, ac domum Agesilaus discedit; quum mallet domi potius legitime imperare, ac imperium legitimum pati, quam in Asia longe omnium esse maximus. Secundum hæc animaduertens, Argiuos copia rerum domesticarum frui, & Corinthum adiecisse imperio suo, & bello delectari: expeditionem aduersus eos suscipit, vastatoque omni eorum agro, mox inde superatis angustiis Corinthum versus, muros Lechæum vsque pertinentes capit. Itaque patefactis Peloponesi portis, domum reuertens ad sollemne Hyacinthiorum festum, quo constitutus erat loco a chori magistro, pæana cum aliis Apolloni absoluit. Post hæc certior factus, Corinthios omnia iumenta in Piræo custodire, ac maximum quiddam esse ducens, quod illac Bœoti e Creusi profecti, facile se cum Corinthiis coniungerent: Piræum copias ducit. Quod quum præsidio multorum teneri videret, a prandio mutatis castris ad vrbem propius pergit, * quasi ea spectaret ad deditionem. Sub noctem animaduerso, eos omnibus cum copiis e Piræo in vrbem Corinthum opis ferendæ caussa se contulisse: prima luce conuerso itinere, Piræum capit a præsidio nudum, neque solum ea, quæ intus erant; sed etiam illa castella, quæ istic instaurata fuerant. His reb. gestis, domum rediit. Post hæc quum Achæi lubentes ad societatem semet offerrent, & vt secum in Acarnaniam expeditio susciperetur, orarent; Acarnanes autem in angustiis viarum eos adgrederentur: occupatis per velites superioribus locis, pugnam cum ipsis conserit, ac multis interfectis, tropæum statuit; neque prius finem facit, quam Achæis Acarnanes, Ætolos, Argiuos amicos, sibi fœderatos effecisset. Ceterum pacem poscentibus aduersariis Lacedæmoniorum, eaque de re legatos mittentibus: ne constitueretur ea, vetuit Agesilaus, donec Corinthum ac Thebas, vt eos exsules reducerent, coegisset; qui

*al. quasi ea sibi proderetur.

qui ob Lacedæmonios in exſilium eiecti fuerant. Deinde Phliaſios etiam exſules, ob Lacedæmoniorum amicitiam patria pulſos, reduxit; ipſemet expeditione aduerſus Phliuntem ſuſcepta. Quod ſi quis hæc alia quadam ratione vituperat, certe in ſocietatis ac amicitiæ gratiam geſta eſſe conſtat. Nam quum Thebis Lacedæmonios aduerſarij necaſſent, vt eis ſuccurreret, expeditione aduerſus Thebas ſuſcepit. Quumque foſſa valloque munita cuncta reperiſſet, ſuperatis Cynoſ-cephalis ad vrbem vſque vaſtabat 662 agrum; facta Thebanis pugnæ copia tam in planicie, quam in montibus, ſi ita vellent. Rurſum anno ſequenti cum exercitu Thebas petit; ſuperatiſque vallis ac foſſis ad Scolum, reliquas Bœotiæ partes depopulatur. Atq; hactenus ipſe cum patria communi felicitate fuit vſus. Quicumque deinceps caſus aduerſi acciderunt, hos Ageſilai ductu contigiſſe, nemo eſt qui dixerit. Poſteaquam ad Leuctra clades fuiſſet accepta, & amicos ac hoſpites ipſius Tegeæ necaſſent tum aduerſarij, tum Mantinæi, iamque ſe coniunxiſſent Bœoti omnes, & Arcades, & Elei: vnam cohortem eduxit, exiſtimantibus multis, longo tempore Lacedæmonios extra fines ſuos non egreſſuros. Quumque vaſtaſſet agrum eorum, qui amicos ipſius occiderant: ita deinde domum ſe rurſus recepit. Secundum hæc Arcadibus vniuerſis, & Argiuis, & Eleis, & Bœotis, quibus Phocenſes aderant, & vtriſque Locris, & Theſſalis, & Ænianibus, & Acarnanibus, & Euboenſibus, cum infeſtis copiis Lacedæmonem profectis, quum ſerui præterea, multæque finitimæ ciuitates defeciſſent, ac Spartanorum non pauciores in commiſſo ad Leuctra prœlio fuiſſent interemti, quam ſuperſtites eſſent: nihilominus vrbem tutatus eſt, quãquam ea careret mœnibus. Neque tamen illac ſuos educebat, vbi rebus omnib. potiores erãt hoſtes, ſed vbi ciues ſuperiores futuri erant, ſuis aduerſus hoſtẽ in acie magno cũ animi robore collocatis. Exiſtimabat enim ſe, ſi ſpatioſa quædam in loca progreſſus eſſet, ab omni parte circumueniri poſſe: ſin artis & ſuperioribus in locis ſe cõtineret, reb. omnibus hoſte potiorem futurum. Quum vero exercitus diſceſſiſſet, cur nõ dixerit aliquis, eum egregie ſe geſſiſſe? Nã quum ſenectus eum tam a militia pedeſtri, quã equeſtri arceret, ac patriæ pecuniis opus fore cerneret, ſi quidem ea ſocium

vllum retinere vellet: harum ipse parandarum onus in se recepit. Quicquid omnino poterat, domi manens moliebatur:& si quæ ferret occasio. in iis inquirendis minime segnis erat. Quinetiam pudore non præpediebatur, quominus legati nomine potius aliquo proficisceretur: quam imperatoris: si quidem aliquid emolumenti reipublicæ adlaturus esset. Sed tamen etiam interea, dum legationes obibat, imperatoris magni munere fungebatur. Nam quum Autophradates ad Assum Ariobarzanem fœderatum obsideret, Agesilaum veritus, fuga inde discessit. Cotys item, quum Sestum obsideret, vrbem Ariobarzanis:& ipse soluta obsidione discessit. Quo factum est, vt non abs re tropæum de hostibus etiam ex legatione statutũ ei fuerit. Quinetiam quum Mausolus mari c nauibus vtrumque locum hunc obsideret, nõ metu adductus, sed persuasione domum cum classe abiit. Dignas profecto res admiratione gessit. Nam & illi, qui ab eo se adfectos beneficio putabant, & qui fugiebant ipsum, vtrique pecunias ei dabãt. Mausolus quidem, quum celeriter pecunias in vsum Lacedæmonis contulisset, Agesilaum remisit in patriam; datis, qui eum magnifice deducerent. Erat iam annos natus LXXX. quumque animaduertisset, regem Ægyptiorum Persico regi arma inferre cupere, peditatu, equitatu, pecuniis amplissimis instructum: perlubenter ab hoc arcessiri se audiuit, præsertim quod imperatoris ei munus polliceretur. Existimabat enim eadem profectione se gratiam Ægyptio pro collatis in Lacedæmonem beneficiis relaturum, Græcosque Asiaticos rursus in libertatem adserturum, & Persæ pœnam irrogaturum; partim ob superiorum temporum maleficia, partim quod tunc se socium esse professus, Messenem Lacedæmonios dimittere iussisset. Posteaquam vero ille, qui Agesilaum arcessiuerat, munus imperatoris ei non mandabat: maximopere deceptus, quid faciundum esset, cogitabat. Hinc Ægyptij, qui seorsum militabant a regis fide deficiũt: mox & reliqui omnes eum deserunt. Rex ipse metuens sibi, Sidonem Phœniciæ fuga se recepit. Ægyptij, orta seditione, reges duos creãt. Atque heic Agesilaus, qui futurum intelligeret, vt si neutrum adiuuaret, neuter Græcis stipendium solueret, neuter rerum venalium forum suppeditaret, & vtercumque superior euaderet, is hostis esset: sin alteri suppo-

Legationes Agesilai. 663

Agesilaus 80. natus annos in Ægyptum proficiscitur.

suppetias ferret, cum accepto beneficio, ceu par esset, amicum futurum: facto iudicio, vter magis Græcorum studiosus esse videretur, eiusque militiam sequutus; alterum quidem illum nationem Græcorum odio persequentem, victum prœlio capit, alterum vero in regno constituit. Eumdem quum Lacedæmoni amicum fecisset, multasque pecunias impetrasset, domum deinde nauigat, quamquam media hyeme; idcirco festinans, ne sequenti æstate ciuitas aduersus hostes otiosa foret. Atque hactenus de rebus ab eo gestis diximus, quæcumque plurimorum testimoniis confirmantur. Nam res eiusmodi argumentorum probationibus haud egent, adeoq; satis est, tantum in memoriam eas redigi, quum ita mox fidem mereantur. Nunc quæ fuerit in eius animo virtus, indicare conabor, qua & res hasce gerebat, & omnia honesta diligebat, auersatus omnia turpia. Tanta erat in Agesilao rerum diuinarum reuerentia, vt etiam hostes sacramenta eius & fœdera maiorem mereri fidem arbitrarentur, quam ipsorum inter se amicitiam. Et suis quidem cum hominibus ad eumdem locum conuenire reformidabant, at Agesilao in man⁹ ipsimet se tradebant. Vt autem nemo sit, qui fidem mihi non habeat: lubet eorum nomina recensere, qui fuerunt inprimis illustres. Spithridates Persa, quum Pharnabazum sciret id agere, vt filiam regis vxorē duceret, ac ipsius filia sine legitimis nuptiis potiretur: ratus hoc insigne sibi fore dedecus, seipsum cum vxore, liberis, facultatibus in manus Agesilao tradidit. Et Cotys Paphlagonum princeps, regi quidem dextram mittenti non paruit, veritus ne, si comprehenderetur, vel magnis pecuniis, vel etiam morte multaretur: verum idem Agesilai fœderibus fidem quū adhibuisset, in castra eius venit, initaque societate, cum Agesilao militare maluit, quum quidem equites mille, bis mille cetratos haberet. Præterea Pharnabazus quoque cum Agesilao in colloquium venit, aperteque professus est se, ni totius exercitus fieret imperator, defecturū a rege. Sin imperator ego creer, inquit, mi Agesilae, fortissime bellū aduersus te gerā, quā quidē diu potero. Atq; hęc quū diceret, futurū credebat, vt ipsi cōtra fœdera nihil accideret. Tanta, tāq; pręclara res est, quū in aliis vniuersis, tū in imperatore: religiosū esse, ac fidei seruantē, talemq; cognitū esse. Hæc de Agesilai pietate. Iusticiæ vero

664

Virtutes Agesilai.

Religiosa pietas.

" " "

Iustitia.

in re pecuniaria qualia quis argumēta maiora proferat, quā hæc ſunt? Nemo vnquam ab Ageſilao ſe vlla re ſpoliatum eſſe queſtus eſt, quum multi multa faterentur ab eo ſe accepiſſe beneficia. Cui vero volupe eſt, ſua hominum ad vtili-
665 tatem largiri, quinam is aliena rapere velit, quo male audiat? Nam ſi pecuniarum cupidus ſit, multo minori fit cum negotio, vt ſua quis ſeruet, quàm vt aliena rapiat. At qui non vult in iis ingratus eſſe, quibus pœnæ nullæ conſtitutæ ſunt, ſi quis gratiam non referat: quonam modo in aliis ille gratias non referat, in quibus lex ingratum eſſe vetat? Ageſilaus autem non tantum iniuſtum eſſe iudicabat, non referre gratias: ſed hoc etiam, ſi is, qui plus poſſet, non maiores quoque gratias referret. Iam de peculatu qui poſſit aliquis eum inſimulare merito, qui beneficia ſibi debita patriæ fruenda conceſſerit? Itidem quod, quum bene mereri vel de vrbe aliqua, vel amicis, pecunias largiendo volebat ab aliis eas accipiendo iuuare poterat; annon ingens hoc eſt argumentum continentię ipſius in pecunia non adpetenda? Nam ſi venderet beneficia, vel ſpe mercedis beneficus eſſet: nemo ſe quidquam ei debere ſtatuiſſet. Nimirum qui gratis beneficium acceperunt, illi perlubenter auctori beneficij ſemet obſequentes præbent; partim quod adfecti ſint beneficio, partim quod eſſe digni crediti ſint, qui beneficij depoſitum cuſtodiant. Iam qui minus habere malebat, vt animum generoſum declararet, quā plus, cum nota iniuſticiæ: qui non ille a turpis lucri cupiditate multo magis abhorrebat? Ageſilaus certe, quū ciuitatis iudicio facultates Agidis omnes ipſi eſſent addictæ, ſemiſſem earum cū matris ſuæ propinquis communicauit, quod eos premi paupertate videret. Id verū eſſe, teſtis vniuerſa Lacedæmoniorum eſt ciuitas. Quum vero dona ei cōplura Tithrauſtes offerret, ſi ſuis finib. excederet: Exiſtimatur apud nos, inquit, honeſtius imperatori eſſe, Tithrauſta, exercitum ſuum ditare, quam ſeipſum: & ab hoſtib. ſpolia potius, quam dona referre. Ceterum a quanam earum voluptatū, a quibus multi ſe vinci patiuntur homines; Ageſilaum quis ſuperatum vidit? qui ab ebrietate perinde putabat abſtinendum atque ab ingluuie: a cibis immodicis perinde, atque ab otio & deſidia. Quoties portionem duplicē in cōuiuiis accipiebat, non vtraque veſcebatur: ſed iis hinc inde m[illegible]ſis, neutram

Temperantia.

neutram sibi reliquam faciebat. Existimabat enim, regi eam duplicari, non satietatis nimiæ caussa: sed vt ea posset, quem ipse vellet, honorare. Itidem somno, non vt domino; sed eo, qui negotiis ipsius pareret, vtebatur. Quod si lectũ inter familiares vilissimum non haberet, non obscurum erat, ipsum pudore adfici. Existimabat enim, imperatorem decere potius, vt tolerantia, quam mollitie priuatis hominibus præstaret. Non tamen eũ pudebat in aliis huiusmodi rebus maiorem sibi partem poscere, nimirum per ęstatem, solis: per hiemem, frigoris. Quod si aliquando vsuueniret, vt laborandum exercitui esset: sponte sua supra ceteros laborabat, quod arbitraretur, eiusmodi omnia militibus esse solatio. Deniq; summatim vt dicam, inter laborandũ quidem exsultabat Agesilaus, otium vero nullum prorsus admittebat. De ipsius in Venereis rebus continentia, cur si nõ alia, saltim miraculi caussa dignum non sit mentionem fieri? Nam quod ab iis, quæ non expeteret, abstinuerit; id vero factum aliquis humanitus, dicere possit: quod autem Megabaten Spithridatæ filium amans, quemadmodum indolis acerrimæ natura formosissimũ adamare possit, quum recepto apud Persas more osculandi eos, quos in honore haberent, etiam Megabates Agesilaum osculari adgrederetur, quo minus id fieret, totis viribus repugnauerit: an non id insane pudicum quoddam facinus est? Postea quum Megabates, quasi qui se ignominia putaret adfectum non iam deinceps amplius eum osculari adgrederetur; quemdam ex sodalib. eius compellabat Agesilaus, qui Megabatę persuaderet, vt rursum se honore adficeret. Eo quærente, si pareret Megabates, an ipsum osculaturus esset: tum vero subticuit Agesilaus, ac deinde: Minime, inquit, non si cõfestim & formosissimus, & robustissim⁹, & celerrimus omnium hominum futurus sim. Sed tamen pugnam eamdẽ pugnare me malle, Deos omnes testor, quam omnia, quę cerno, aurea fieri. Atq; horum fidem plerisq; suspectã esse, non ignoro. Id quidem scire videor, multo plures posse in vincendis hostibus, quam eiusmodi rebus, superiores euadere. Quum autem pauci hæc habeant cognita, fieri potest, vt fidem apud multos nõ inueniant. Id vero scimus omnes, ꝙ quum minime occultum esse possit, quidquid homines illustrissimi agant; Agesilaum tamen aliquid huiusmodi

666 Tolerãtia.

Continentia.

deſignaſſe, nemo vmquam vel viderit, vel dixerit; ac ne probabiliter quidem dicere viſus ſit, ſi ex coniecturis ſuſpicaretur. Nam in itineribus nullam in domum priuatim di-
667 uertebat, ſed ſemper vel in fanum aliquod, vbi fieri non poteſt vt eiuſmodi patrentur, vel in propatulo: quo ſuæ pudicitiæ teſtes omnium oculos faceret. Quod ſi hæc ego corã Græcia ſciẽte mentior, non iam ipſum laudo, ſed meipſum
Fortitudo. vitupero. Ceterum fortitudinis documenta non obſcura mihi quidem dediſſe videtur, quum ſemper ad gerendum aduerſus hoſtes reipublicæ ſuæ ac Græciæ potentiſſimos bellum ſe obtulerit, & in præliis aduerſus eos prima ſe in acie collocarit. Quod ſi hoſtes manum cum eo conſerere vellent, non ipſis metu terga dare coactis, potitus eſt victoria: ſed aduerſo prœlio ſuperatis tropæum excitauit, immortalibus virtutis ſuę monumentis relictis, & ſignis haud obſcuris ſecum ablatis, quod animoſe pugnaret: adeo quidem, vt non audiendo, ſed intuendo liceret animum ipſius explorare. Ageſilai vero tropæa non ea ſolum eſſe, quæ ipſe ſtatuit, putari æquum eſt: ſed quæcumque in expeditionibus ab eo geſta ſunt. Nam propterea nihilo vincebat minus, quod prœlio decernere hoſtes aduerſus eum nollent; ſed victoria potiebatur magis experte periculi, & quum reipublicæ, tum fœderatis vtiliore: ſicut in certaminibus nihilo minus ij, qui ſine labore ac puluere, quam qui pu-
Sapientia. gnando vincunt, coronantur. Sapientiam autem Ageſilai quæ illius actiones non demonſtrant? qui ſic erga patriam ſe gerebat, vt quum in primis beneuolo eſſet in eos familiares animo, qui obſequi vellent, amicos ſibi promtiſſimos habuerit. Milites autem non modo dicto audientes, ſed etiam ſui amantiſſimos effecit. Et quonam pacto phalanx eſſe firmior poſſit, quam ſi propter obœdiendi ſtudium in officio ſe contineat, & propter amorem erga ducem fideliter ei præſto ſit? Hoſtes erga eum ſic erant adfecti, vt vituperare quidem ipſum nõ poſſent, odiſſe vero cogerentur. Semper enim hoc moliebatur, vt meliore fœderati eſſent condicione, quam hoſtes: quos quidẽ fraude circumueniebat, vbi ferret occaſio: & anteuertebat, ſi celeritate foret opus: deliteſcens etiam, vbi hoc ex vſu foret. Denique aduerſus hoſtes inſtituebat omnia illis contraria, quæ amicis præſtaret. Nam nocte perinde, ac die vtebatur; die perinde,

perinde, vt nocte: nonnumquam vbi esset, quo iret, quid faceret, non constabat. Quare perficiebat, vt ex munitis hostium locis, non munita redderet; vel prætereundo, vel superando, vel furtim intercipiendo. Quoties iter faceret, quia sciret hostibus pugnandi potestatem esse, si vellent: ita instructum ducebat exercitum, vt sibi ipsi posset imprimis opitulari: & tranquille, instar pudicissimæ virginis, incederet. Existimabat enim, in hoc sitam esse quietem exercitus, & summam immunitatem ab omni terrore, perturbatione, peccatis, insidiis. Quare dum ita se gereret, hostibus erat formidini, & amicis fiduciam, animiq; robur addebat. Quo factum, vt hostibus numquam esset contemtui, ab ciuibus non multaretur, ab amicis non vituperaretur, ab hominibus denique vniuersis plurimum & diligeretur & prædicaretur. Ceterum quam patriæ fuerit studiosus, singillatim perscribere longum fuerit. Nam nihil ab eo gestum arbitror, quod eo non spectet. Atq; vt breuiter dicam, scimus omnes Agesilaum, vbicumque se profuturum patriæ putaret, non labores subterfugisse, non recusasse pericula, non pepercisse facultatibus, non corporis, non senectutis vsum excusatione fuisse. Immo boni regis esse putabat, quamplurimis beneficiis subditos adficere. Atq; equidem in maximis commodis, quæ adtulit patriæ, hoc etiam pono: quod quum in republica plurimum posset, maxime tamen legibus se seruire declararet. Nã quis tamdem obœdire his noluisset, quum eis regem obtemperantem videret? quis nouas res moliri tentasset propterea, quod ipse inferiori esset loco, quum regem pati sciret, vt sibi legitime imperaretur? qui quidem etiam in illos, qui ab eo dissentiebant in republica, non aliter se gerebat, atque pater erga filios consueuit. Nam si quid deliquissent, obiurgabat: honore prosequebatur, si præclare quid gessissent: ferebat auxilium, si qua accidisset calamitas: hostis loco ciuẽ nullum habebat, collaudare cupiebat omnes, seruari omnes pro lucro ducebat: & e contrario pro iactura, si quis etiam non magni pretij homo perijsset. Quod si sui pacate legib. seruandis incumbere non desisterent, haud obscure præ se ferebat, existimare se, patriam semper beatam futuram: & eamdem tum fore potentem, si Græci frugi essent. Iam si præclarum est Græcum hominem Græci nominis esse stu-

668

Amor erga patriam.

Agesilai erga Græciam vniuersam amor.

diosum: quisnam alium imperatorem vidit, qui vel vrbem capere nollet, si eam se vastaturum putaret, vel pro calamitate duceret, in bello, quod cum Græcis gereretur, victoria potiri? Agesilaus quidem certe, quum nuntium accepis-
669 set, in pugna Corinthia Lacedæmonios octo dumtaxat, hostium vero propemodum innumeros periisse, nulla lætitiæ significatione data: Heu Græciam, inquit, nostram. Hi sane, qui nunc interemti sunt, viui barbaros omnes prœlio vincere potuissent. Idem, quum exsules Corinthij dicerent vrbem deditionem facturam, ac machinas ostenderent, quibus mœnia se capturos sperabant omnes; copias tamen admouere noluit, quod diceret, Græci nominis vrbes minime vastandas esse, sed castigandas. Quod si delinquẽtes, ait, e medio nostrum tollere volemus, cauendum est, ne quo barbaros superemus, non habeamus. Rursus si præclarum est, Persas odio prosequi propterea, quod is, qui olim vixit, rex Persicus, exercitum in Græciã duxit, vt eam in seruitutem redigeret; & qui nunc rerum potitur, auxilium fert iis, quibuscum coniunctus maius se damnum illaturum existimat: munera dat illis, quos putat eis acceptis Græcos maximo detrimento adfecturos: pax vt constituatur, adiuuat, ex qua nosmet inter nos maxime bellum gesturos cẽset, vti sane fieri nemo nõ videt: an quis alius vmquã, excepto Agesilao, in hoc incubuit, vt vel aliqua natio regis illius a fide discederet; vel quæ defecisset, nõ periret; vel omnino, vt rex malis pressus Græcis negotiũ facessere non posset? Idẽ patria sua bellũ aduersus Græcos gerente, nihilo minus publicum Græciæ commodum non neglexit: sed cum classe domo profect⁹ est, barbarum illum pro suis virib. male multaturus.

Comitas & morum amabilitas.

Est etiam operæpretium, comitatem ipsius silentio non præterire, qui quum honore, potentia, regno, eoq; sine insidiis, omnium cum amore potiretur: a nemine obnoxius esse iactantiæ visus est, quum eum suorum amantissimũ, & in amicis colendis studiosum esse, quiuis vel aliud agens, animaduertere posset. Perlubenter haberi secum verba de amoribus ferebat, atque itidem amicis in rebus seriis operam dabat, sicubi opus esset. Et quia bona spe plenus erat, alacrique & hilari animo: efficiebat, vt multi eum familiariter conuenirent, non tantum vt aliquid impetrarent; sed vti iucundius diem exigerent. Præterea quum longissime

abesset

abesset a iactantia, nihilominus haud grauatim audiebat eos, qui seipsos prædicarent: quod eos nulli esse damno putaret, potiusque policeri, se viros fortes futuros. Ne id quidem omittendum, quam opportune animi magnitudine soleret vti. Nam quum a rege Persarum ei litteræ redderentur, quas de necessitudine hospitij, & de amicitia

Animi quædam magnificentia.

regis perscriptas adtulerat is Persa, qui cum Callia Lace- 670
dæmonio venerat: minime illas accepit, sed eum, a quo adlatæ fuerant, renuntiare iussit regi; non esse, quamobrem priuatim litteras ad se missitaret, quod si Lacedæmoni se amicum, & Græciæ beneuolũ declararet; vicissim se quoq; omni studio amicitiam eum eo culturum. Sin deprehensus fuerit, insidias nobis facere; non est quod se existimet me amicum habiturum, etiamsi permultas ab eo litteras accipiam. Equidem hac etiam in parte Agesilaum laudo, quod vt Græcis placeret, oblatam a rege necessitudinem hospitij sit aspernatus. Nec minus illud admiror, quod non vter esset opulentior, ac pluribus imperaret, ei maiores esse gerendos spiritus arbitraretur: sed qui tum ipse melior esset, tum in meliores imperium haberet. Laudo & prouidentiam ipsius, quod quũ vtile duceret Græciæ, quãplurimos satrapas a rege deficere; non vel a muneribus, vel a regis potentia victus sit, vt hospitij necessitudinem cum ipso cõtrahere vellet: sed omni studio cauerit, ne fidẽ iis violaret, qui a rege deficere cogitabant. Et quis in ipso non hoc quoque miretur? Existimabat rex Persic⁹ se, si amplissimas pecunias haberet, omnia redacturum in potestatem suam: ideoque quidquid esset inter homines auri, quidquid argenti, quidquid maximi pretij rerum, id totum ad se colligere nitebatur. At Agesilaus contra, sic domum suam instituerat, vt horum nullo egeret. Quod si quis fidem nobis non habet, is velim adspiciat, qualis ei domus suffecerit, atq; etiam fores intueatur. Nã suspicari quis possit, has adhuc illas ipsas esse, quas Aristodemus Herculis filius, in patriam reuersus exstruxerit. Idem domesticam supellectilem cõtempletur. Quo pacto in sacrificiis epularetur, secum ipse cogitet. Audiat eum Amyclas in * canathro ciuico profectum esse. Enimuero quũ hoc modo sumtus ad prouentus accommodaret, non cogebatur iniusti quidquã pecuniarũ caussa facere. Præclarum quiddam esse putatur, inexpugnabiles

Agesilai frugalitas.

**Canathrum Eustatius cratem ait esse, de viminibus salignis textã, quæ curribus imponatur.*

muros ab hoſtibus ſuperari: verum ego multo præclarius eſſe iudico, parare animum ſuum, vt a pecuniis, voluptatibus, metu ſit inexpugnabilis. Equidem exponam, quo pacto etiam moribus Perſico faſtui ſit aduerſatus. Primum rex Perſicus auctoritatem ſibi quærebat ex eo, quod raro conſpiceretur: Ageſilaus eo ipſo delectabatur, quod ſemper hominum in conſpectu verſaretur. Exiſtimabat enim, decere vitam facinoroſam ac turpem, vt in obſcuro lateret: honeſtæ vero, lucem ipſam maius ornamentum conciliare. Deinde grauitatem ille captabat ex eo, quod difficilis ad ipſum acceſſus eſſet: hic gaudium inde percipiebat, quod aditus vniuerſis ad ſe pateret. Putabat ille ſplendidum eſſe, quod negotia tardius conficeret: hic maxime tum lætabatur, quum homines id, quod cupiebant, celerrime cõſequutos dimitteret. Operæpretium eſt etiam conſiderare, quanto faciliorem ac parabiliorem voluptatem Ageſilaus conſectaretur. Nam Perſicus rex quoſdam habet, qui terram vniuerſam circumeunt, & quo rex potu iucunde vti poſſit, inueſtigant: innumeri homines, quo cum voluptate veſcatur, excogitant: vt dormiat, dici non poteſt, quam multa moliantur. Ageſilaus vero, quod patiẽs laboris eſſet, quidquid oblatum forte fuiſſet, cum voluptate comedebat: vt ſuauiter ſomno frueretur, quiuis ei locus idoneus erat. Atq; hæc ſe facere non modo gaudebat, ſed etiam exſultabat lætitia, quoties ad animũ ei accideret, ſe quidem verſari mediis in voluptatibus: illum vero barbarũ videret, ſiquidem abſque dolore vellet viuere, neceſſe habere, vt ab extremis terræ finibus ea comportaret, de quib. voluptatem capturus eſſet. Augebant ei lætitiam & illa, quod ſe quidem ſciret abſque animi ægritudine poſſe Deum* diſpoſitione vti: illum vero videret æſtus & frigora fugere, ac propter imbecillitatem animi non fortium virorum, ſed debiliſſimarum beſtiarum vitam imitari. Hoc quidem certe qui non præclarum ac magnanimum erat, quod quum ipſe factis ac rebus ad virum pertinentibus domum ſuam ornaret, multoſque canes venaticos, & equos ad bellum idoneos aleret; Cyniſcam ſororem ad agendos currus alere iumenta perſuaſerit, eaque vincente demonſtrarit, his alendis nullum edi fortitudinis ſpecimen, ſed opes dumtaxat oſtẽtari? Iam vero quis neget hoc animo generoſo conuenire, quod cenſuit

Comparatio Ageſilai ad Perſicum regem.

671

**ſcilicet in viciſſitudine temporũ anni.*

fuit hominibus priuatis curru victis nihilo se clariorem fieri: at si patriam haberet amicissimam, amicos plurimos optimosque per vniuersum terrarum orbem comparasset, patriam & sodales beneficiis, aduersarios vlciscendo superasset; reabse pulcherrimis ac magnificentissimis in certaminibus victorem se futurum, adeoque clarissimum nomen non solum superstitem, sed etiam a morte consequuturum? Ob res igitur huiusmodi laudo equidẽ Agesilaum. Etenim horum non ea ratio est, quę in aliis, quum quis the- 672
saurum forte nanctus, opulentior quidem efficitur, non tamen administrandæ rei familiaris peritior: vel si morbo hostes inuadẽte victoria potiatur, felicior quidem esse potest, nihilo tamen ab arte imperatoria instructior. Qui scilicet tolerantia laborũ præstat aliis, vbi res ita postulat: & fortitudine, vbi agendum est fortiter: & iudicio, quum cõsilio quid suscipiendum est: is mihi quidem videtur optimo iure vir omnino bonus esse putandus. Quod si trutina & norma pro inuento vtili mortalibus haberi debent, ad efficiunda præclara opera: etiam mihi egregium exemplum Agesilai virtus esse videtur iis, qui fortitudinem exercere volunt. Nam quis impius fiat, si religiosum imitetur? quis iniustus si iustum? quis petulans si modestum? quis intemperans, si temperantem? Agesilaus enim non tam eo, quod aliorum rex esset, quam quod imperare sibi posset gloriabatur: neque tam quod aduersus hostes, quam quod ad omnem virtutem ciuibus suis dux esset. Enimuero quod a morte laudatur, non idcirco quisquam hanc orationem putet esse næniam, sed celebrationẽ potius existimet. Nam primum de ipso commemorantur ea, quæ de viuo prædicabantur. Deinde quid a lamentatione longius abest, quã gloriosa vita, & mors decora? Quid encomiis item conuenientius, quam victoriæ pulcherrimæ, maximique momẽti facinora? Ac iure quidẽ ille beatus prædicetur, qui quum statim a puero cupiditate gloriosi nominis incensus esset, sic illud consequutus fuit, vt quisquam omnium ætatis suæ hominum. Idem quum honoris ac dignitatis a natura inprimis esset adpetens, ex quo rex factus fuit, perpetuo inuictus exstitit. Quumque longissimam vitę humanæ metam adtigisset, sic e viuis excessit, vt nihil committeret dignum reprehensione vel in eos, quibus præerat, vel aduersus quos Epilogus.
bellum gerebat. Libet autem virtutem eius summatim re-

petere, quo facilius hæc laudatio memoriæ inhæreat. Venerabatur Agesilaus delubra etiam in hostico, quod existimaret, Deorum auxilia non minus in hostili, quam pacato solo quærenda esse. Quod si qui Diis essent supplices, eos non violabat, ne si hostes quidem essent: quod absurdũ esse duceret eos qui e fanis aliquid furto subtrahant, sacrilegos adpellare; qui autẽ supplices ab aris auellant, pro religiosis
673 habere. Numquam hymnos dicere desinebat, quod Deos arbitraretur nõ minus factis religiosis, quam sacrificiis puris delectari. Quinetiam quoties fortuna vtebatur prospera, non homines præ se cõtemnebat, sed Diis habebat gratias: & fiduciæ plenus, plures mactabat hostias, quam reb. suis metuens voueret. Et consuefecerat se, vt quoties in metu esset, hilaritatem præseferret: rebus contra secundis humilis esset. Ex amicis non eos, qui plurimum poterant, sed qui promptissimi erant, complectebatur. Odio prosequebatur non eum, qui læsus se vlciscebatur: sed qui beneficiis adfectus, ingratum se declarabat. Erat illi voluptati, turpis quidem lucri auidos, pauperes videre; iustos autem collocupletare: quod efficere cuperet, vt plus ex iusticia, quam ex iniusticia, lucri perciperetur, variis cum hominibus habere commercium, bonis vti solebat. Quod si quos aliquando vituperantes, vel laudantes alios audiret: existimabat, non minus illorum se mores adgnoscere, qui ea proferebant; quam eorum, de quibus diceretur. Quotquot ab amicis circumuenirentur, non vituperabat, qui autem ab hostibus deciperentur, eos maximopere reprehendebat. Diffidentes fallere, sapientis esse: credentes, nefarium putabat. Si ab iis laudaretur, qui vellent etiam vituperare, quæ displicerent, gaudebat; neque cuiquam illorum, qui libertate in dicendo vterentur, infestus erat: ab iis tamquam ab insidiis, sibi cauens, qui mentem suam astute celarent. Delatores maiori prosequebatur odio, quam fures: quod malus esse detrimentum duceret amicis, quam rebus suis spoliari. Priuatorum hominum errata miti ferebat animo, principum vero magni esse momenti censebat: quod ab illis exigua proficisci, ab his magna mala, iudicaret. Regno non desidiam, sed strenuitatem conuenire putabat. A statuẽda corporis imagine abstinebat, multis in hoc ei gratificari volentibus: animi vero monumenta nũquam elabo-

elaborare desinebat. Arbitrabatur enim illud statuarij, hoc sui muneris esse: ac rursus illud diuitum, hoc bonorum. Facultatibus non iuste tantum, sed etiam liberaliter vtebatur; quod homini iusto satis esse duceret, ab alienis abstinere, liberalem putaret etiam sua debere hominum ad vtilitatem conferre. Semper religiosus erat, & honeste quidem viuentes, necdum felices; qui vero gloriose mortem oppetiissent, eos iam beatos existimabat. Maiorem esse calamitatem putabat, scientem, quam inscium res præclaras negligere. Gloriæ nullius cupiditate ducebatur, cuius quæ 674
essent propria, non elaboraret. Cum paucis hominib. videbatur mihi iudicare, virtutem non tolerantiam esse, sed voluptatem. Si laudaretur, magis gaudebat; quam si opes adquisiuisset. Fortitudinẽ plerumq; potius cum cõsilio, quam periculis ostendebat: & sapientiam re potius, quam verbis exercebat. In amicos mitissimus, hostibus maximo terrori erat. Quum labores egregie toleraret, sodalibus tamen libentissime cedebat: magis actiones pulchras, quam pulchra corpora desiderans. Norat modeste rebus vti secundis, aduersis spei plenus esse poterat. Non iocis, vt festiuus esset, ac gratus; sed moribus studebat adsequi. Animi magnitudine non cum iniuria, sed iudicio vtebatur. Itaque spretis iactabundis, etiam mediocribus erat humilior. Etenim vilem corporis cultum ornamento sibi ducebat, exercitu probe ornato: tum ipse si quam paucissimis egeret, amicis quamplurimum prodesset. Præterea dum certaret, grauissimus aduersarius: vbi vero victoria potitus esset, admodum facilis erat. Ab hostibus difficulter circumueniri poterat, ab amicis facillime falsa persuasione decipiebatur. Semper hoc sibi propositum habebat, vt res amicorum in tuto locaret, hostium labefactatas euerteret. Qui cognati erant, nominabant officiosum erga propinquos: qui opera eius vtebantur, nihil recusantem: qui aliquid officij exhibuissent, memorem: per iniuriam læsi, opitulatorem: in eodem periculo constituti, post Deos, seruatorem. Videtur idem mihi solus inter homines declarasse, corporis quidem robur senescere, sed animi vires in viris fortibus senectutis expertes esse. Numquam ille saltim despondit animum, quo minus magnæ ac pulchræ virtutis studio duceretur, quam diu corpus ferre robur animi poterat.

Qua igitur iuuentute non ipsius senecta præstare visa fuit? Quis ætate vegeta hostibus adeo fuit terrori, vt Agesilaus extrema in senectute? Quonam sublato maiorem hostes voluptatem cepere, quam Agesilao, tametsi senex admodum vitam cum morte commutaret? Quis tantum fiduciæ sociis præbuit, quantum Agesilaus, licet ad vitę* finem peruenisset? Quid amici iuuenes magis desiderarunt, quam Agesilaum, qui senex e viuis excesserat? Is adeo perfecte semper vtilis patriæ fuit, vt etiam postea, quam e vita migrauit, plurimum adhuc rempublicam iuuans, ad illud æternum domicilium diuerterit. Monumenta quidem virtutis suæ veluti per vniuersum terrarum orbem consequutus fuit, ita sepulturam in patria regiam obtinuit.

Lectio marginis.

675

XEN. LACEDÆM.

REIPVB.

ARGVMENTVM.

1. Lycurgi Lacedæmoniorũ legislatoris encomium. 2. Puellas, liberorum procreationi destinatas, quomodo Lycurgus educari voluerit, & quænam fuerint huius educationis causæ. 3. De nuptiis statuta. 4. Collatio educationis, qua cæteri Græci ex suis institutis, & Lacedæmonij, ex Lycurgi præceptis, vtebantur in suis liberis educandis. 5. Furta quarũ rerum, & cur a Lycurgo Lacedæmoniis permissa. 6. Quibus rationibus Lycurgus puberes ad virtutis studium, & certamen incitarit. 7. Lacedæmoniorum pro variis ætatibus varia studia, certamina, exercitia. 8. Victus ratio, quam vniuersis Lacedæmoniis Lycurgus præscripsit. 9. Collatio institutorum Lycurgi cum cæterorũ Græcorum institutis. 10. Ingenuorum, & seruorum studia, artes, opera. 11. Monetæ a Lycurgo apud Lacedæmonios institutæ qualitas, pretium, & causa cur talis ab eo fuerit instituta. 12. Auri, & argenti vsus cur ab eodem prohibitus. 13. Quomodo, & cur Lycurgus effecerit, vt omnes ciues Magistratibus alacriter, & vltro parerent. 14. Quomodo ignauos a fortibus tractari voluerit. 15. Sparta cunctis Græciæ vrbibus cur virtute præstiterit. 16. Ignauos homines cur adeo seuere Lycurgus puniri voluerit. 17. De rebus bellicis præcepta. 18. Quamnam potestatem, ac dignitatem in exercitu Lycurgus Regi assignarit.

19. Quomodo Rex Lacedæmoniorum cum copiis in expeditionem domo proficisceretur. 20. Propter Lycurgi leges neglectas, quot clades Respub. accepit. 21. Quæ pacta Lycurgus inter Regem, & Rempub. fecerit, atque seruari voluerit. 22. Priuilegia, ac præcipui honores Regibus tam viuis, quam mortuis, a Lycurgo concessi.

XENOPHONTIS LACEDÆMONIORVM RESPVBLICA.



IHI vero quum ad animum aliquando accidisset, Spartam, quę vna minime populosis ex vrbibus sit, nihilominus & potentissimam, & clarissimam in Græcia exstitisse: mirari subiit, quonam modo id fieri potuerit. Sed postea, quam Spartanorum instituta perspexi; non amplius mirabar. Lycurgum sane, qui leges eis tulit, quibus parendo felices euasere, non solum admiror; sed etiam summe sapientem fuisse arbitror. Nam is haudquaquam alias ciuitates imitatus, immo etiam contraria plurimis statuens; vt patria sua felicitate ceteris præstaret, effecit. Quippe statim, vt ab ipso principio rem ordiar, quod subolis procreationem adtinet, alij puellas, quæ pariturae sunt, & recte videntur educari, quam maxime modico fieri pane potest, ac prout licet obsonio pertenui alunt: & quidem eas ita regunt, vt a vino vel prorsus abstineant, vel diluto vtantur. Vt autem pleriq; opifices sedētarij sunt, sic Gręci ceteri puellas ab omni motu liberas lanificium exercere volunt. At quomodo potest exspectari, vt quæ sic educantur, insigne quid pariant? Lycurgus autem existimabat, vel ipsas ancillas ad vestem parandam sufficere: ingenuarum munus in primis esse ratus, procreare liberos. Itaque primum non minus femineum sexum habere corporis exercitia iussit, quam masculū. Deinde sicut viris inter se certamina cursus & roboris instituit, sic etiam feminis: quod statueret, ex vtroque parente robusto etiam subolem robustiorem nasci. Iam vbi ad virum accedit mulier, quod alios immodice videret initio cū vxo-

Interpretatio priore melior.

676 ribus conſueſcere: hac etiam in parte quiddam diuerſum
ſtatuit. Quippe ſanxit, pudore virum prępediri debere, quo
minus ad vxorem vel ingrediens, vel egrediẽs, ab aliis con-
ſpiciatur. Hoc modo ſi conſueſcant, maiori eos erga ſe deſi-
derio teneri neceſſe eſt; & fœtus, ſi qui producantur, fieri
robuſtiores, quã ſi ſatietas inter eos obrepat. Pręterea pote-
ſtate ademta, ne quiuis vxores ducerent, quum ipſis lubi-
tum eſſet; iuſſit, vt dum vigerent corpora, matrimonia cõ-
traherent, idque non minus ad rectã procreandi rationem
conducere putabat. Quod ſi vſuueniret, vt vetulus vxo-
rem iuuẽculam haberet: quia complures in hac ætate vide-
bat eſſe, qui vxores diligentiſſime cuſtodiant, etiam hac in
parte contrarium quiddam ſtatuit. Iuſſit enim, vt hic ſenex
eo viro, quẽ ob corporis & animi dotes ſuſpiceret, ad vxorẽ
adducto, ſubolem ſuſciperet. Quod ſi quis feminę coniugi-
um auerſaretur, ac nihilominus præſtantium liberorum
cupidus eſſet: etiam huic lege permiſit, vt quamcumque
fœcundam & indolis generoſæ conſpexiſſet, eius marito
perſuaſione ſuam in ſentẽtiam adducto, ita deinde prolem
ex ea procrearet. Atque huiuſmodi multa conceſſit. Etenim
hac ratione feminę binas domos occupant, & mariti earum
liberis ſuis fratres adiungunt, qui in generis quidẽ ac viriũ
ſocietatem veniunt, a facultatibus tamen excludũtur. Hoc
modo quum de procreatione ſubolis ſtatueret aliud, quam
ceteri, num Spartæ viros tam proceritate, quã robore præ-
ſtantes produxerit; conſideret, qui volet. Equidem quia de
procreatione dixi, etiam vtriuſque ſexus inſtitutionem ex-

Educandi ratio a Lycurgo instituta.

ponam. Ex Græcis ergo ceteris ij, qui rectiſſime liberos ſu-
os inſtituere ſe aiunt, vbi primũ pueri norunt ea, quę dicũ-
tur intelligere; mox ſeruos eis pædagogos præficiunt, mox
eos ad magiſtrorum ludos mittunt; vt & litteras, & muſicã,
& quæ ad palæſtram pertinent, diſcant. Præterea puerorũ
pedes calceis teneriores reddũt, & corpora veſtiũ mutatio-
nibus ad molliciem conſuefaciunt; cibi modũ ventre meti-
untur. Lycurgus autẽ pro eo, quod illi ſeorſum ſingulis ſer-
uos prædagogos præficiunt, virum eis præeſſe cũ imperio
voluit, ex illorũ numero, qui magiſtratus ſummos obeunt.
Huic a puerorum gubernatione pædonomi eſt inditũ no-
men, cui quidem poteſtatem plenam * colligendi pueros
conceſſit, & eoſdem puniendi grauiter; inſpectanti, an quis
nequiter

** al. collocandi.*

nequiter agat. Eidem ex ephebis quosdam, qui flagella gestarent, adiunxit: vt quum res posceret, pœnas pueris irrogarent. Quo factum, vt magnum verecundiæ, magnum in pueris obœdientię studium esset. Pro eo vero, quod alij calceis pedes emollirent; iussit, vt nuditate pedes duriores efficeret. Existimabat enim futurum, si ad hoc semet exercitarent, vt multo facilius ardua loca cōscenderent, per decliuia tutius descenderent, exsilirent, prosilirent, currerent discalceati, si quidē pedes adsuefecissent, multo expeditius, quam calceati. Itidem pro eo, quod illi vestibus ad molliciem se comparabant; statuit, vt ad vnum se vestimentum anno toto adsuefaceret: quod putaret hac ipsos ratione tum ad frigora, tum calores rectius instructos fore. Cibi * tātum masculo sumendum censuit, vt præ repletione non grauetur, & penuriam cibi aliquam tolerandi non ignarus sit. Existimabat enim illos, qui sic instituerentur, magis, vbi vsus ita posceret, labores sine cibo toleraturos; magisque futurum, vt si esset imperatum, ab eodem cibo lōgius ad tēpus abstinendo durarent, minus obsonij requirerent, quamuis escam deniq; facilius admitterent. Pręterea putabat alimentum, quod corpora gracilia potius efficeret, quam cibo dilataret, ad salubrius viuendum, & ad incrementum proceritatis adiumenti plus adferre. Vt autem a fame non nimium premerentur, non concessit ille quidem eis, vt sine negotio consequerentur, quibus ipsis opus esset: sed permisit, vt ea furto subtraherent, quibus leuari fames posset. Non tamē eum idcirco ipsis concessisse, vt artificiosa industria sibi victum pararent, quia non haberet, quod aliud illis daret; neminem ignorare arbitror. Nimirū patet eū, qui aliquid furto sit ablaturus, necesse habere, vt noctu vigilet, interdiu fallat, insidias locet, atq; etiā exploratores paret, si quidē aliquid accipere velit. Quamobrē pueros ad hæc omnia condocefaciebat, quod eos ad paranda necessaria sollertiores, adeoq; bellicosiores facere vellet. Fortasse quis dixerit: Cur igitur, si quidē furari bonum quid esse arbitrabatur, multis eum verberibus castigabat, qui deprehendebatur? Nimirū ideo, mea quidem sententia quod aliis etiam in rebus, quas homines docent, non recte aliquid exsequentem plectant. Quamobrē illi quoq; in deprehensos, vt parum peritos fures animaduertunt. Quumq; ingenio-

677

*Lectio marginis.

Furta ciborum a Lycurgo concessa.

ſum eſſe ſtatuiſſet, ſi qui plurimum tritici raperent: eos ta-
678 men ab aliis ad aram* Orthiæ flagris cædi iuſſit. Quo qui-
dem ſignificare voluit, quod is, qui exiguo tempore dolo-
res perfert, diuturna voluptate cum gloria frui poſſit. Præ-
terea ſignificatur hoc ipſo, mollem ac ignauum hominem,
quum celeritate opus eſt, vtilitatis minimum capere, mo-
leſtiæ plurimum. Vt autem pueri etiam moderatore ſuo
abſente, numquam aliquo deſtituerentur, qui eis præeſſet:
inſtituit, vt ex ciuibus, quicumq; præſens quouis eſſet tem-
pore, poteſtatem haberet tum imperandi pueris quod ex
vſu eſſe videretur, tum plectendi ſi quid delinquerent. Qua
re perfecit, vt etiam pueri verecundiores eſſent. Quippe ni-
hil ita neque pueri, neque viri reuerentur, atque præfectos
ſuos. Vt autem ne tunc quidem, vbi forte nullus ætatis viri-
lis adeſſet, rectore pueri ſuo carerent: ſanxit, vt is, qui eſſet
in claſſe qualibet acerrimus, maribus imperaret. Quo fit, vt
iſtic pueri numquam rectore careant. Etiam de puerorum
amoribus dicendum mihi videtur, quod hoc quoque ad in-
ſtitutionem pertineat. Aliis in more Græcis eſt, vt vel con-
iuncti vir ac puer degant, quod fit apud Bœotos; vel formæ
venuſtate muneribus potiantur, quod Eleis in vſu eſt. Non-
nulli ſunt, qui prorſus amatores cum pueris etiam colloqui
vetant. Lycurgus autem his omnibus contraria ſtatuens, ſi
quis vir eſſet eiuſmodi, qualem eſſe deceret, indolemque
pueri admiratus, amicum ſibi ſincerum efficere cuperet, &
cum eo verſari: hoc ipſum laudabat, eamque putabat inſti-
tutionem eſſe optimam. Sin aliquem pueri corpore dum-
taxat capi adpareret, id vero turpiſſimum eſſe ſtatuit: adeo-
que perfecit, vt Lacedæmone omnes inter ſe coniũcti amo-
re tam ſancte caſteque viuerent, quam parentes cum libe-
ris, fratres cum fratribus ſolent. Quæ ſane fidẽ apud quoſ-
dam non mereri, nihil miror. Nam leges in pleriſque ciui-
tatibus libidines eiuſmodi non coercent. Atque hactenus
de inſtitutione tam Laconica, quam ceterorum Græcorum
dictum eſt. Vtra vero promtiores ad parẽdum, & verecun-
diores, & continentiores in iis, vbi neceſſe eſt, viros efficiat;
id etiam conſideret, qui volet. Enimuero poſteaquam e
pueritia tranſeunt ad adoleſcentiam, tum Græci quidem
ceteri pædagogis magiſtriſq; liberos ſuos committere de-
ſinunt, neq; quiſquã amplius eis imperat, ſed iuris ſui fiunt:
Lycur-

*ſcilicet Dianæ. Conſule Pauſaniã in Laconicis. & Plutar. in Lycurgo.

Lycurgus autem his quoque contraria statuit. Nam quod animaduerteret illis, qui hac essent ætate, spiritus a natura maximos inesse, maximamq; petulantiam redundare, cupiditates denique voluptatum vehementissimas adesse: idcirco tunc plurimis eos laboribus subiecit, & occupationes eorum plurimas excogitauit. Quumq; addidisset eum, qui hæc fugeret, expertem fore deinceps rerũ egregiarum omnium: perfecit, vt non tantum publice constituti, sed illi etiam, qui gererent priuatim curam singulorum, operam darent, ne præ secordia remissis animis, contemtui ciuibus vniuersis essent. Præterea quum vehemẽter animis eorum pudorem inserere cuperet, instituit; vt in via manũ vtramque intra vestẽ continerent, incederent taciti, nusquam circumspicerent, ea tantum intuerẽtur, quæ ante pedes essent. Vnde patuit, sexum marem etiam femineo se modestius posse gerere. Sane vocem illorum minus audias, quam si lapidei; minus oculos flexeris, quam si essent ahenei: denique verecundiores esse duxeris, quam sint eæ, quæ in thalamis degunt virgines. Quod si etiam ad *philitium veniant, satis habendum, hoc ex eis audiri, de quo interrogati sunt. Atq; hanc Lycurgus ętati puerili curam adhibuit. Ceterum multo maximam diligentiam puberibus impendit, quod eos duceret, si tales euaderent, quales esse conueniret, plurimum momenti ciuitatis commodis adlaturos. Itaque quum videret illorum, in quorum animis maxime studium contentionis quoddam existeret, & choros auditu, & certamina gymnica spectatu esse dignissima: arbitrabatur, si puberes in contentionem virtutis inter se committeret, etiam illos hoc modo summam fortitudinis laudem adsequuturos. Exponam autem, quo modo inter se hos commiserit. Eligunt Ephori ex eorũ numero, qui ætate sunt vegeta, tres viros, quos *Hippagretas vocant. Eorum quisque centum sibi viros deligit, ac simul declarat, quamobrem alios præferat, alios reiiciat. Itaque illi, qui honorẽ hunc non consequuntur, inimici fiunt tam iis, a quibus reiecti sunt, quam his in electione sibi prælatis: seq; obseruãt mutuo, num aliquid aduersus ea, quæ honesta ducũtur nequiter committant. Atq; hęc est diis acceptissima & inprimis vtilis reipublicæ contentio; qua demonstratur, quid viro forti faciundum sit; & vtrique semet in eo seorsum exer-

679 680

*De Philitio, siue phiditio, id est, publicis epulis, consule Plutarchi Lycurg.

De puberũ studiis.

*ab equitatu colligendo.

sum esse statuisset, si qui plurimum tritici raperent: eos ta-
678 men ab aliis ad aram* Orthiæ flagris cædi iussit. Quo quidem significare voluit, quod is, qui exiguo tempore dolores perfert, diuturna voluptate cum gloria frui possit. Præterea significatur hoc ipso, mollem ac ignauum hominem, quum celeritate opus est, vtilitatis minimum capere, molestiæ plurimum. Vt autem pueri etiam moderatore suo absente, numquam aliquo destituerentur, qui eis præesset: instituit, vt ex ciuibus, quicumq; præsens quouis esset tempore, potestatem haberet tum imperandi pueris quod ex vsu esse videretur, tum plectendi si quid delinquerent. Qua re perfecit, vt etiam pueri verecundiores essent. Quippe nihil ita neque pueri, neque viri reuerentur, atque præfectos suos. Vt autem ne tunc quidem, vbi forte nullus ætatis virilis adesset, rectore pueri suo carerent: sanxit, vt is, qui esset in classe qualibet acerrimus, maribus imperaret. Quo fit, vt istic pueri numquam rectore careant. Etiam de puerorum amoribus dicendum mihi videtur, quod hoc quoque ad institutionem pertineat. Aliis in more Græcis est, vt vel coniuncti vir ac puer degant, quod fit apud Bœotos; vel formæ venustate muneribus potiantur, quod Eleis in vsu est. Nonnulli sunt, qui prorsus amatores cum pueris etiam colloqui vetant. Lycurgus autem his omnibus contraria statuens, si quis vir esset eiusmodi, qualem esse deceret, indolemque pueri admiratus, amicum sibi sincerum efficere cuperet, & cum eo versari: hoc ipsum laudabat, eamque putabat institutionem esse optimam. Sin aliquem pueri corpore dumtaxat capi adpareret, id vero turpissimum esse statuit: adeoque perfecit, vt Lacedæmone omnes inter se coniūcti amore tam sancte casteque viuerent, quam parentes cum liberis, fratres cum fratribus solent. Quæ sane fidē apud quosdam non mereri, nihil miror. Nam leges in plerisque ciuitatibus libidines eiusmodi non coercent. Atque hactenus de institutione tam Laconica, quam ceterorum Græcorum dictum est. Vtra vero promtiores ad parēdum, & verecundiores, & continentiores in iis, vbi necesse est, viros efficiat; id etiam consideret, qui volet. Enimuero posteaquam e pueritia transeunt ad adulescentiam, tum Græci quidem ceteri pædagogis magistrisq; liberos suos committere desinunt, neq; quisquā amplius eis imperat, sed iuris sui fiunt: Lycur-

** scilicet Dianæ.*

Consule Pausaniā in Laconicis. & Plutar. in Lycurgo.

Lycurgus autem his quoque contraria statuit. Nam quod 679
animaduerteret illis, qui hac essent ætate, spiritus a natura
maximos inesse, maximamq; petulantiam redundare, cu-
piditates denique voluptatum vehementissimas adesse:
idcirco tunc plurimis eos laboribus subiecit, & occupatio-
nes eorum plurimas excogitauit. Quumq; addidisset eum,
qui hæc fugeret, expertem fore deinceps rerũ egregiarum
omnium: perfecit, vt non tantum publice constituti, sed illi
etiam, qui gererent priuatim curam singulorum, operam
darent, ne præ secordia remissis animis, contemtui ciuibus
vniuersis essent. Præterea quum vehemẽter animis eorum
pudorem inserere cuperet, instituit; vt in via manũ vtram-
que intra vestẽ continerent, incederent taciti, nusquam cir-
cumspicerent, ea tantum intuerẽtur, quæ ante pedes essent.
Vnde patuit, sexum marem etiam femineo se modestius
posse gerere. Sane vocem illorum minus audias, quam si
lapidei; minus oculos flexeris, quam si essent ahenei: deni-
que verecundiores esse duxeris, quam sint eæ, quæ in
thalamis degunt virgines. Quod si etiam ad*philitium ve-
niant, satis habendum, hoc ex eis audiri, de quo interro-
gati sunt. Atq; hanc Lycurgus ętati puerili curam adhibuit.
Ceterum multo maximam diligentiam puberibus impen
dit, quod eos duceret, si tales euaderent, quales esse conue-
niret, plurimum momenti ciuitatis commodis adlaturos.
Itaque quum videret illorum, in quorum animis maxime
studium contentionis quoddam existeret, & choros auditu,
& certamina gymnica spectatu esse dignissima: arbitraba-
tur, si puberes in contentionem virtutis inter se com-
mitteret, etiam illos hoc modo summam fortitudinis lau-
dem adsequuturos. Exponam autem, quo modo inter se
hos commiserit. Eligunt Ephori ex eorũ numero, qui æta-
te sunt vegeta, tres viros, quos*Hippagretas vocant. Eorum
quisque centum sibi viros deligit, ac simul declarat, quam-
obrem alios præferat, alios reiiciat. Itaque illi, qui honorẽ
hunc non consequuntur, inimici fiunt tam iis, a quibus re-
iecti sunt, quam his in electione sibi prælatis: seq; obseruãt
mutuo, num aliquid aduersus ea, quæ honesta ducũtur ne-
quiter committant. Atq; hęc est diis acceptissima & inpri-
mis vtilis reipublicæ contentio; qua demonstratur, quid vi-
ro forti faciundum sit; & vtrique semet in eo seorsum exer- 680

**De Philitio, siue phiditio, id est, publicis epulis, consule Plutarchi Lycurg.*

De puberũ studiis.

**ab equitatu colligendo.*

cent, vt ſemper ſint præſtantiſſimi, ac res ſi poſtulet, ſingillatim reipublicæ totis viribus opitulentur. Præterea neceſſe eſt, vt integritati virium ſtudeant. Nam vbicumque congreſſi fuerint, ob hanc inter ſe rixam colluctando pugnant. Et dirimere pugnātes cuiuſuis eſt in poteſtate, qui forte interuenerit. Quod ſi quis dirimenti non obtemperet, eum moderator iuuentutis ad Ephoros deducit: a quib. ille mulctatur, acerrimo ſtudio id efficere volentibus, ne quis vmquā ab ira ſuperatus impediatur, quo minus legib. pareat. Qui vero iam pubertatis annos exceſſerunt, e quorum numero magiſtratus ſummi creantur, eos Græci ceteri, detracta virium exercendarum cura, in militiam nihilominus proficiſci iubēt. Lycurgus autē introduxit, vt illa in ætate quam honeſtiſſimum habeatur, venationi operam dare, niſi quod publicum munus impediat: vt etiam hi non minus, quam puberes, perferre labores militares poſſint. Ac prope iam explicatum eſt, quæ cuilibet ætati ſtudia Lycurgus præſcripſerit. Qualem vero victus rationem vniuerſis inſtituerit, iam exponere conabor. Spartanos igitur Lycurgus iis moribus reperit, vt pro Græcorum reliquorum conſuetudine domi ſuæ victitarent. Quumq; animaduertiſſet, in his plurimos nequiter ſe gerere, conuictus illos in publicum eduxit, quod ea ratione futurum exiſtimaret, vt minime imperata tranſgrederentur. Cibum etiam eo modo dari eis iuſſit, vt neque nimium replerentur, neque penuria laborarent. Multa vero etiam præter exſpectationem fiunt de illis * quæ venando capiuntur. Et locupletes nonnumquam prędam venatu captam in commune conferunt. quo fit, vt menſa numquam careat iis rebus, quibus veſcantur, quam quidem diu conuictus ille durat; nec tamen ſumtuoſa ſit. Sublatis etiam potationibus non neceſſariis, quæ tum corpora, tum animos labefactant, poteſtatem eis bibendi reliquit, vbi quiſq; ſitiret. Nam hac ratione putabat potum minime noxium, & lōgè ſuauiſſimum effici. Quamobrem qui fieri poteſt, vt aliquis ex iis, qui ſimul hoc modo victitant, vel gula, vel temulentia ſe, remve ſuam familiarem perdat? Etenim aliis in vrbibus plerumque æquales inter ſe verſantur, inter quos minimum eſt pudoris. Lycurgus vero Spartæ ſic omnia miſcuit, vt illic iuniores ab experientia ſeniorum vt plurimum erudiantur. Nam more patrio com-

*Lectio marginis.

681

memo-

memoratur in publicis illis epulis, quidquid in republica quisq; præclarè fecerit. Quo fit, vt istic minime vel iniuria, vel ex vino petulantia, vel factum turpe, vel turpe dictũ adhærescat. Etiam ad hoc vtiles sunt epulæ foris publicæ, quod obambulare cogantur, vbi domum discedere volunt: atque operam dare, ne præ vino titubent: quippe qui sciant se non ibi mansuros, vbi cœnauerint, & tenebris perinde sibi vtendum, ac die. Non enim cum face licet ei, qui necdum militiæ vacationem impetrauit, incedere. Quum autem animaduertisset Lycurgus eos, qui a cibo se laboribus exercent, & boni coloris & succulentos & robustos esse; qui vero a laboribus abstinerent, tumentes, ac deformes, imbecillosque conspici: ne id quidem neglexit, sed considerans eum, qui sponte sua labores susciperet, exhibere corpus ad quęuis idoneum ac sufficiens: præcepit, vt semper is, qui quolibet esset in gymnasio natu maximus, curam adhiberet, ne vnquam ipsi deteriores euaderent inter eos, qui conuictu eodem vterentur. Qua in re mihi quidem non aberrasse videtur. Nec enim facilè quis homines inueniat, qui Spartanis aut bona valetudine, aut corporis virib. præstent. Nam pariter & cruribus, & manibus, & ceruicibus exercentur. Præterea secus hac etiam in parte iudicabat, quam alij plurimi. Nam ceteris in vrbibus quisque suis liberis, seruis, facultatib. præest. Lycurgus autem, qui efficere vellet, vt ciues nullo sibi inuicem damno dato, etiam commodis quibusdam opera mutua fruerentur, instituit, vt quisque tam suis, quam alienis liberis imperaret. Quod si quis sciat, eos pueros, in quos imperiũ ipse sibi sumit hos vel illos habere patres: necesse est sic eis imperet, quemadmodum & suo vellet imperari. Si quis autem puer verberibus aliquando cæsus ab alio, patri suo id enuntiet: turpe est, non eidem alias insuper plagas addere. Vsq; adeo fidem sibi inuicem habent, nequaquam futurum, vt turpia pueris præcipiant. Sanxit etiam, vt famulis, si eorum opera quis egeat, alienis vti liceat: instituta venaticorũ quoq; canum communione. Itaque si qui canibus egent, ad venationem alios inuitant: ac si cui non sit otium, vt ipse venetur, lubenter canes concedit. Iidem vtuntur & equis. Nam qui æger est, aut vehiculo indiget, vel celeriter aliquo pergere cupit, si vbi equum videat, eum sumit; ac posteaquam illo

recte visus est, restituit. Ne id quidem apud suos fieri voluit, quod ceteris est in vsu. Quippe quum præ venandi studio ita nox eos oppressit, vt necessariis ad victum egeant, eorumque parati nihil habeant: sanxit, vt illi, qui venari desierunt, instructa relinquant; qui vero iis egent, apertis sigillis, & acceptis necessariis, cetera rursus obsignata relinquant. Atq; hoc modo communicatis inter se rebus, etiam illi, qui pauca possident, participes omnium fiunt, quæ regio illa fert, vbi quid suum ad vsum requirunt. Etiam hoc ratione quadam diuersa reliquorum a Græcorum consuetudine Lycurgus Lacedæmone sanxit. Nam aliis in vrbibus omnes quocunque modo possunt rem faciunt. Hic agrum colit, ille nauicularoriæ deditus est: hic mercatura, ille opificio exercendo se alit. Spartæ vero Lycurgus ingenuis, quo minus ea, quibus rem facere possint, adtingant, interdixit: iussis suis, vt illa tantum ad se pertinere ducerent, quæcumque ad libertatem ciuitatibus parandam faciant. Nam cur istic opes aliquis adfectaret, vbi quum ipse instituisset, vt omnes ex æquo rebus ad vitam necessariis potirentur, eademq; ratione victus vterentur, hoc ipsum effectum erat, vt opes voluptatis caussa non expeterentur? Ne vestium quidem caussa pecuniæ studendum. Non enim magni pretij veste, sed corporis egregia constitutione ornantur. Non item propterea, vt contubernalium caussa facere sumtum possint, pecuniæ ipsis cogendæ sunt. Sanxit enim, vt gloriosius habeatur, corporis labore prodesse sodalibus, quam faciendis sumptibus: quorum alterum ab animo, alterum ab opulentia proficisci demonstrabat. Etiam per nefas rem facere, his ipsis rebus vetuit. Nam primum eiusmodi monetam instituit, cuius si tantum in domum inferretur, quantum minas x æquaret; fieri non posset, vt id vel dominis, vel seruis occultum esset. Etenim & amplo id collocari spatio, & plaustro necesse esset vehi. Aurum autem, argentumque perquiri solet, ac sicubi conspectum fuerit, possessor multatur. Cur igitur istic quærendis opibus opera detur, vbi comparatio plus molestiæ, quam vsus voluptatis exhibeat? Enimuero ciues Spartanos in primis & magistratibus & legibus parere, scimus omnes. At ego Lycurgum ne quidem adgressum arbitror egregiam illam reipublicæ con-
683 stitutionem prius quam ciuitatis optimates suam in senten-

tiam

tiam adduxiſſet. Eius rei hoc argumẽtum habeo, quod qui aliis in vrbibus potentiores ſunt, ne videri quidem volunt metuere magiſtratus: adeoque ducunt hoc eſſe ab homine libero alienum. Spartæ vero præſtantiſſima dignitate viri maxime magiſtratus obſeruant, ac ſibi glorioſum putant, ſi humiles ſint, & arceſſiti non gradatim incedendo, ſed currendo ſe parendi ſtudioſos eſſe declarent. Exiſtimant enim, ſi ad ſummam obœdientiam præſtandam duces ipſi fuerint, etiam alios ipſorum exemplum ſequuturos, quod quidem ita accidit. Et conſentaneum vero eſt, hos ipſos Ephororum poteſtatem vna cum Lycurgo inſtituiſſe: quod animaduerterent, obœdientiam ſummum & in vrbe, & apud exercitum, & in familia bonum eſſe. Nam quanto maior magiſtratus poteſtas eſſet, tanto plus terroris ciuibus adlaturam arbitrabatur ad hoc, vt dicto eſſent audientes. Igitur Ephoris virium ſatis eſt ad multandum, quẽ velint, & ſubito multam exigendi poteſtas iiſdem eſt, atque etiam magiſtratus, dum adhuc cum imperio ſunt, loco mouendi, vel carceribus conſtringendi, vel in iudicium de vita vocandi. Tanta quum eorum poteſtas ſit, non quemadmodum aliis ſit in vrbibus, magiſtratus creatos ex animi arbitratu toto anno vti permittunt imperio ſuo: ſed regum inſtar, eorumue præſidum, qui certaminibus gymnicis moderantur, ſi quem in leges aliquid committere animaduertunt, eum mox puniunt. Quumque multa præclare Lycurgus excogitauerit, quibus efficeret, vt ciues legibus obtemperare vellent: in primis hoc pulchrum equidem ſtatuo, quod multitudini leges non prius tradiderit, quam cum optimatibus Delphos profectus, Apollinem conſuluiſſet, an Spartæ ſtatus melior feliciorque futurus eſſet, ſi legibus, quas tuliſſet ipſe, pareret. Is vero quum oraculo reſpondiſſet, omnino id ex vſu fore: tum demum eas tradidit, non modo contra leges, ſed etiam pietatem facturos ſtatuens, ſi legibus oraculo Pythio comprobatis non obtemperaſſent. Hoc etiam in Lycurgo admiratione dignum eſt, quod in ciuitate ſua perfecerit, vt vitæ turpi mors honeſta præferretur. Nam ſi quis rem conſideret, inueniet pauciores ex his perire, quam ex illis, qui e periculo ſubducere ſe malunt. Adeoque verum vt dicam, magis virtutem comitatur incolumitas diuturnior, quam ignauiam. Nam virtus & alacrior eſt, & ſuauior, &

684 expeditior, & firmior. Etiam hoc manifestum est, gloriam inprimis comitem virtutis esse. Etenim viris fortibus omnes adiungere se belli societate volunt. Qua vero arte consequutus sit, vt hoc efficeret; id quoq; rectum erit haud omittere. Nimirum Lycurgus plane præstitit, vt viri fortes beatam, ignaui miseram vitam agerent. Nam aliis in vrbibus quum ignauiter aliquis se gerit, dũtaxat hominis ignaui cognomento notatur: ac nihilominus negotiatur in eodem foro vir ignauus, quo strenuus; ibidem & sedet, & exercet se, si velit. At Lacedæmone quiuis pudendum duxerit, hominem ignauum vel in idem contubernium, vel ad eadem exercitia in luctis admittere. Sæpenumero etiam vir huiusmodi, quum diuiduntur, qui pila ex aduerso ludant, neutram ad partem admissus pro superuacaneo relinquitur: itidemque in choris ad ignominiosa loca reiicitur. In via quoque aliis vt cedat necesse habet, & in consessibus, & inter iuniores vt adsurgat. Præterea vt puellas ad se pertinẽtes alat domi, quæ & ipsæ culpam alienæ ignauiæ sustineant: vt caueat, ne domo prodeat mulier, eoque nomine multam persoluat: vt vnctus nitidusque non obambulet, honestæ famæ homines nõ imitetur, nisi a melioribus verberari velit. Huiusmodi quum ignauos infamia premat, nihil miror, istic mortem adeo probrosæ infamique vitæ anteferri. Videtur etiam mihi Lycurgus egregie lata lege demonstrasse, qua ratione virtus ad senectutem vsque possit exerceri. Nam quia iudicium de senatoribus ad vitæ metam retulit, hoc ipso effecit, vt ne quidem in senecta laudis & honesti studium negligeretur. Hoc quoque dignum admiratione, quod fortium virorum senectuti cõsuluerit. Quia enim sanxit, vt iudicandi de animo ius penes seniores esset: perfecit, vt hominum vegetorum robore senectus sit honoratior. Ac merito sane certamini huic inter alia mortalium certamina studium maximum adhibetur. Nam & ludi gymnici sunt illi quidem egregij, verum ad corpora pertinent: at hoc de senum ordine certamen, de fortib. animis iudiciũ facit. Quanto igitur animus corpore pręstat, tanto maioris animorum certamina, quam corporum, fieri debent. Iam illud etiam in Lycurgo qui non insignem admirationem meretur? quod quum animaduertis-
685 set eos, qui virtutis studiosi non sunt, non posse patriã maiorem

rem ad potẽtiam euehere; omnes Spartæ coegerit in omni se genere virtutum exercere. Itaque vt homines priuati priuatis virtute præstant, & virtutem studiose colentes, eiusdem exercitia negligentibus: sic vrbibus haud dubie cunctis Sparta virtute præstat, quippe quæ sola publice laudis & honesti studio teneatur. An non enim hoc quoq; præclarum, quod quum vrbes ceteræ plectant, si quis in alium iniurius exstiterit: Lycurgus nihilo minus in eum animaduertat, qui se negligẽtem in hoc declarat, vt sit vir optimus? Existimabat scilicet, vti quidem adparet, a plagiariis, vel fraudatoribus, vel furibus, tantũ eos iniuria adfici, qui dãnum accipiunt: ab ignauis autem, effeminatisque totas ciuitates prodi. Quo fit, vt mea sententia maximas his pœnas iure constituerit. Præterea suis necessitatem quandam, quæ recusari nequeat, colendi omnem virtutem ciuilem, imposuit. Nam iis, qui præscripta legib. perficerent, pariter vniuersis rempublicam propriam esse voluit: nulla neq; corporũ imbecillitatis, neq; tenuitatis facultatũ habita ratione. At si quis præ ignauia defugeret labores in obeũdis iis, quæ leges iubent; eum Lacedæmone in numero parium ne quidem haberi debere decreuit. Iam quod hæ leges antiquissimæ sint, patet. Nam Lycurgus Herculis nepotes adtigisse perhibetur. Sed licet antiquæ sint, tamen nunc adhuc maxime nouæ sunt aliis. Etenim quod admiratione dignissimum est, huiusmodi vitæ studia collaudant omnes, imitari nulla ciuitas cupit. Atque hæc quidem communia sunt pacis ac belli bona. Si quis autem cognoscere vult, Lycurgum bellicis etiam in reb. quiddã inuenisse rectius, quam *ceteri: de eo licet hæc audiat. Primum Ephori annos ętatis indicant publice, quibus in militiam tum equitib. tum peditibus armatis, atque etiam opificib. eundum sit. Quo fit, vt quorumcumque opera in vrbibus homines vtuntur eorum omnium Lacedæmonij copiam in castris habeant. Itidem quibuscumq; machinis & instrumẽtis exercitui communiter opus est, ea partim plaustris suppeditari mãdatum est, partim iumentorum subuectione. Nam ea ratione, si quid deest, obscurum minus esse possit. Ad armorum certamina, huiusmodi quædam excogitauit. Vestem eos puniceam habere voluit, & scutum æreum. Existimabat 686
enim, genus hoc vestis minime cum muliebri com-

*vel subaudiẽdum inuenerint, vel certe videtur dicẽdũ, quam ceteros. Æ.P.

mune quidquam habere, ac tale scutum bello aptissimum esse. Nam & celerrime nitescit, & sordes haud facile contrahit. Fecit etiam illis, qui pubertatis annos excessissent, comam alendi copiam: quod eos hoc pacto grandiores, ac vultu magis liberali, terribilioresq; visum iri arbitraretur. Quibus in hunc modum instructis, in sex* cohortes equitatum ac grauem armaturam distribuit. Quælibet autem ciuium cohors polemarchum vnum habet, cẽturiones quatuor, quinquagenum præfectos octo, manipulorum duces sexdecim. Ex his vero cohortibus, vbi sic imperatur, nonnumquam milites per manipulos disponuntur, nonnumquam in ternos, nõnumquam in senos. Quod autem complures existimant, armatorum aciem Laconicam valde implicatam esse: ij vero sequius opinantur, quam sese res habeat. Nam in acie Laconica præfecti loco principe consistunt, & series quælibet habet omnia, quibus repræsentatis opus est. Tam facile est autem, hanc aciei rationem intelligere; vt nemo, qui homines queat adgnoscere, possit vmquam errare. Nam aliis præcedendi munus datum est, aliis imperatum, vt sequantur. Ordinum vero promotiones, tamquam a præcone, manipularis præfecti verbis indicantur; fiuntque phalanges tum rariores, tum densiores: quarum rerum nihil omnino cognitu est difficile. Quod autem hæc acies, etiamsi turbata fuerit, cum obuio quouis similiter dimicari possit: id intellectu facile non est, extraquam iis, qui Lycurgi legibus instituti fuerint. Facillima sunt & ea Lacedæmoniis factu, quæ vel gladiatoribus per esse difficilia videntur. Nam quum in cornu pergunt, sequitur a tergo manipularia series. At si phalanx hostilis ex aduerso interea se ostentauerit, manipulario duci denũtiatur, vt ad frontem* clupeum versus consistat: atque ita fit penitus, donec phalanx hostib. aduersa steterit. Iam si acie ipsorum hoc pacto disposita, hostes a tergo venientes adparuerint; quælibet series euoluitur, vt fortissimi quique semper hostibus oppositi sint. Quod si aliquando dux agminis ad latus læuum sit, ne tum quidem condicione se deteriore esse putant, immo nonnumquam meliore. Nam si qui eos vndique cingere conarentur, non versus partes nudas, sed armis munitas eos circumdarent. Si certa de caussa visum aliquando sit expedire, vt cornu dextrũ ductor obtineat: verso in

* Harum singulæ 500 milites habebãt. Diod. Sicul. lib. 15.

* hoc est, versus sinistram.

687

in cornu agmine phalangem euoluunt, donec ad dextram sit ductor, & agmen extremum ad læuam. Rursus si ab hostibus ad dextram constitutis acies sese ostenderit progredientium in cornu, nihil agunt aliud, quam quod centurias singulas, triremis instar, hostibus velut obiecta prora, conuertunt; qua ratione series ea, quæ extremo est in agmine, *hastam versus constituitur. At si a læuo latere accesserint hostes, ne hoc quidem permittũt; sed repellunt eos, vel aduersas series aduersariis obuertunt. Qua ratione fit, vt extremi agminis series clupeum versus constituatur. Dicam etiam, quo pacto Lycurgus castra esse metanda censuerit. Nam quia quadrati agminis anguli sunt inutiles, in orbem castra ponebat, extra quam si monte tuti essent, vel a tergo murum, fluuiumue haberent. Excubias quidem diurnas instituit; quæ interius castra versus spectarent. Nam amicorum, non hostium caussa illæ constituuntur. Hostes ab equitibus obseruantur iis e locis, de quibus prospici longissime potest. Quod si quis noctu extra phalangem progrediatur, a Sciritis ea de caussa instituit habendas excubias; & hoc tempore præstant id mercenarij milites, quibus aliqui Lacones adsunt. Iam quod cum hastis semper obuersantur, id sciẽdum eadem de caussa fieri, ob quam seruos etiam ab armis arcent. Præterea mirum videri non debet eos, qui ad naturæ necessaria secedunt, neque ab seinuicem, neque ab exercitu longius progredi; quam vti caueant, ne sibi mutuo molestiam creent. Hæc enim securitatis caussa faciunt. Castra sæpius mutant, partim vt hostibus detrimentum adferant, partim vt amicis prosint. Etiam a lege mandatur Lacedæmoniis omnibus, qui expeditionibus intersunt, vt exercitiis vtantur. Quo fit, vt ipsi magis inter se magnanimi euadant, ac supra ceteros indole magis esse liberali videantur. Locus exercitationis & cursus intra id spatium necessario describitur, quousq; cohors ipsa pertinet, ne quis ab suis cõmilitonib. recedat longius. Peractis exercitiis, polemarchus primus vti sedeat, per præconem edicit, quod quidem lustrationis cuiusdam instar est: deinde prandiũ vti sumant, ac speculatorem mox dimittant. Hinc inter se conuersantur milites, ac se quiescendo recreant ante vespertina exercitia. Secundum hæc per præconem denuntiatur, sumendam esse cœnam: & posteaquam hymnos diis cecinerint, 688

*id est, versus dextrã.

quibus est facta res sacra, armis incubando quietem capiendam. Nemo vero miretur, tam multa me scribere. Nam minime quis a Lacedæmoniis omissum aliquid reperiat in re militari, quod quidem curandum veniat. Commemorabo etiam, quam Lycurgus regi potestatem & dignitatem in exercitu adsignauerit. Primo regem, cinctum satellitio, cum iis, qui adsunt regi, ciuitas alit. In eius cõtubernio sunt polemarchi, vt semper illi præsto sint communicandorum consiliorum caussa, si quidem vsus ita postulet. In eodem regis contubernio viri preterea tres ex parium numero degunt, qui quidem eis omnia necessaria procurant; ne ab ylla impediantur occupatione, quo minus res bellicas studiose tractent. Repetam vero altius, quo pacto rex cum copiis in expeditionem domo proficiscatur. Primum domi adhuc sacrum Ioui ductori, & adiunctis ei diis facit, ac si litatum illic fuerit, ignifer siue fetialis sublato ab ara igne, ad regionis fines præcedit, vbi rex Ioui Mineruæque rursum sacrificat. Vbi diis hisce litatum ambobus est, tum deinde limites regionis transit. Atque ab his sacris sublatus ignis præfertur, & numquam extinguitur, sequente omni hostiarum genere. Quoties autem rex sacrificat, primo id crepusculo facere occipit, quasi beneuolentiam Dei cupiens anteuertere. Adsunt sacrificio polemarchi, cẽturiones, quinquagenum præfecti, militum stipendiariorum duces, impedimentis præfecti, ex ciuitatum denique prætoribus cui lubet. Adsunt præterea duo Ephori, qui nihil illi quidem agunt curiosius, nisi a rege adhibiti: sed considerantes tamen, quid quisque faciat, omnes, ceu fieri par est, modestiores reddunt. Posteaquam facta est res sacra, rex arcessitis omnibus, quid faciundum sit imperat. Quo fit, vt si hæc videas, existimes ceteros quidem homines studio subitario rem militarem tractare; Lacedæmonios autem solos reabse bellicorum operum artifices esse. Posteaquam rex ducere copias cepit, si quidem hostis se nullus ostendat; nemo ipsum præcedit, præter Sciritas, & equites exploratores. Sin
689 prœlium committendum esse putant, rex agmine primæ
hoc est, ad dextram. cohortis secum sumto, conuersoque* ad hastam pergit, donec medio inter duas cohortes, ac duos polemarchos loco sit. Qui vero post hos collocandi sunt, illos maximus natu inter eos, qui ad tabernaculum publicũ pertinent, ordinat.

Sunt

Sunt autem hi, quicumque contubernio cū paribus eodem vtuntur, & haruspices, & medici, & tibicines, & copiarum apud impedimenta præfecti, & si qui sponte sua expeditioni adsunt. Quo fit, vt eorum, quæ fieri necesse est, nihil desideretur: quippe quod nihil nō ante prospectū sit. Etiam hęc præclare Lycurgus vtiliterq;, mea sane sententia, ad armatum certamen excogitauit. Nam quum iam hostiū in conspectu capra mactatur, lege constitutū est, vt omnes, quotquot adsunt, tibicines tibia canāt, ac nemo Lacedæmoniorum serto careat. Etiam vt arma polita niteant, edicitur. Iuueni quoq;, ac delecto ad pugnam ineundam permittitur, vt hilarem & egregium se gerat. Atq; hi sane solent etiā manipularium pręfectum incitando cohortari. Nam a quouis manipularium præfecto exterius ad vnumquemq; manipulum nihil auditur. Vt autē omnia recte fiant, polemarchi curæ cōmittitur. Quodnam tempus esse metandi castra videatur, regis est in arbitrio situm: itemq; commonstrandi, quo ea loco muniri debeant. Præterea siue fœderatorū, seu hostium dimittere legationes, ad regem pertinet. Quoties aliquid agendum est, omnes a rege initium sumunt. Si quis iudicio disceptaturus ad regem veniat, ad *Hellanodicas siue Grecorum iudices a rege remittitur: si pecunia quis egeat, ad quæstores: si prædam adferat, ad manubiarum distractores. Quæ quum hoc modo gerantur, rege nihil in exercitu restat negotij, quam vt rerum diuinarum respectu sit sacerdos, humanarū vero, imperator. Quod si quis me roget, an hac etiam tempestate Lycurgi leges immotæ mihi permanere videantur: de hoc profecto non iam equidem amplius audacter aliquid adfirmauero. Nam scio Lacedæmonios pridem maluisse domi modicis cum facultatibus consuetudine mutua vti, quam in præfecturis ciuitatū per adsentationes degenerare. Scio metuisse antehac eos sibi, ne aurū possidere deprehenderētur: iam nonnulli sunt, qui hoc ipso semet ostentant, quod aurum possideant. Præterea scio peregrinos ob eam caussam olim eiectos Sparta fuisse, neque concessas Lacedæmoniis peregrinationes; ne ab exteris ciues improbitatem ac desidiam haurirent. Nunc mihi constat eos, qui loco videtur apud ipsos esse principe, studiose in hoc incubuisse; vt numquam non apud exteros vrbium præfecti essent. Fuit item aliquando tempus,

de his consule Pausaniam in Eliacis.

quum id operam dabant, vt principatu digni essent: nunc id magis enituntur, vt imperent, quam vt imperio digni sint. Itaque fit, vt Græci, qui olim Spartam profecti Lacedæmonios orabant, vt duces aduersus illos essent, qui iniuste agere viderentur, nunc magna ex parte seipsos ad impediendum cohortentur, ne ad Lacedæmonios rerum summa redeat. Neque vero mirum videri debet, quod in has reprehensiones incurrant; quando palam est, eos neque Apollini, neque Lycurgi legibus parere. Lubet etiam commemorare, quæ pacta se auctore Lycurgus inter regem & ciuitatem esse voluerit. Nam solus hic principatus in eodem permanet statu, quo fuit ab initio: ceteras administrationum publicarum formas vel immutatas, vel etiam nunc aliquis mutari comperiat. Sanxit igitur, vt rex pro salute ciuitatis rem diuinam in omnibus sacris publicis faceret, veluti qui ortus a Deo esset. Idem quocumque ciuitas militum copias mitteret, ducis vt munere fungeretur. Adtribuit hoc quoq;, vt de victimis cæsis honoris causa quædã ipse caperet. Præterea tantum agri eximij multis in vrbibus finitimis ad vsum regis secreuit, vt mediocrium quidem illi facultatum copia non desit, non tamen opibus antecellat. Atque vti reges etiam foris aliorum vti contubernio possent, ad hoc eis tabernaculum publicum ordinauit, eumque honorem illic addidit, vt in cœna duplex ipsis portio cederet: non id quidem, vt duplo plus, quam alij, vorarent; sed vt aliquid inde honoris causa dare alij possent, cui libuisset. Præterea regi vtrique potestatem deligendi contubernales binos cõcessit, quos Pythios vocãt. Permisit etiam, vt de omnium scrofarum partu porcum acciperet, ne vmquam rex victimis careret, si qua in re Dij consulendi essent. Propter domum regiam stagnum aquæ copiam suppeditat, quod quidem ad multa per esse vtile, magis intelligunt ij, qui eo carent. Etiam de sella regi adsurgunt omnes, exceptis Ephoris, quũ in sellis Ephoricis consident. Mensibus singulis iureiurando se inuicem adstringunt, Ephori quidem nomine ciuitatis, rex autem suo. Regis iurisiurandum est, regnum se ge-
691 sturum ex præscripto legum latarum: ciuitatis, conseruaturam se regnum ipsius inconcussum, si quidem iusiurandum hoc sancte seruaret. Atque hi honores in patria regi, quam diu viuit, concessi sunt; non illi certe multum priuatorum

torum

rorum honoribus potiores. Etenim neque regibus animos addere tyrannicos voluit, neq; ciuibus eorum potestatem inuisam reddere. Qui autem regi mortuo concessi sunt honores, iis Lycurgi leges indicare volunt, non se Lacedæmoniorum reges vt homines, sed tamquam heroas honore eximio adfecisse.

XEN. ATHEN.

REIPVBLICÆ

Argumentum.

1. Reipub formam, quam Athenienses sunt sequuti, cur Xenophon non probet. 2. Cur pauperes, & plebs Athenis plus posset, quam diuites, & nobiles. 3. Quos magistratus gerere plebs cuperet, quos nobilibus gerendos relinqueret. 4. Popularis dominatus qua ratione conseruetur, ac augeatur. 5. Plebs quid sibi potissimum in Reipub. administratione proponat. 6. Seruorum, & aduenarũ quanta Athenis esset insolentia, & causæ. 7. Populus Atheniensis quæstui quauis arte faciendo quam deditus esset. 8. In iudiciis exercendis non iustitiam: sed vtilitatem spectabat. 9. Populi Atheniensis quanta potestas Athenis esset. 10. Maris imperium terrestri longe commodius, ac vtilius quomodo sit censendum. 11. Quosnam Athenis, & cur comœdiis exagitare liceret. 12. Pecuniis omnia propemodum Athenis vendi consueuerant. 13. Cur de omnibus litibus, causisque non posset quotannis ab Atheniensi populo cognosci sic, vt omnes, qui Athenas, de rebus suis acturi, peterẽt, negotio ex animi sentẽtia cõfecto, domũ redirẽt. 14. Cur Athenieses in vrbib. seditione laborantibus homines deteriores meliorib. anteponerent, iis fauerent, ac aliis aduersarentur. 15. Quibus de causis homines Athenis infames fierent, ac haberentur.

XENOPHONTIS ATHENIENSIVM RESPVBLICA.

Luculentius hæc quoque reddita.



AM in Athenienſium republica, quod eam reipublicæ formam ſequuti ſint, propterea non laudo; quia dum illam prætulerunt aliis, improbos homines meliori eſſe condicione, quam bonos, maluerunt. Atque hæc cauſſa eſt, quamobrem eos non laudem. Quia vero probatæ ſunt eis hæ rationes, equidem oſtendam, rempublicam eos ſuam incolumem conſeruare, atque etiam alia perficere, in quibus aberrare Græcis ceteris exiſtimentur. Primum igitur hoc dicam, merito pauperes ac plebem ibi plus poſſe, quam nobiles & diuites, idque ob hanc cauſſam; quod plebs & rem naualem expediat, & potentiam ciuitati conciliet: adeoque gubernatores, & incitatores nautarum, & quinquaginta remigibus præfecti, & proretæ, & nauium fabricatores illi ipſi ſunt, qui multo magis reipublicæ potentiam amplificarunt, quam ciues, quam nobiles, quam homines frugi. Hæc quum ita ſe habeant, æquum eſſe videtur, vt omnes magiſtratuum dignitatumque participes fiant, ſiue per ſortem, ſeu per ſuffragium; vtque cuiuis ciuium dicere liceat, qui quidem velit. Deinde quotquot magiſtratus, ſiue ſuperiores, ſeu inferiores, toti populo vel ſalutis, vel periculorum auctores ſunt, eorum vti particeps ſit vulgus, non eſt neceſſe: neque plebs ſortes prætorias, neque præfecturas equitum ad ſe pertinere putat. Animaduertit enim, ſe plus emo-
692 lumenti capere, dum magiſtratus hoſce non obit; ſed illis relinquit gerendos, qui plurimum poſſunt. Quotquot vero magiſtratus habent ſtipendia, reique familiari conducunt, hoc etiam vulgus ambit. Quod autem nonnulli mirantur, vbiq; plus eos hominibus nullius momenti, & pauperibus, & plebeis, quam egregiis viris tribuere: in hoc ipſo popularem ciuitatis ſtatum ſe conſeruare declarant. Quippe dum pauperes, & plebei, & nauci homines aliquo loco ſunt, & ad aliquem numerum excreſcunt: ſtatum ciuitatis popu-

popularem augent. Sin diuitibus, & egregiis hominibus bene sit: tum vero plebei vires aduersariis suis adiungunt. Sunt autem vbique terrarum optimates dominatui plebeo contrarij. Nam in optimatibus libidinis ac iniustitiæ minimum est, studium vero rerum honestarum accuratissimum: contra, in plebe plurimum inscitiæ, confusionis, improbitatis. Etenim paupertas magis eos adducit ad turpia, & plerique mortalium propter penuriam neque liberaliter educari, neque recte institui possunt. Fortasse dixerit aliquis, non permittendum esse, vt omnes vel dicendi potestatem habeant, vel senatores sint: sed id peritissimis & præstantissimis viris relinquendum esse. At illi nihilominus in hoc quoque sibi rectissime consulunt, licet futilibus etiam dicendi potestatem faciāt. Nam si dumtaxat egregij viri & orationes haberent, & sententias dicerent: sui similibus prodessent, non autē plebeis. Nunc quum surgat ad cōcionandum aliquis nullius pretij, quicumq; voluerit: facile tum sibi, tum sui similib. quod expediat, inuenit. At inquiet aliquis, ecquid huiusmodi homo boni vel sibi, vel populo possit excogitare? Nimirum intelligunt illi, huius imperitiam ac futilitatem, coniunctam cum beneuolētia, plus sibi prodesse: quam viri egregij virtutem ac sapientiam, cum maleuolentia coniunctam. Potest igitur fieri, vt his moribus ciuitas non efficiatur optima: sed status tamen popularis hac ratione maxime cōseruabitur. Populus enim bene cōstituta republica non delectatur, in qua sibi sit seruiendum: sed liber esse vult, & imperio potiri, ac malum interim ciuitatis statum flocci pendit. Nam quod tu non recte constitutum existimas, idipsum potentiam plebis libertatemque sustinet. Quod si bonum reipublicæ statum requiris, primum videbis in eo peritissimos leges ferre. Deinde boni malos punient, deque republica consultabunt, & homines insanos neque consiliis adesse, neq; orationem habere, ne- 693
que concionari permittent. Quapropter ex his bonis celerrime plebs ad seruitutem reciderit. Seruorum autem, & aduenarum maxima est Athenis petulantia, neque pulsandi eos cuiquam illic ius est, neque seruus tibi cedet. Cur autem hoc moribus illicita receptum sit, equidem exponam. Si consuetudo ferret seruum hominem ab ingenuo verberari, vel aduenam, vel libertum: sæpenumero ciuem aliquis

Athenienſem, quem ſeruũ eſſe arbitraretur, pulſaret. Nam neque veſtitu, neq; forma, quidquã iſtic plebs ſeruis, aduenisue præſtat. Iam ſi quis etiam miratur, quod iſtic & delicate ſeruos, & ſplendide quidem nonnullos viuere patiantur: hoc quoque certo eos iudicio facere conſtat. Nam vbi potentia naualis ab opibus pendet, ibi poſthabitis hominibus liberis, ſeruire mancipiis oportet; vt lucris potiamur, quæ illi ab ſe parta nobis adferunt. Vbi vero ſerui opulenti ſunt, ibi meus vt ſeruus te metuat, non expedit. Lacedæmone quidem meus ſeruus te metuit. Iam ſi me ſeruus tuus metuat, ſane verẽdum, vt res ſuas mihi det, ne quo ſit in periculo. Quamobrem nos Athenienſes æqualitatem quamdam ſeruis & liberis conceſſimus, itemque aduenis & ciuibus; quod aduenarum egeat opera ciuitas, quum propter opificiorum multitudinem, tum rei naualis cauſſa. Hæc inquam eſt ratio, quamobrem merito quędam æqualitas inter ciues & aduenas a nobis facta ſit. Ceterum eos, qui corporum exercitiis ibi, Muſicæq; dediti ſunt ſtudiis plebs nõ ſuſtulit; quod exiſtimaret id expedire, ac ne poſſe quidem ab ſe his dari operam, ſentiret. In chori vero principatu, ac gymnaſiorum, triremiumq; præfecturis, intelligunt penes opulentos eſſe chori principatum, commoda vero in vulgus conferri: eodemq; modo locupletes triremibus & gymnaſiis præeſſe, vulgus autem in triremibus & gymnaſiis verſari. Vult igitur pecuniam accipere vulgus, atque ita canere, currere, ſaltare, nauigare; vt & ipſum habeat aliquid, & diuites reddantur tenuiores. Ne in iudiciis quidem magis eius quod iuſtum eſt, quam commodi ſui rationem

694 habent. De ſociis autem, quod nauigiis eos adeuntes, calumniari & odiſſe videntur egregios illic viros, ita ſentiũt; fieri non poſſe, quin ſubiecti oderint eos, qui cum imperio ſunt, ac ſi maiores locupletum & potentium vires ſint in ciuitatibus, imperium populi Athenienſis haud diu duraturum: ob has inquam cauſas viris egregiis honores adimũt, facultates auferunt, exſilia capitiſque pœnas irrogant, & nihili homines euehũt. Contra, qui Athenienſes frugi ſunt, ij ſalutem virorum egregiorum in ciuitatibus ſociis tuentur; quod animaduertant ſibi ex vſu eſſe, conſeruari ſemper in vrbibus optimates. At dixerit aliquis, in eo vires & potentiam Athenienſium conſiſtere, ſi pecunias eorũ ſocij confer-

conferre possint. At plebeis hominibus magis expedire videtur, vt Atheniensium vnusquisque facultates sociorum obtineat, relicto illis quantum opus sit ad victum & operas exsequendas, ademtaque insidiandi potestate. Hac etiam in parte populus Atheniensis vti consilio malo existimatur, quod socios Athenas nauigare ad petendum ius cogant. Verum illi contra ratiocinantur, quātum in hoc insit Atheniensium populo commodi. Primum est, quod e iudiciis anno toto salaria percipiant. Deinde, quod domo residentes, nullis emissis nauibus, ciuitates socias administrēt; plebeoque statui addictos incolumes seruent, aduersariis eorum in iudiciis oppressis. Quod si iudicia singuli exercerent in patria, nimirum Atheniensibus infensi, eos ipsos de numero suorum opprimerent, quicumque populo Atheniensium inprimis amici essent. Præterea populus Atheniensis, dum ius Athenis socij petunt, hæc lucratur. Primum e centesima in Piræeo ciuitati prouentus maior accedit. Deinde lucrum percipit, cui vel cœnaculis instructa domus est, quæ locare potest, vel iumentum meritorium Itidem sociorum aduentus emolumentum vocantib. in ius præconibus adfert. Præterea si Athenas socij ius petitum non irent, solos ex Atheniensibus illos honoribus adficerent, qui ad ipsos nauigant: nimirum prætores, triremium præfectos, legatos. Nunc vero sociorum vnusquisque populum Atheniensem blandiendo demereri cogitur, quippe qui intelligat, Athenas sibi proficiscendum, causamque agendā non apud alios, quam apud populum. quæ sane lex Athenis est. Etiam in iudiciis supplicare cogitur, & si quis ingrediatur, manum eius prensare. Quæ causa est, quamobrem socij multo magis populo Atheniensi seruiant. Præterea propter id, quod extra fines patriæ possident, & propter magistratus gerendos apud exteros, tacite remo nauem agere tum ipsi, tum comites discunt. Est enim necesse, vt qui sæpius nauigat, remū in man⁹ sumat, tā ipse, quā famulus, reiq; naualis adpellationes discat. Etiā boni gubernatores fiūt, partim propter vsū nauigiorū, partim propter exercitationē. Exercē taut ē sese alij nauigiū minus gubernādo, alij nauim onerariā: ac nonnulli ad triremes hinc transeunt. Complures statim velut in ipso ingressu in naues, remigant: exercitati iā ante nimirū in hoc per omnem vitam. Ceterum terrestris militiæ,

quæ Athenis non ſatis bene comparata eſſe videtur, hæc
eſt ratio. Arbitrantur Athenienſes, hoſtibus ſe & inferio-
res, & ſuperiores eſſe. Sociis vero, qui tributum eis pen-
dunt, longe etiam terra præſtant, ac ſe terreſtribus copiis
præcipue valere putant, ſi ſociis ſint ſuperiores. Præterea
fortuna quadam talis ipſorum eſt condicio. Poſſunt ij, qui
parent in terra continenti aliorum imperio, paruis ex op-
pidis coire, coniunctiſque copiis pugnare. At vero mariti-
morum ſubditorum, hominum videlicet inſularium oppi-
da coniungere vires non poſſunt. Eſt enim in medio mare,
quique rerum potiuntur, etiam maris imperium obtinent.
Quod ſi etiam fieri poſſit, vt inſulares clam in vnam conue-
niant inſulam, fame peribunt. Quotquot autem ciuitates
ſubiectę Athenienſium imperio, in continenti ſitæ ſunt; ea-
rum quæ maiuſculæ ſunt, metus cauſſa parent: quæ mino-
res, propter penuriam. Nec enim oppidum vllum eſt, cui nō
opus ſit aliquid vel importari, vel exportari. Nequit autem
hæc conſequi, ſi non iis obtemperet, qui maris imperio po-
tiuntur. Deinde poſſunt ij, qui mare ſua in poteſtate habēt,
eadem facere, quæ rerum terra domini: nimirum nonnun-
quam vaſtare poſſunt agrum etiam potentiorum. Poſſunt
enim propter ea loca naues adpellere, vbi vel nullus ſit ho-
ſtis, vel pauci: at ſi hoſtes adcurrant, conſcenſis nauib. diſce-
dere licet. Atq; hoc qui facit, minori eſt in difficultate, quā
696 qui terreſtribus cum copiis expeditionem ſuſcipit. Deinde
poſſunt ij, qui maris imperium tenent, ſuis a finibus quam
libet longo itinere nauigare: quum iis, quibus eſt potentia
terreſtris, non liceat multorum dierum itinere ab agro ſuo
diſcedere. Sunt enim tardi progreſſus, & fieri non poteſt, vt
is, qui terra facit iter, commeatum lōgo tempore ſufficien-
tem ſecum ferat. Itidē qui pedes incedit, neceſſe habet, vti
vel per amicorum fines eat, vel pugnādo vincat: qui autem
nauigat, vbi ſuperior eſt, de nauib. poteſt egredi: vbi inferi-
or, præterlegere licet mare proximum ei terræ, donec vel
amicorum ad fines peruenerit, vel eorum, qui ſunt ipſo in-
feriores. Deinde frugum labes, quæ a Ioue ſunt, graues illis
accidunt qui terra rerum potiūtur: qui vero mari, facile has
ferunt. Non enim pariter omnibus regionibus eæ dānum
dant. Quo fit, vt ex ea, quæ fructus vberes tulit, commeatus
ad illos perueniat, quibus mare paret. Quod ſi etiam leuio-

rum quorumdam facienda est mentio, primum propter imperium maris Athenienses ex commerciis mutuis varios epulandi modos inuenerunt. Quidquid rei suauis vel in Sicilia, vel in Italia, vel Cypro, vel Ægypto, vel Lydia, vel Ponto, vel Peloponeso, vel alibi erat: hæc omnia in vnum congesta sunt, propter maris imperium. Deinde quum linguas omnes audiant, aliud ex alia delegerunt. Et Græci quidem magis peculiari tum lingua, tum victus ratione, tum habitus, vtuntur: Athenienses vero mista quadam ex omnibus tum Græcis, tum barbaris. Iam sacrificia, fana, festa, lucos & delubra quod adtinet, quia populus intelligebat, non posse quemuis pauperem sacrificare, epulari, fana sua possidere, ciuitatem pulchram & amplam incolere: quo pacto hæc quoque fierent, excogitauit. Itaque ciuitatis sumtu multæ hostiæ publice mactantur, & populus est is, qui epuletur, & sorte victimas inter se partitur. Gymnasia, lauacra,* apodyteria priuatim homines quidam opulenti habent: at populus sibi peculiariter multas palæstras, apodyteria, lauacra ędificat: plusq; vulgus his fruitur, quã pauci ac beati. Diuitias etiam soli ex Græcis ac barbaris Athenienses habere possunt. Nã si qua ciuitas lignis abũdat ad naues fabricandas, vbinam ea vendet, si non eum, qui maris obtinet imperium, prius sibi conciliauerit? Rursum si qua ciuitas ferri, vel æris, vel lini copiam habeat, vbinam ea vendet, si non prius eum, qui mari potitur, sibi conciliauerit? Atqui ab his ipsis naues mihi sunt, & ab vno ligna, ferrum ab alio, ab alio æs, ab alio linũ, ab alio cera. Præterea non patientur, qui aduersarij nobis sunt, hæc exportari alio, vel mari non vtentur. Equidem qui nihil ex terra cõparo, per mare omnia hęc habeo. Nulla vero ciuitas alia vtrumque horum habet, nec suppetunt eidem ligna & linum: sed vbi maxima lini est copia, ibi regio læuis ac nuda est, & siluis caret. Ne quidem æs, ac ferrum, ex eadem est ciuitate; neque alterius generis duo, vel tria, oppido vni suppetunt: sed hoc huic, illud isti. Præterea iuxta quamuis terram continentem vel litus est porrectum, vel adiacet insula, vel fretũ aliquod. Itaque domini maris istis in locis adpellere possunt, ac illos, qui terram cõtinentem incolunt, damno adficere. Vnum tamen eis deest. Nam si Athenienses insulam incolerent, simulq; maris imperio potirẽtur: facultatem habe-

*loca ante balneas, vbi se loturi exuũt. Spoliaria glossis vocantur.

697

rent ex arbitratu suo lædendi alios, neq; tamen detrimenti
quidquam acciperent, quam quidem diu mari dominarē-
tur, neque vastationem agri paterentur, neque hostis ad-
uentum metuerent. Nunc vero cultores agrorum, & quot-
quot ex Atheniensibus locupletes sunt, hostium ad volun-
tatem sese accommodant; plebs autem, quod sciat eos nihil
rerum suarum neque igni, neque ferro vastaturos, ab omni
metu libera viuit, nec hostibus se summittit. Præterea si in-
sulam incolerēt, ab alio etiam metu essent liberi: nimirum
vt numquam ciuitas a paucis proderetur, neque portæ ape-
rirentur, neque hostes vna irrumperent. Nā quo pacto hæc
insulam incolentibus acciderent? Nec populus inter se dis-
sideret, si insulam habitarent. Nunc enim, si existerent inter
eos seditiones, hac spe tumultuarentur, quod terra hostes
arcessituri essent. At vero si incolerent insulam, nihil esset
cur illud metuerent. Posteaquā igitur ab initio insulam nō
habitarunt, nunc id agunt, vt facultates suas committāt in-
sulis, maris imperio freti; atque interim vastari agrum At-
ticum patiantur. Animaduertunt enim se, si eius misereān-
tur, alia quædam maiora bona amissuros. Præterea necesse
est, vt in societatibus ac fœderibus ciuitates eæ constanter
perstent, quæcunque paucos rerum administrationi præfi-
ciunt. Quod si pactis conuentis non steterint, a quonā pro-
fecta esse iniuria putari possit, quam ab illis paucis, qui pe-
698 pigere? At quæ populus pepigerit, in iis licet ei conferenti
culpam in illum, qui vel suaserit, vel decretum fecerit, ne-
gare se aliis adfuisse, neq; sententiam illorum probasse, qui
de iis, de quibus conuenerit, populum frequentem scisci-
tantur. Idem si aliter sentiat, prætextus innumeros inuene-
rit, quo minus id faciat, quod nolit. Quod si mali quiddam
acciderit ex eo, quod populus sciuit: queritur populus, pau-
cos quosdam homines aduersantes sibi, rem totam corru-
pisse. Sin boni quid euenerit, eius caussam ad seipsū refert.
Salibus comicis in populum agi, eumque proscindi conui-
ciis non patiuntur, ne ipsimet male audiāt: singulos autem
exagitare iubent, si quis ita velit. Norunt enim plerumque
non e populo, neque de plebe illum esse, qui in comœdiis
exagitetur: sed vel opulentum, vel nobilem, vel potentem.
Nimirum pauci ex egentibus ac plebeis exagitantur, ac ne
illi quidem aliam ob caussam, quam propter curiositatem,

&

& quod populo esse potiores quærant. Quo fit, vt homines
huiusmodi exagitari moleste non ferant. Mihi quidem du-
bium non est, intelligere populum Atheniensem, qui sint
egregij ciues, qui nullius momenti. Quumque hoc intelli-
gant, amant eos, qui sunt vtiles ipsis, & commodi, licet nul-
lius pretij sint: egregios autem potius odere. Nō enim exi-
stimant, virtutem multitudini vtilem esse, sed damnosam.
Contra, quum nonnulli natura sint ex plebe, idque reipsa;
non tamen indole plebea præditi sunt. Ac populi quidem
dominatum ipsi populo cōdono. Nam cuiuis sibiipsi com-
modare bona cum venia licet. Verum qui, quum ex populo
non sit, mauult habitare in vrbe populi dominatui subie-
cta, quam in ea, quæ a paucis regatur: is iniuste agere con-
stituit, & scit facilius latere se posse, si malus sit in republica
populari, quam quæ a paucis administretur. Equidem rei-
publicæ Atheniensis rationem non probo, sed quia sic vi-
sum est ipsis, vt imperio populi pareant: recte mihi statum
popularem ciuitatis incolumem seruare videntur, idque
hoc pacto, quo demonstraui. Præter hoc, video nonnullos
eam ob caussam Athenienses reprehēdere, quod interdum
illic responsum nec a senatu aliquis, nec a populo possit im-
petrare, qui totum istic annum hæret. Fitque hoc Athenis
nullam aliā ob caussam, quam quod ob negotiorum mul- 699
titudinem omnes, responso dato, dimittere non possint. Nā
qui possint? quum eos necesse sit primum tot dies festos
celebrare, quot nulla Græci nominis ciuitas celebrat; quib.
occupati minus expedire reipublicæ negocia possunt. De-
inde necesse est eos de tot litibus, caussis publicis, actorum
rationibus cognoscere, de quot ne homines quidem vni-
uersi cognoscunt. Itidem senatus necessario multa de bello
deliberat, multa de ratione pecuniæ conficiundæ, multa de
legum latione, multa de iis, quæ in vrbe quouis tempore
accidunt, multa sociorum agit in negotiis, tributum exi-
git, naualium pariter & templorum curam gerit. An vero
fuerit mirandum, si, quum tot sint negocia, dare omnibus
responsa nequeant? Verum dicunt nonnulli, confici eius
negocium, qui cum pecunia vel senatum vel populum ade-
at. His ego fatebor, multa posse Athenis pecunia impetra-
ri; atque etiam futurum, vt plura impetrentur, si plures pe-
cuniam numerent. Sed scio tamen, ciuitatem non posse

ſufficere ad hoc, vt omnibus ea conficiantur, quæ requi-
runt: ne quidem ſi multo plus auri & argenti quis eis do-
net. De his etiam cognoſci neceſſe eſt, ſi quis nauim non re-
ficit, vel ſi publicum aliquid inædificat. Præterea danda iu-
dicia choragis ad Liberalia, Thargelia, Panathenæa, Pro-
methealia, Vulcanalia, idq; quotannis. Et triremibus qua-
dringenti ſingulis annis præficiuntur, quibus petentib. iu-
dicia quotannis dãda ſunt. Præterea in magiſtratus exami-
na iudiciaque habenda ſunt, inquirendæ cauſſæ pupillares,
cuſtodes captiuorum conſtituendi. Et hæc quidem ſingu-
lis annis agenda veniunt. Interdum & cauſſæ militares diſ-
ceptandæ ſunt, & ſi quod aliud iniuſtum facinus repente
exſtiterit, & ſi nonnulli petulantiam inſolitam & impium
facinus commiſerint. Præter hæc valde multa ſunt, quæ ſi-
lentio prætereo. Maxima vero pars commemorata eſt, ex-
ceptis tributorum indictionibus. Eę plerunq; *quinto quo-
libet anno fiunt. Age igitur, nonne exiſtimãdum eſt, de his
omnibus cognoſci debere? Dicat aliquis, mox eſſe cogno-
ſcendum. At ſi fateri oportet, omnino cognoſcendum eſſe
de omnibus: neceſſe eſt, per annum id fieri. Sed nunc ne

Nota luſtrum, etiam apud Romanos.

700 quidem ad hoc anno toto iudicando ſufficiunt, vt iniuſte
agentes coerceant, idque præ hominum multitudine. Age
vero, dixerit aliquis, iudicare quidem debẽt, ſed pauciores.
Ergo neceſſe eſt, ſi tribunalia pauca inſtituant, vt quolibet
in iudicio pauci ſint. Itaque facile fiet, vt ad paucos iudices
machinatio quædam inſtituatur, & per aduocationes ſen-
tentiæ ferantur iniuſtiores. Præterea cogitandũ eſt, neceſ-
ſarium eſſe Athenienſibus, vt feſtos dies agant, quib. exer-
ceri iudicia nõ poſſint. Et agunt illi dies feſtos duplo plures,
quam alij: quamquã ego plures non ponã illis, quos eã ciui-
tas celebrat, quæ pauciſſimis feriatur. Quæ quum ita ſe ha-
beant, nego poſſe rerum Athenis alium eſſe ſtatum, quã qui
modo ſit: niſi paullatim tolli hoc, illud addi queat. Multum
certe immutari non poteſt, vt non aliquid de populi pote-
ſtate decedat. Nam vt reſpublica melius adfecta ſit, excogi-
tari multa poſſunt: vt autem forma popularis maneat, & ſi-
mul hoc idonee reperiatur, quo melius adminiſtretur, id fa
cile non eſt: extraquam, ſi paullatim, vt modo aiebam, vel
aliquid addatur, vel detrahatur. In hoc quoque Athenienſes
non rectum mihi ſequi conſilium videntur, quod in oppi-

dis ſeditione agitatis deteriores aliis præferant. Faciunt hoc autem certo iudicio. Nam ſi meliores anteferrent, nimirum præferrent eos, qui non in eadem cum ipſis eſſent ſententia. Quippe nulla in ciuitate beneuoli ſunt optimates vulgo, ſed deterrimi quique ſingulis in vrbibus vulgo bene volunt. Exiſtit enim in paribus erga pares beneuolentia. Quapropter etiam Athenienſes ſibi congruentia præferunt. Quoties autem partes optimatium ſequi conſtituerunt, nequaquam hoc eis profuit, ſed breui plebs in ſeruitutem redacta fuit. Id a Bœotis contigit. Rurſus vbi Mileſiorum optimates amplexi fuiſſent, intra modicum tempus illi defecerunt, & plebem trucidarunt. Itidem quum Lacedæmonios Meſſeniis prætuliſſent, non multo poſt ſubactis Lacedæmonij Meſſeniis, bellum aduerſus Athenienſes ſuſceperunt. Fortaſſis autem ſuſpicetur aliquis, neminem Athenis iniuſte ſuis honoribus ſpoliari. Ego vero quoſdam eſſe dico, qui per iniuriam ab honoribus remoti fuerint, ſed paucos. At paucos eſſe non oportet, qui popularem Athenis ſtatum adgredi velint. Quippe ſic ſe res habet, 701
vt nihil animis ij concipiant, quibus iure honores ademti ſunt; ſed illi dumtaxat, quibus hoc immerentibus accidit. Quonam autem modo putare poſſit aliquis, multos Athenis infamia notari, quum illic vulgus hominum magiſtratus gerat? Ex huiuſmodi vero cauſſis infames Athenis exiſtunt, ſi iuſte non gerantur imperia, ſi vel proferantur ad populum, vel fiant, quæ iuſta non ſunt. Hæc qui ſecum expendere voluerit, non eſt quod cogitet, Athenis quidquam eſſe periculi ab iis, quibus irrogata ſit infamia.

XEN. SOCR. DEFENSIONIS AD IVDICES

Argumentum.

1. Animi celsitudo, quam Socrates in contemnenda morte demonstrauit. 2. Generosum Socratis responsum ad eũ, qui de defensione ei cogitandum esse monebat. 3. Quænam sit optima defensionis ratio. 4. Iudicia Athenis qualia fierent. 5. Mors cur innocentibus non sit formidanda. 6. Cur vitæ longioris desiderio viri sana mente præditi flagrare non debeant. 7. Quot, quantaque sint senectutis incommoda. 8. Quænam essent crimina, quorum Socrates accusabatur. 9. Eorum refutatio. 10 Dæmonij nomine quid a Socrate intelligeretur. 11. Apollinis oraculum de Socrate redditum. 12. Socratis encomium. 13. Sapientissimis quibusque parendum, nulla conditionis ipsorũ habita ratione. 14. Familiaribus suis Socrates cur parere noluerit, quum eum ex iudicum manibus surripere vellent. 15. Quibus criminibus capitale supplicium debeatur. 16. Noua criminũ obiectorũ breuis refutatio. 17. Quanta animi præsentia Socrates iniquo iudicio damnatus, ad mortem perrexerit. 18. Præclara Socratis ad mortem fortiter euntis apophthegmata, quibus amicos suam conditionem deplorantes est cõsolatus. 19. Anytus cur Socratem iniquo iudicio damnandum curarit. 20. Anyti singularis improbitas. 21. Victor inter homines quis vere sit censendus. 22. Anyti filius quanam indole præditus, & Socratis acerrimum iudicium de eo factum, exituque comprobatum. 23. Præcipua causa, cur Socrates a Iudicibus fuerit damnatus. 24. Iterum Socratis constantia, fortitudo, virtusque commendatur, qua mortem obire non dubitauit.

XENO-

XENOPHONTIS SOCRATICA DEFENSIO AD IVDICES.



QVIDEM operæpretium esse duco, mentionem a me fieri, quo pacto tunc etiam Socrates, quum in iudicium vocatus esset, tam de purgatione sui, quam exitu vitæ consultauerit: de quo quidem & alij perscripserunt, & omnes magniloquentiam eius sunt adsequuti. Ex quo patet, reuera Socratem sic fuisse loquutum. Non tamen declararunt, quod mortem sibi vitæ præferendam duxerit: quo fit, vt illa verborum magnificentia minus prudens fuisse videatur. Hermogenes autem Hipponici filius, familiaris erat Socrati, & de eo talia protulit; vt illa magniloquentia videatur eius animo recte cõuenisse. Nam is quũ videret ipsum de quauis alia re potius, quam de caussa sua disserere, dixisse se ait: Nonne par erat, mi Socrates, vt considerares, qua tibi vtendum sit defensione? Tum Socratem primo respondisse: Non defendere tibi videor, quum me vitæ cursum peregisse meditor? Rogasse deinde se: qui sic? Quod nihil, ait, iniqui vmquam in vita designauerim, quam ego defẽsionis meditationẽ honestissimam esse arbitror. Quumque rursum dixisset Hermogenes: An non vides in Atheniensium iudiciis sæpe iudices oratione commotos interfecisse illos, qui nihil designauerant: sæpe etiam alios, qui nocentes erant, quum vel oratione commiserationem mouissent, vel magna cum gratia caussam egissent, absoluisse? responsum hoc dedisse Socratem: At mihi profecto bis iam conanti de purgatione circumspicere, numen aduersatur. Heic quum diceret Hermogenes, mira quædam ab eo proferri, respondisse Socratem: Tune mirandum putas, si etiã Deo videatur præstare, vt iam moriar? An nescis, nulli me hominum ad hunc vsq; diem vitæ integrius actæ laudem concessisse? Nã quod iucũdissimum est, sciebam mihi vitam omnem sancte ac iuste trãsactam. Quo fiebat, vt & ipse magnam ex me voluptatẽ caperem, 702

& animaduerterem, familiares meos idem de me sentire. At si nunc ætas mea progrediatur vlterius, scio necessarium esse, vt quæ senectutis sunt, mihi quoque contingant: nimirum vt peius videam, minus audiam, ad discēdum minus idoneus sim: eorum vero, quæ didicerim, facilius obliuiscar. Iam si animaduertā, deteriorem me fieri, grauiterq; hoc feram: qui dicere possim, me iucunde victurum? Fortassis etiam, inquit, Deus ipse hoc mihi quadā ex benignitate præstat, vt non solum opportuno ætatis tempore viuendi finem faciam: sed etiam ratione longe facillima. Nam si modo condemnatus fuero, non obscurum est, posse me vti mortis genere, quod lenissimum esse iudicatū sit ab iis, quibus hoc cognoscere curę fuit, minimumq; negotij sit exhibiturū amicis, quod deniq; in moriente maximū desiderium excitet. Quippe quum nihil indecori, neq; offensionis aliquid in animis eorū, qui adsunt, relinquitur, & ita quispiam extinguitur, vt & sanum habeat corpus, & animum, qui comiter agere cū aliis queat: qui fieri potest, vt hoc non sit optabile? Recte autē dij tunc aduersabantur cogitationib. meis, quū nobis viderētur omni modo effugiendi rationes esse quærendæ. Nā si hoc perfecissem, nimirū comparassem mihi, vt pro eo, quod nunc moriendū est, vel morbis excruciatus vitam clauderem, vel senectute, in quam omnia molesta, planeque ab omnibus gaudiis secreta confluūt. Equidem mi Hermogenes, inquit, hæc profecto non expetam; sed si ea commemorans, quæ consequutū me præclare tum a diis tum ab hominib. puto, quæq; mea sit de meipso opinio, grauis iudicibus ero: mortem potius eligam, quam vt
703 parum ingenue vitam longiorem emendicando, pro morte vitam multo deteriorem lucrer. Quum autem ita decreuisset, iamque accusassent eum aduersarij, quod illos deos, quos ciuitas pro diis haberet, ipse deos non putaret, aliosq; deos nouos introduceret, ac iuuentutem corrumperet: tūc ad iudices accedentem, in hanc sententiam loquutum esse tradit Hermogenes. Ego vero, iudices, primum hoc miror, vnde vmquam Melitus hoc animaduerterit, quod ait me, quos deos existimet ciuitas, pro diis non habere. Nā sacrificantem me communibus festis, & in aris publicis, tum alij, qui coram adsunt, videre; tū Melitus ipse si quidem voluit. Noua vero numina quo pacto ego introducerē, dum dico,
dei

dei vocem mihi obuersari, denuntiantē, quid sit agendum?
Nam qui alitum vocibus, & hominum vtuntur ominibus,
ex vocibus scilicet coniecturas sumunt. De tonitruis an ali-
quis dubitet, num vocem edant, vel maximum sint auguri-
um? Sacerdos item in tripode Pythia, nōne & ipsa voce, quæ
habet a deo, enuntiat? Enimuero deum futuri præscium
esse, ac significare futura cui velit, omnes haud aliter atque
ego, tum dicunt, tum existimāt. Sed alij auguria, & omina,
& coniectores, & vates adpellant eos, qui futura significāt.
Ego vero dæmoniū & numen hoc adpello, meq; arbitror,
dum sic voco, veriora, magisque pia dicere; quam* ij, qui a-
uibus diuinam potestatem adtribuunt. Atqui non mentiri
me contra deum, hoc etiam argumentum habeo. Nam li-
cet amicis plerisq; consulta numinis enuntiauerim, num-
quam tamen in mendacio sum deprehensus. Hæc vbi iudi-
ces audientes tumultuarentur, quia partim dictis fidem nō
haberent, partim inuiderent ei, quod consequeretur a diis
maiora, quam ipsi, rursum dixisse Socratem: Age vero, alia
quoque audite, vt magis etiam ex vobis illi, qui volent, di-
uinitus honorem mihi tributum non credant. Nam quum
Chærephon aliquando Delphis oraculum de me sciscita-
retur in multorum præsentia, respondit Apollo; neminem
hominum me vel liberalioris esse indolis, vel iustiorem, vel
prudentiorem. Posteaquam his etiam auditis iudices ma-
gis tumultuarentur, vt par erat, rursus dixisse Socratem: At-
qui maiora, iudices, deus ille de Lycurgo, qui Lacedæmo-
niis auctor legum fuit, quam de me, oraculis prodidit. Fer- 704
tur enim Lycurgum ingredientem fanum sic adloquutus
esse, vt diceret: Cogito equidem, num te deum adpellem,
an hominem. Me vero deo quidem ille non comparauit,
sed hominibus tamen plurimum præstare censuit. Nihilo-
minus vos ne in his quidem deo temere fidem habueritis,
sed singillatim ea, quæ de me prodidit, considerate. Quem
enim minus me cupiditatibus corporis seruire nostis? quē
liberaliorem? qui a nemine neque munera, neque merce-
dem accipio. Quem vero iustiorem merito existimetis eo,
qui sic ad præsentia semet accommodat, vt alienæ rei nul-
lius egeat? Et sapientem illum virum quis merito non di-
xerit, qui ex quo tempore intelligere quæ dicebantur, ce-
pi; numquam intermisi tum inquirere, tum discere, quid-

Si nihil subauditur, dicendum videtur, quam eos. Æ.P.

quid boni poteram? At minime frustra me laborasse, an non & illa vobis argumento esse videntur, quod multi ciues ex iis, qui virtuti dediti sunt, multi etiam exteri mea cõsuetudine præ omnib. vti maluerint? Quid esse dicem⁹ in caussa, quod quum omnes norint, minime mihi facultates esse ad remunerandum, nihilominus multi cupiant aliquid mihi donare? Cur a me nemo beneficium reposcit, quum complures se mihi gratias debere fateantur? Cur in obsidione suam deplorarunt sortem alij, quum ego vitam degerem nihilo magis difficultatibus impeditam, quam quũ maxime beata ciuitas esset? Quid, quod alij delicias e foro ingenti pretio mercantur, ego sine sumtu suauiores illis delicias ex animo meo comparo? Quod si nemo in iis, quæcumque de me ipso dixi, redarguere mendacij me potest, cur non merito tum a diis, tum ab hominibus lauder? Et nihilominus dicis tu, Melite, me his vtentem institutis corrumpere iuuenes? Atqui nouimus certe, quæ iuuenum corruptelæ sint. Tu dicito, an quem per me scias vel ex religioso impium, vel ex modesto petulantem, vel ex frugi sumtuosum, vel ex sobrio vinosum, vel ex laborum tolerante mollem factum, vel ab alia voluptate praua superatum. At ego profecto, ait Melitus, noui eos, qui abs te persuasi sunt, vt tibi magis obtemperarent, quam parentibus. Equidem hoc, inquit Socrates, de institutione verum fateor.
705 Sciunt enim, hanc meam fuisse curam. De valetudine vero medicis potius homines, quam parentibus obtemperant: & in concionibus omnino Athenienses vniuersi potius iis, qui prudentissime dicunt, quam necessariis suis parent. Annon in delectu prætorum & parentibus vestris, & fratribus, & vero vobis ipsis antefertis eos, quos existimatis rerum bellicarum peritissimos esse? Nimirum o Socrates, inquit Melitus, & expedit ita, & vsu receptum est. An non igitur, subiecit Socrates, mirum hoc tibi videtur esse, quod quum in actionibus ceteris præstantissimi quique non solum pares aliis sint, sed etiam eximio quodam honore ornentur; ego quia maximo in hominum bono, quod institutionis est, quorumdam opinione ceteris præstare iudicer, capitis abs te anquirar? Fuerunt autem plura scilicet his dicta, quum ab ipso, tum ab amicis, qui eius caussę patrocinabantur. Sed mihi nõ omnia recensere,

quæ

quæ in iudicio fuere dicta, studio fuit: sed satis habui osten-
dere, Socratem nihil fecisse pluris quam quod nec in deos
impium, nec in homines iniustum se gessisset. Quo minus
autem morte afficeretur, minime sibi deprecandum puta-
bat: adeoque sibi iam opportunum moriendi tempus ob-
latum esse arbitrabatur. Quam quidem eius fuisse men-
tem, magis etiam patuit, posteaquam iudicum sententia
condemnatus fuit. Primum enim iussus multam exsoluere,
neque de suo eam soluit, neque amicos id facere passus est.
Immo etiam dicebat, multæ solutionem eius esse homi-
nis, qui se iniuste fecisse fateretur. Deinde quum familiares
eum surripere vellent, non solum non obsequebatur; sed
etiam ridere illos videbatur; quum quæreret; ecquem ali-
cubi locum extra Atticam scirent, quo mors non posset ac-
cedere? Posteaquam iudicio finis impositus, dixisse tradi-
tur: Necesse est eos, amici, qui testes docuerunt, vt peieran-
do falsum aduersus me testimonium dicerent, vna cum il-
lis, qui paruerunt, magnæ sibi tum impietatis, tum iniusti-
ciæ conscios esse. Me vero cur animo deiectiore nunc esse
conueniat, quam ante condemnationem: quum non sim
conuictus quidquam eorum fecisse, ob quæ illi me accu-
sarunt? Nec enim pro Ioue, Iunone, diis præter hos cete-
ris, nouos quosdam deos sacrificiis placasse, nec in iureiu-
rando citasse, nec denique me nominasse compertum est.
Iuuenes autem quo pacto corrumperem, ad tolerantiam 706
& frugalitatem eos adsuefaciens? Quibus quidem faci-
noribus mortis pœna proposita est, vt sunt sacrilegia, pa-
rietum furti caussa perfossiones, plagium, patriæ proditio:
eorum nihil me designasse, ipsi aduersarij fatentur. Quo
fit, vt mirandum mihi videatur, quamobrem me dignum
esse morte statueritis. Ne illa quidem de caussa, quod iniu-
ste occidar, animo esse deiectiore debeo. Non enim hoc
mihi, sed iis qui me condemnarunt, dedecori est. Præterea
me Palamedes consolatur, qui cōsimili mortis genere per-
iit. Nam is etiam nunc longe pulchriorem hymnorum
materiem suppeditat, quam Vlysses, qui eum iniuste occi-
dit. Et scio non modo sequuturum, sed etiam præteritum
tempus testimonium mihi perhibiturum, neminem me
vmquam læsisse, neque reddidisse peiorem: sed eos adfecis-
se beneficio, qui mecum disserebant, quum gratis, quid-

quid boni poteram, docerem. Hæc quum dixisset, ita discedebat; vt nihil esset, quod dictis ab ipso non responderet: actum oculis, tum gestu, tum incessu hilaritatem præsefe-rebat. Quumque animaduerteret eos, qui comitabantur, lacrumari: quid hoc est? inquit. modone fletis? non iamdudum scitis, ex quo genitus fui, a natura me ad mortem condemnatum esse? Enimuero si secundis rebus adfluentibus e vita præripior, patet tum mihi, tum aliis, qui beneuolentia me prosequuntur, dolendum esse. Si vero diris rebus imminentibus viuendi finem facio, omnino vobis omnibus, tamquam in rerum mearum successu prospero, lætandum arbitror. Aderat Apollodorus quidam, mirifice studiosus Socratis, ceteroqui vir simplex. Is ad eum: Ego vero, mi Socrates, inquit, molestissime fero, quod iniuste necari te video. Tum Socrates caput eius demulcens, dixisse perhibetur: Tune, carissime Apollodore, videre me malles iure, quam iniuste occidi? Simul subrisisse fertur. Hoc quoque proditum est, quod quum Anytum prætereuntem vidisset, dixerit: Hic vir gloriabundus exsultat, quasi me interfecto magnum præclarumque facinus patrarit; qui quum ipsum maximi viderem in republica fieri, filium eius ad operas coriariorum institui debere negauerim. Quam excors est, ait, qui nescire videatur, quod quicumque nostrum & vtiliora, & præclariora in omne
707 æuum gesserit, is victor sit. Enimuero, inquit, quum Homerus etiam nonnullos, qui erant in exitu vitæ, futura prænoscere fecerit: lubet & mihi quiddam quasi per oraculum significare. Fuit aliquando mecum Anyti huius filius exiguo tempore, visusque est mihi indole non ignaua præditus esse. Itaque aio, non permansurum in illo seruili vitæ genere, quod pater ei præscripsit. Quia vero nullius virtute præditi viri curæ commendatus est, dico futurum, vt in aliquam libidinem fœdam proruat, & in illa secordia longius progrediatur. Hæc dicēs nequaquam mentitus est. Nam adulescens hic, quum vino delectaretur, neque noctu, neque interdiu bibendi finem faciebat: ac tamdem nec patriæ, nec amicis, nec sibi vtilis fuit. Anytus ipse propter educationem filij prauam, & amentiam suam etiam a morte infamis est. Socrates autem, quod magnifice pro tribunali se prædicaret, inuidia contracta; magis iu-

dices

dices ad damnandum ſeſe impulit. Illi equidem fatum diis acceptum obtigiſſe arbitror. Quippe moleſtiſſimam vitæ partem valere iuſſit, & mortis genus inter alia tranquilliſſimum obiit. Idem robur animi ſui declarauit. Nam quum intelligeret, magis ex re ſua eſſe, vt moreretur, quam vt diutius viueret; quemadmodum ad alias res bonas ſe non difficilem ac tardum, ita nec ad mortem lentum mollemue præbuit: immo hilariter eam & exſpectabat, & obiuit. Sapientiam quidem certe, animique magnitudinem quum in hoc viro conſidero: non poſſum nõ eius meminiſſe, nec vbi meminerim, non etiam laudare. Quod ſi quis eorum, qui virtutis ſtudioſi ſunt, cum aliquo verſatus eſt, qui Socrate fuerit vtilior: eum ego virum digniſſimum iudico, qui beatus prædicetur.

XEN. MEMORABILIVM

LIB. I.

ARGVMENTVM.

1. Crimina, quæ Socrati ab accuſatorib. obiiciebantur. 2. Criminum refutatio. 3. Quibus potiſſimũ de cauſis Socrates accuſatus fuiſſet, quod noua numina in Rempub. introduceret. 4. Socratis de Dæmonio, à quo ſe de futuris moneri dicebat, ſententia. 5. Rerum futurarum euentus hominibus quidem ignotus, Diis uero (vel potius Deo) notus. 6. Cur de rebus humanis Dij conſulendi. 7. Quænam ſint ea, de quibus numen diuinum conſulere conuenit. 8. Socratis Mores, & quotidianæ vitæ ſtudia. 9. Socrates quo usq; in bonarũ rerum diſciplinis progrediendum, quid diſcendũ, a quibus abſtinendum, & cur modũ quendam in his ſeruandũ cenſeret. 10. Quibus de rebus quotidie diſſereret. 11. Socratis conſtantia in iuriſiurandi religione fortiter tuenda, quando, quomodo, cur apparuerit. 12. Socrates de diuina potentia, præſentia, atq; prouidẽtia quid ſentiret, quid alij. 13. Cõgeries virtutũ, quib. Socrates erat ornatus, & ad quas ſectandas alios etiã ſuo exẽplo conabatur inuitare. 14. Socraticæ vitæ genus quale fuerit, 15. Socrates erga ſuos familiares, atque diſcipulos quomodo ſe gereret, quid de aliis, qui aliter facerent, ſentiret. 16. Cur ſuadendo potius, quam per vim, ea ſint ab hominibus obtinenda, quæ cupimus habere. 17.

Quomodo Socrates non fuerit autor scelerum, quæ Critias, & Alcibiades, eius discipuli, perpetrarunt. 18. *Critiæ, & Alcibiadis ingenium, mores, studia.* 19. *Cur Socratem audire, eiusque colloquiis, & consuetudine voluerit vti.* 20. *Boni doctoris officium.* 21. *Bonorum discipulorum officium.* 22. *Bonorum, malorumque hominum consuetudo, quid boni, vel quid mali nobis afferat.* 23. *Amor venereus quot, & quantorum malorum autor.* 24. *Virtutes exercitatione comparari posse.* 25. *Critiæ, & Alcibiadis, postquam a Socrate recesserunt, vita qualis fuerit.* 26. *Doctores, qui suum officium faciunt erga discipulos, non sunt accusandi propter discipulorum, qui ab illis postea recesserunt, negligentiam, obliuionem, atque nequitiam.* 27. *Quomodo Socrates Critiam a nefariis amoribus auertere sit conatus.* 28. *Causa præcipua, cur Socratem Critias odio sit prosequutus.* 29. *Nullus ab eo doceri bene potest, quem odit.* 30. *Alcibiadis cum Pericle tutore suo de legibus disputatio.* 31. *Quid Lex sit & quinam legum obseruantes dicantur.* 32. *Vis, & legum euersio quid.* 33. *Enumeratio quorundam Socratis discipulorum, qui se dignos Socrate discipulos ad extremum vsque vitæ spiritum egregie præstiterunt.* 34. *Vera honoris parandi ratio.* 35. *Otij incommoda quot, & quanta.* 36. *Otiosos quosnam Socrates appellaret.* 37. *Quomodo tractandos censeret Socrates eos, qui nec dictis, nec factis, nec sibi, nec aliis vtiles essent.* 38. *Socratis encomium cum purgatione coniunctum.* 39. *Quid a Deo precibus petendum.* 40. *Quæ Sacrificia Deo grata.* 41. *Socratis religio, & frugalitas quanta.* 42. *Eiusdem cum Xenophonte colloquium de continentia, & modestia.* 43. *Repetuntur amoris venerei vis, & mala.* 44. *Osculorũ, quibus formosos, vel formosas osculamur, & veneni, quod Phalangia (hoc autem genus est aranei) sola oris adplicatione, soloque tactu mortalibus iniiciunt, perbella collatio, quæ nos ab istis formosorũ, vel formosarũ osculationibus deterret.* 45. *Socratis cum Aristodemo colloquium de Deo.* 46. *Humani corporis a Deo fabricati descriptio, & præstantia, quæ diuinam prouidentiam, sapientiam, ac potentiam probat.* 47. *Humanæ animæ excellentia diuinitus homini data.* 48. *Continentiæ encomium, & incontinentiæ vituperatio.* 49. *Socratis cum Antiphonte colloquium de vitæ genere, quod Antipho per malignitatem in Socrate damnabat.* 50. *Collatio vitæ Socraticæ, & illius, quam Antipho sequi malebat, vt demonstretur vtrum vitæ genus honestius, iucundius, ac vtilius sit censendum.*

51.

51. Vera ad gloriam via. Alterum huius libri argumentum longe breuius. In hoc libro continentur crimina, quæ Socrati ab aduersariis obiiciebantur, & singulorum prolixa refutatio a vitæ Socraticæ partibus petita, quæ refutatio præclarum Socratis encomium habet, quod aperte demonstrat insignes tanti viri virtutes, & accusatorum malignitatem, calumnias, ac impudentiam. Hic varia Socratis colloquia cum variis hominum generibus habita describuntur, quæ testantur quomodo Socrates exemplo suo, dictis, factisque cæteros mortales ad omne virtutis genus adhortaretur, & a vitiis deterreret.*

XENOPHONTIS MEMORABILIVM LIBER PRIMVS. 708

SÆPENVMERO miratus sum, quibusnam rationibus accusatores Socratis Atheniensibus persuaserint, eum sic erga rempublicam se gessisse, vt morte dignus esset. Nam accusatio instituta aduersus eum, huiusmodi quædam fuit. Agit iniuste Socrates, quod ea numina, quæ ciuitas pro diis habet, deos non putet: alia vero numina noua introducat. Præterea iniuste agit, quod adulescentes etiam corrumpat. Primum igitur, quod pro diis non haberet eos, quos habet hæc ciuitas, quo tandem argumento sunt vsi? Etenim palam sacrificabat, sæpe quidem domi suæ, sæpe communibus in aris totius ciuitatis. Præterea non obscure vaticiniis vtebatur. Erat enim peruulgatum, dicere Socratem: numen pleraque sibi significare. Quæ caussa mihi videtur inprimis fuisse, cur introductorum nouorum numinum culpam in eum conferrent. At Socrates nihil rei magis nouæ introduxit, quam alij, quicumque diuinationem esse statuentes, & auguriis, & omnibus, & præsagiis, & sacrificiis vtuntur. Existimant enim illi, non aues, nec obuios scire, quid ex vsu sit iis, qui diuinatione vtuntur: sed horum opera deos illa significare, quod etiam putabat Socrates. Verum maxima pars ait, se ab auibus, & ab occurrentibus vel auerti, vel incitari,

Socrates autem dicebat id, quod & ſentiebat, nimirum nu-men omnia ſignificare: multiſque familiaribus denuntiabat, vt hæc facerent, omitterent illa, tamquam numine ſibi ea prædicente. Quod ſi qui parerent ei, ſentiebant id ſibi ex vſu eſſe: alios qui non paruiſſent, facti pænitebat. Quis vero non fateatur, noluiſſe Socratem vel ſtolidum, vel adrogantem apud eos videri, qui conſuetudine ipſius vtebantur? vtrumque certe videbatur in eum cadere, ſi denuntiabat, ea ſibi diuinitus indicari, & palam mentiebatur. De quo patet, nihil prædicturum fuiſſe, niſi vera ſe
709 dicturum crediſſet. Quis autem alij fidem in his haberet, quam deo? Iam qui diis fidem habebat, quomodo non eſſe Deos putabat? Enimuero faciebat hæc quoque ad neceſſarios. Auctor illis erat, vt neceſſaria facerent, quemadmodum ea fieri putarent optime. Verum de iis, quorum incertus eſſet euentus, oracula conſultum mittebat ſuos, an ſuſcipienda eſſent. Addebat eos, qui præclare domos & vrbes adminiſtraturi eſſent, arte diuinandi egere. Nam vti quis percipiat ædificandi artem, vel excuſoriam, vel colendi agrum, vel hominibus imperandi, aut huiuſmodi opera examinandi, aut rationes ineundi, aut rem domeſticam adminiſtrandi, aut imperatoriæ peritiam conſequendi; huiuſmodi omnia poſſe homines doctrina conſequi, ſuoque arbitratu eligere dicebat: quæ autem in his eſſent maxima, deos ſibi aiebat reſeruare, eorumque nihil non hominibus obſcurum eſſe. Nec enim conſtat ei, qui agrum egregie conſerit, quiſnam fructum ſit percepturus: nec qui egregie domum ædificat, quis eam ſit habitaturus: nec imperatoriæ rei peritus, an imperatoris munere fungi expediat: nec perito rerum ciuilium, an ex vſu futurum ſit, vt ciuitati præſit: nec qui formoſam ducit, vt ea lætetur, an propter hanc dolorem ſenſurus ſit: nec qui potentes in ciuitate adfines adeptus eſt, an per hos ciuitate ſit exſulaturus. Horum omnium ſi qui nihil ad numen referant, ſed vniuerſa potius ad hominis cōſilium: furere dicebat. Itidem illos etiam aiebat furere, qui per diuinationem explorarēt ea, quæ hominibus diſcendo diiudicandi poteſtas diuinitus eſſet conceſſa: veluti ſi quis conſulat, vtrum moderandi currus peritum, an imperitum præſtet in vehiculum recipere: vel gubernandi peritum in nauem recipere præſtet, an imperitum.

ritum. Quæ item homines numerando, vel metiendo, vel ponderando scire possunt, ea qui a diis quærerent, nefarie ducebat agere. Adeoque necesse esse dicebat, vt quæ homines discendo cognita facere dij vellent, discantur: quæ vero sunt obscura hominibus, in iis conandum, vt per diuinationem dij consulantur. Nam significare deos hæc illis, quibus sint propitij. Erat autem Socrates semper in hominum oculis. Nam mane ad loca deambulationibus & exercitiis destinata pergebat, & quum freques erat forum, conspiciebatur in publico, reliquumque diei degebat istic, vbi versaturus inter plurimos esset. Disserebat autem plerumque, sic tamen, vt ipsum audiendi facultas iis, qui vellēt, esset. Neque vllus vmquam Socrate m impij quidquam, aut 710
nefandi, vel designare vidit, vel audiuit dicere. Nec enim de rerum omnium natura sic disserebat, vti complures alij, nimirum considerans, quo pacto is, qui a professoribus sapientiæ mundus adpellatur, ortus sit; quibusq; de caussis necessariis singulæ res cælestes fiant. Immo eos qui his rebus occuparentur, fatuos esse demonstrabat. Ac primum de eis hoc considerabat, an quod rati se humana iam satis intelligere, ad ea tractanda accederent: an relictis reb. humanis, diuinas contemplantes, quæ sui essent officij se facere putarent. Mirabatur etiam, nō eos clarissime perspicere, homines hæc inuenire non posse. Nec enim eos, qui plurimum adrogent sibi, quod de his disserere norint, easdem inter se opiniones fouere; sed furiosorū instar inter se comparatos esse. Nam qui furiosi sunt, partim quæ sunt terribilia, non metuunt; partim etiam non metuenda metuunt. Itidem his videri turpe esse, in turba quid vel dicere, vel facere; aliis vero, ne exeundum quidem esse ad homines, videri: hos neq; fanum, neque aram, neque rerum diuinarum quidquam in honore habere: illos & lapides, & ligna quælibet, & belluas colere. Itidem eorum, qui de rerū omnium natura sollicite inquirant, aliis videri, vnum quiddā esse quod existat; aliis, esse ea numero infinita. His omnia semper moueri, illis nihil vmquam moueri: his omnia tum oriri, tū interire; illis, nihil vmquam nec ortum, nec interire. Præterea de his illud quoq; considerabat, vtrum perinde ac illi, qui res humanas discunt, arbitrantur hoc, quod didicere, tum sibi, tum aliis, quibuscumque velint, se facere posse; sic & il-

li, qui res diuinas inquirunt, arbitrentur se, postea quam cognouerint, quibus rationibus necessariis singula fiant, effecturos vbi velint, ventos, aquas, temporum vicissitudines, aliaque, si quo sit opus, his consimilia. An eiusmodi quiddam ne quidem sperent, satisque habeant scire tantum, quo pacto rerum huiusmodi singulæ fiant. De illis igitur, qui hæc tractarent, huiusmodi proferebat: ipse de rebus humanis disserebat semper, quum quidem consideraret, quid pium esset, quid impium: quid honestum, quid turpe: quid iustum, quid iniustum: quid mentis sanitas, quid insania: quid fortitudo, quid ignauia: quid ciuitas, quid rerum ciui-
711 lium peritus: quid imperium in homines, quid hominibus imperandi peritus: itemq; de rebus ceteris, quarum cognitione instructos arbitrabatur probos ac honestos viros esse: qui autem eas ignoraret, mancipia merito vocari. Quapropter in iis, de quibus quid sentiret Socrates, non constabat, alucinatos fuisse iudices, mirum videri non debet. Quę autem sciebant omnes, ea non ad animos ipsis accidisse, mirum est. Nam quũ aliquando senator esset, ac sacramentum senatorium præstitisset, quo comprehendebatur, vt secundum leges sententiam diceret; atque etiam pręses populi factus esset, qui * contra leges nouem prætores, Thrasyli ac Erasinidis collegas, vna condemnatione morte multari petebat; decretum, adiuncto suffragio suo, facere noluit. Quumque populus ei succenseret, multique potentes minarentur: nihilominus pluris fecit iurisiurandi religionem, quam studium gratificandi populo contra ius & fas, aliorumque minas vitandi. Etenim deos putabat hominum curam gerere alia quadam ratione, quam vulgo existimetur. Nam plerique putant deos quædam scire, quędam nescire. Socrates autẽ arbitrabatur Deos omnia, quæ vel dicerentur, vel agerentur, vel clam deliberarentur, scire. Eosdem vbiq; adesse, ac de rebus humanis omnia mortalibus significare. Quamobrem mirari subit, quo tandem pacto persuasi fuerint Athenienses, Socratis de rebus diuinis non sanam fuisse sententiam, quum ille nihil vmquam impij in deos vel dixerit, vel commiserit: potiusq; sic de iis & loquutus sit, & in eos se gesserit, vt si quis ea tum dicat, tũ faciat, sit ac putari debeat religiosissimus. Hoc quoq; mirum mihi videtur, persuaderi quosdam potuisse, quod Socra-

Socratis cõstantia.

**Vide supra librum primum Hist. Græc. in extremo.*

Socrates aduleſcentulos corrumperet; qui præter ea, quæ
dicta ſunt primo rerum venerearum, ac gulæ, ſupra omnes
homines continentiſſimus erat: deinde hyemis, æſtatis, la-
borum omnium tolerantiſſimus; atque etiam ſic ad fruga-
litatem inſtitutus, vt quum valde modicum poſſideret,
facillime contentus iis eſſet, quæ habebat. Quo igitur pa-
cto, quū talis eſſet ipſe, reddidit alios vel impios, vel legum
violatores, vel luxurioſos, vel in rebus venereis incontinen-
tes, vel molles ad perferendos labores? Immo vero multos
ab his vitiis reuocauit, vtque virtutis eſſent ſtudioſi, perfe-
cit: etiam iniecta ſpe, futurum, vt ſi ſui ipſorum curam gere-
rent, in viros probos ac fortes euaderent. Neq; tamen vn-
quam hæc ſe docere velle profitebatur, ſed quia conſtabat 712.
eum talem eſſe, in ſpem erigebat illorum animos, qui con-
ſuetudine ipſius vtebantur; futurum, vt ſi ipſum imitaren-
tur, & ipſi tales euaderent. Nec corpus quidem ipſe ſuum
negligenter curabat, ac ſi qui curarent negligenter eos mi-
nime laudabat. Itaque improbabat, ſi quis nimio cibo re-
fertus labores immodicos ſuſciperet; magisque probabat,
ſi quod animus lubenter admiſiſſet, id laborando confice-
retur. Nam eiuſmodi habitum valetudini non parum con-
ducere, ac animi ſtudium haudquaquam impedire aiebat.
Minime vero delicatus erat, aut oſtentandi ſe cupidus, ſiue
veſtitu, ſeu ſubligaribus, ſeu* reliqua vitæ ratione. Ne aua- *Seu reliquo corporis cultu. F. P. 237.
ros quidem efficiebat eos, qui cum ipſo verſabatur. Nam &
aliis a libidinibus eos reuocabat, & a ſtudioſis ſui pecuniam
non exigebat. Qua in re quum abſtinentem ſe oſtēderet, li-
beralitatem exercere ſe iudicabat. Qui autē colloquiorum
& conuerſationis cauſſa mercedem caperent, ſuimet quoſ-
dā quaſi plagiarios adpellabat propterea, quod neceſſario
diſſerere cogerentur ad eos, a quibus mercedem acciperēt.
Mirum ipſi videbatur eum, qui virtutē profiteretur, pecuni-
am exigere; neque maximum lucrum ducere, quod egregi-
um amicum ſibi adiungeret; potiusque metuere, ne is, qui
probus & honeſtus vir factus eſſet; homini optime de ſe me-
rito non etiam maximam gratiam haberet. E contrario ne-
mini Socrates vmquam tale quid policebatur, ſed futurum
credebat, vt qui de numero familiariū ſuorū amplexi fuiſ-
ſent ea, quæ probabat ipſe, toto vitæ tempore tum ſibi, tum
aliis inſignes amici eſſēt. Quo igitur modo vir talis iuuenes

corrumperet? nisi forte virtutis studium corruptelam quis
esse putat. At profectò, dixit accusator, familiares suos tales
effecit, vt leges receptas contemnerent; quum diceret, stul-
torum esse hominum, magistratus ciuitati* faba preficere:
quãdo nemo fabarij nauium gubernatoris operã velit vti,
neque fabri, neque tibicinis, neque aliis in rebus talibus, in
quibus si erretur, multo minora detrimenta capiantur,
quam si peccetur in republica. Tales ille sermones efferre
iuuenum animos aiebat, vt præsentem reipublicæ statum
contemnerent, eosdemque violentos reddere. Verum ego
arbitror eos, qui prudentiam colunt, seq; putant posse ciues
ea docere, quæ expediant, minime violentos fieri: quippe
qui sciant, cum violentia quidẽ inimicitias & pericula con-
iuncta esse, hæc autẽ posse fieri absq; omni periculo, & cum
713 amore ac beneuolentia, persuadendo. Nam qui vi cogũtur,
ita óderunt, vt quib. aliquid ademtum sit: at qui persuaden-
tur, quasi quib. grata res acciderit, etiam amãt. Quamobrẽ
in eos, qui prudentiæ studiosi sunt, minime vis cadit: sed in-
ferre vim, eorum est, qui vires habent absq; consilio. Præte-
rea si quis violenter audeat agere, non paucis egebit sociis:
qui vero persuadere potest, nullo. Nam solum se putat ad
persuadendum satis valere. Quinetiam eiusmodi hominib.
minime accidit, vt quemquam occidant. Quis enim inter-
ficere velit aliquem potius, quam viuum obsequentem ha-
bere? At vero, dicebat accusator, vsi consuetudine Socratis
Critias & Alcibiades, maximis malis ciuitatem adfecerunt.
Nam Critias quidem certe paucorum in dominatu longe
omniũ auarissimus & violentissimus fuit: Alcibiades autem
longe omnium in statu populari fuit intẽperantissimus, &
petulantissimus, & violentissimus. Equidem si quo damno
ciuitatẽ hi duo adfecerunt, non excusabo: quæ autem fuerit
vtriusq; cum Socrate consuetudo, commemoraturus sum.
Erat vterque natura longe omnium Atheniensiũ ambitio-
sissimus, & qui vellent omnia per se geri, vt omnium claris-
simi fierent. Norant autem, minimis facultatib. Socratem
plane contentum viuere, cunctisq; a voluptatib. se prorsus
abstinere: denique illos, quibuscum dissereret, in colloquiis
ita flectere, prout ipse vellet. Quæ quum illi viderent, ac ta-
les essent, quales fuisse paullo ante referebamus: an quis di-
cat, eos incitatos cupiditate vitæ modestiæq; Socraticæ, cõ-
suetu-

*h.e. suffragiis. Nã ad hoc fabis vtebãtur.

suetudinem ipsius expetiuisse: an potius quod existimarent se, si cum ipso versarentur, futuros & ad dicendum, & ad gerendas res promtissimos? Arbitror equidem, si deus optionem vtrique dedisset, vt vel totam vitam sic viuerent, quemadmodum Socratem viderent viuere, vel morerētur: potius mortem electuros fuisse, quod quidem iis rebus, quas gessere, declararunt. Nam vbi primum arbitrabātur, se præstantiores iis esse, qui vna cum ipsis Socrati aderant: mox a Socrate resilierunt, remq; publicam gerendam susceperunt, cuius gratia Socratis studiosi fuerant. Fortasse quis ad hæc responderit, debuisse Socratem nō prius familiares suos in rerum ciuilium scientia instituere, quam vitæ modestiam illi didicissent. Ego vero nihil ad hoc contradico. video tamen omnes eos, qui docent, seipsos discipulis exhibere, quo pacto præstant ipsi, quod docent: atque et- 714
iam eos oratione impellere. Noui Socratem quoque seipsum virum probum & bonum familiaribus suis exhibuisse, deque virtute, ac rebus humanis ceteris, præclarissime disseruisse. Nec non illos duos noui modeste se gessisse, quam quidem diu Socratis vtebantur familiaritate: non quod vererētur, ne a Socrate vel multarentur, vel cæderentur: sed quod putarent, id temporis hoc sibi maxime ex vsu esse. Fortassis autem plerique illorum, qui philosophari se profitētur, dixerint: iustum hominem numquam iniustum fieri, neque ex modesto petulantem: neque in quoquam illorum, quæ discendo percipiuntur, eum, qui didicit, indoctum posse fieri. Verum mea de his diuersa sententia. Video enim perinde, atque corporis actiones ab iis suscipi nō possunt, qui corpora non exercent: sic etiam actiones animi non posse ab iis perfici, qui animum non exercent. Nec enim ea, quæ faciunda sunt, facere: nec ab iis abstinere, a quibus abstinendum erat, possunt. Quæ caussa est, quamobrem parentes filios suos, tametsi modesti sint, nihilominus ab improbis hominib. arceant: quippe quod bonorum cōsuetudo, virtutis exercitatio sit; malorum autem, eiusdem exitium. In quo quidem nobis etiam* poeta testimonio est, qui ait: *Theognis.

Tradent nempe boni bona, sed si vixeris inter
Prauos, amittes quod tibi mentis adest.

quique rursus ait:

Vir bonus interdum male,mox bene ſe gerit idem.

quibus ſane teſtimonio meo & ipſe adſentior. Nam, vti video, perinde atque illi, qui ſe non exercent, carminum certa lege compoſitorum obliuiſcuntur: ſic & pręcepta doctrina ab iis obliuioni traduntur, qui negligẽtes ſunt. Quũ autem aliquis illorum præceptorum obliuiſcitur, quibus ad virtutem excitatur: eorum etiam oblitus eſt, quæ dum percipiendo animus adficitur, mentis ſanitatem ac modeſtiam adpetit. Eum vero, qui horum obliuiſcitur, mirum non eſt,ipſius etiam obliuiſci modeſtiæ. Video etiam illos, qui ad potandi ſtudium plus æquo prouecti ſunt, & amoribus impliciti, minus ea poſſe curare, quæ erat neceſſe; minuſque ſe ab iis abſtinere,a quibus abſtinendum erat.Nam multi, qui etiam pecuniis parcere prius poterant,quã amarent, in amorem prolapſi iam non amplius id poſſunt: abſumtiſque pecuniis,ab iis lucris, a quib.ante ſe cõtinebant,
715 quippe quæ turpia ducerent, abſtinere nequeunt. Cur igitur fieri non poſſit,vt qui ante modeſtus fuerit, deinde non ſit modeſtus: & qui iuſte agere potuerit, deinde non poſſit? Equidem omnia bona & honeſta comparari exercitatione poſſe ſtatuo, maxime modeſtiam. Nam in eodem corpore voluptates animo inſitæ perſuadent ei, ne temperanter ac modeſte ſe gerat, ſed quamprimum & ipſis & corpori gratificetur. Quamobrem etiam Critias & Alcibiades, quam diu cum Socrate verſabantur, quod illum opitulatorem haberent, cupiditates inhoneſtas vincere poterant:verum poſteaquam ab eo diſceſſiſſent, Critias quidem, quum in Theſſaliam fuga ſe recepiſſet, conſuetudine hominum iſtic vtebatur, qui vitam facinoroſam potius, quam iuſtam agerẽt: Alcibiades autem, poſteaquam eum, ob elegantiam formæ, multæ ac ſpecioſæ mulieres venatæ eſſent,atque ipſe propter potentiam,quã & in vrbe,& apud ſocios obtinebat, a multis hominibus, iiſq; adſentandi peritis,diſſolutior fieret, & a populo honorem ei habente coleretur,facileque primas obtineret:perinde ac athletæ, qui gymnicis in certaminibus facile primas adepti ſunt, exercitationem negligunt; ſic & ipſe ſeipſum neglexit. Huiuſmodi ergo quum illis accidiſſent, ac non ſolum ob generis nobilitatem intumuiſſent,ſed etiã propter opes elati eſſent, inflati propter potentiam, diſſolutiores multorum homi-

num

num opera facti,& his adeo vitiis omnibus corrupti, quum etiam longo tempore abfuissent a Socrate, quid mirum erat, eos insolentes euasisse? deinde, si quid ab his peccatũ est, eius culpam accusator in Socratem confert: quod autem eos admodum adolescentes, qua ætate consentaneum est, maxime contumaces & intemperantissimos fuisse, Socrates modestos reddiderit, id vero nulla dignum laude putat accusator? Atqui eo modo de aliis non iudicatur. Quis tibicen, quis citharœdus, quis magister alius, posteaquã discipulos idonee satis instituit, si deinde ad alios profecti peiores euaserint, culpã eius rei sustinet? Quis pater, si fili⁹ eius cum aliquo magistro viuens, modestus sit, deinde alterius vsus consuetudine prauus efficiatur, priorem culpet; ac non tanto magis priorem laudet, quanto peiorem factũ filium apud posteriorẽ, res ipsa declarat? Quin ne parentes quidẽ, quum filios secũ habent, filiis delinquentib. culpam vllam merentur; modo ipsi continenter ac modeste se gerant. Sic 716 ęquum erat etiam de Socrate iudicium fieri. Si quid ipse rei turpis designabat, merito malus esse videbatur: at si constãter summam continentiam coluit, qui fieri potest, vt iure culpam eius vitij sustineat, quod in ipso nõ erat? Quinetiam si nihil ipse delinquens, illos tamen vitiose se gerentes adspiciens, laudabat; iure scilicet reprehendebatur. At vero quum Critiam Euthydemi amore captum, eoque nõ aliter, atque illi, qui corporibus ad venerem abutuntur, frui velle animaduerteret: dehortatus est, quum illiberale esse diceret, neque decorum viro probo & honesto, ab amato, apud quem esse magno velit in pretio, aliquid mẽdicare, ac pauperum instar supplicare, dariq; sibi quidpiam petere, quod ne quidẽ bonum sit. Quibus quum Critias non obœdiret, neq; se auerti pateretur, dixisse Socratem perhibent, quum aliis multis pręsentibus, tũ Euthydemo: accidisse quiddam Critiæ porcorum naturæ consentaneum, qui cõcupiscat ad Euthydemum se adfricare, quemadmodum porcelli soleant ad saxa. Quibus de causis vsque adeo Socratem Critias oderat, vt quum Triginta virum vnus esset, & cum Charicle cura legum condendarum ei mãdata fuisset: hoc ipsum in memoriam ei reuocarit, atque in legibus perscripserit, tradi artem eloquentiæ non debere. Quo ipso notare ignominia Socratem volebat, quum ansam reprehendendi non

haberet, ideoque torqueret in eum, & apud multitudinem criminaretur id, quod vulgo in philoſophis reprehenditur. Etenim ego de Socrate numquam tale aliquid audiui, neque de alio commemorante, quod audierit, comperi. Sed Critias tamen hoc manifeſto prodidit. Quippe quum Trigintauiri complures ciues, eoſque non infimos interfeciſſent, multoſque ad iniuſte agendum impellerent: dixit forte Socrates, mirum videri ſibi, ſi bubulcus quiſpiam, qui & numerum vaccarum imminuat, ac deteriores reddat nō malum ſe bubulcum eſſe fateatur: ſed hoc magis etiam mirum, ſi quis prẹſes ciuitatis factus, & ciues pauciores deterioreſque reddens, non erubeſcat, neque malum ſe ciuitatis præfectum eſſe fateatur. Quod quum ad eos renũtiatum eſſet, arceſſito Socrati Critias & Charicles nō ſolum legem oſtendunt, verum etiam ne cum adoleſcentib. colloqueretur, interdicũt. At Socrates interrogabat eos, ecquid in interdictis, quod nō intelligeretur, quærere liceret. Quibus adſentientibus: Ego igitur, inquit legibus quidem parere ſum paratus, verũ ne per ignorationem aliquid committam, ſcire de vobis aperte volo, vtrum quum dicitis, ab arte dicendi abſtinendum eſſe, hanc ipſam artem iis cõprehendi cenſeatis, quæ recte dicuntur, an quæ nō recte? Nam ſi comprehendatur illis, quæ recte dicuntur: non obſcurum eſt, a recte dicendo abſtinendum eſſe: ſin vero ſit inter ea, quæ non recte; patet operam eſſe dandam, vt recte dicam[9]. Tum excandeſcens Charicles: Quando, inquit, ignoras hoc Socrates, édicimus tibi quiddam intellectu facilius, prorſus vti cum iuuenibus ne colloquaris. Et Socrates: Itaque ne ſit ambiguum, ait, an aliud faciam, quam præſcriptum ſit: definite mihi, ad quot vſque annos exiſtimãdum ſit, homines eſſe iuuenes. Tũ Charicles: Quouſq;, ait, ſenatorib. eſſe non licet, nimirum hominibus iſtis necdum prudentiam cõſequutis. Adeoque cum iis, qui annum trigeſimum non adtigere, ne colloquitor. Ne tunc quidem ſubiecit Socrates, ſi quid emam ego, quod alius necdum annos natus triginta vendit, quãti vendat, interrogabo? Ea vero quẹrere licet, ait Charicles. Sed ſoles tu, Socrates, interrogare: tametſi quo pacto ſe maxima pars habeat, non ignores. Itaque noli hæc quærere. Ergo non reſpondebo, inquit, ſi quis ex me interrogando ſcire cupiat, vbinam habitet Charicles, vel vbi ſit

Critias?

Critias? Huiuſmodi vero licet reſpōdeas, ait Charicles. Critias autem: Ab iis abſtinendum tibi eſt Socrates, inquit, nimirum a ſutoribus, & fabris, & ærariis artificibus. Etenim arbitror abs te iam illorum aures pertuſas loquacitate tua. Ergo, ſubiecit Socrates, ab iis etiam abſtinendū, quæ conſequūtur: a iuſtitia, pietate, ceteris rebus, quæ iuſtæ ſunt. Profecto, ait Charicles, etiā a bubulcis. Quod niſi feceris, caue ne & ipſe vaccas pauciores reddas. De quo iam parebat, renuntiato Socratis ad ipſos ſermone de vaccis, eos Socrati ſuccenſuiſſe. Atq; hactenus quæ Critiæ fuerit cum Socrate co ſuetudo, & quæ alterius ad alterum fuerit adfectio, expoſitū eſt. Dixerim equidē, non poſſe vllū hominem ab vllo inſtitui, qui non placeat. Critias autem, & Alcibiades, verſabantur illi quidē cum Socrate, qui eis nō placebat, quam ſane diu ea conſuetudo durauit: verū ita, vt ſtatim ab initio animū eo adpellerent, quo principē in republica locū tenere poſſent. Nā quo tempore Socrati familiares erāt, non cū aliis diſſerere conabantur potius, quam qui rempublicam in primis tractarent. Proditum eſt enim, Alcibiadem prius, 718
quam viginti natus eſſet annos, cum Pericle tutore ſuo, ciuitatis præſide, de legibus in hanc ſententiam diſſeruiſſe. Mi Pericles, ait, dicito mihi, poſſisne me, quid lex ſit, docere? O[illegible]no, inquit Pericles. Et Alcibiades: Ergo me, per Deos immortales, hoc doceto. Nā equidem, qui prædicari quoſdam audiam, quod legū obſeruantes ſint; iure tribui laudem hāc illi non poſſe puto, qui, quid lex ſit, ignoret. Tu vero, mi Alcibiades, rem non difficilē flagitas, ait Pericles; qui cognoſcere cupias, quid lex ſit. Etenim omnes hæ leges ſunt, quas plebs in vnum congreſſa probatas ſciuit ac promulgauit: declarans, quæ faciunda ſint, quæ non. Vtrū autem ea faciunda ſanxerunt, quæ bona ſunt, an quæ mala? Profecto bona, mi adoleſcēs, ait Pericles, minimeque mala. Iam ſi non plebs, ſed, vti paucorum in dominatu ſit, pauci quidam congreſſi, quid faciundum ſit, conſcripſerint; ea vero quid erunt? Nimirum, ſubiecit ille, omnia, quæcumque pars ea, quæ ſummam in republica potentiam obtinet, inſtituta de iis, quæ agenda ſint, deliberatione ſcripſerit; lex adpellantur. Iam ſi tyrannus etiam ciuitate potitus, quæ ciuib. agenda ſint, perſcripſerit: nū & ea lex ſunt? Nimirum, ait Pericles, quæcumque tyrannus imperans perſcribit, ea

Alcibiadis cum Pericle diſputatio.

quoque lex adpellantur. Quid autem, inquit Alcibiades, vis est, & legum euersio, mi Pericles? an non quum fortior imbecilliorem non persuadendo, sed vim adferẽdo, quodcumque sibi videatur, facere cogit? Equidem ita puto, ait Pericles. Ergo quæcumque tyrannus non persuasis ciuibus perscribit, atque vt illi faciant, cogit: nonne aliena sunt a lege? Id mihi videtur, inquit Pericles. Nam hoc retracto, nimirum legem non esse, quæcumque tyrannus suis non persuasis scribat. Quæ vero pauci, multitudine non persuasa, sed rerum potientes scribunt, num vim esse, vel non, dicemus? Tum Pericles: Videntur, inquit, illa omnia, quæcumque non persuadendo quis cogit aliquem facere, siue scribat ea, siue non, vis potius esse, quam lex. Ergo quęcumque plebs quælibet iis superior, qui locupletes sunt, nõ persuadendo scribet, vis erunt potius, quam lex. Tum dixisse Pericles fertur: Nos etiam, mi Alcibiades, quum istac ætate essemus, peracres in huiusmodi reb. eramus. Nã & meditabamur eiusmodi, & argutabamur, qualia tu mihi nunc meditari videris. Et subiecisse Alcibiadẽ: Vtinam, mi Pericles, id temporis tecũ essem versatus, quũ ingenij acrimonia te-
719 ipsum in his rebus superabas. Vbi primum igitur se hi superiores in his esse arbitrabãtur illis, qui rempublicam gerebant: non iam ad Socratem amplius accedebãt, quod is ceteroquin eis haud placeret; & si maxime accederent, reprehendi se propter ea, quæ designabant, grauiter ferebãt: sed reipublicæ negotia capessebant, quæ vna causa fuerat, quãobrem ad Socratẽ accesserant. Crito autẽ, & Chęrephon, & Chærecrates, & Simmias, & Cebes, & Phædo, & alij pleriq; Socrati familiares erant; qui cũ eo consuetudinem nõ eam ob caussam habebant, vt oratores vel in populi cœtu, vel in iudiciis fierent: sed vt in viros probos & honestos euadentes, recte se erga familiã, domesticos, propinquos, amicos, patriam, ciues denique suos gererent. Quorum quidem nemo neque dum iunior esset neq; prouectior ætate, mali quidpiam vel commisit, vel cõmisisse culpatus fuit. At enim Socrates, inquit accusator, ignominia patres adficere docebat, dum persuaderet, se familiares suos patribus sapientiores effecturum; atque etiam diceret, lege permissum esse, vt aliquis patrem conuictũ amentiæ vinciat: in quo sane hoc argumento vteretur, quod imperitiorem a sapientiore vinciri

ciri ius esset. Immo vero Socrates eum, qui imperitiæ caus-
sa quemquam ligasset, merito & ipsum vinciendum esse
putabat ab iis, qui quod ipse ignoraret, scirent. Adeoq; sæ-
penumero propter huiusmodi, quid imperitia differat ab
insania, dispiciebat: ac furiosos quidem vinciri cum suo, &
amicorũ emolumento, putabat: qui vero ignorarẽt ea quæ
sciri oporteret, merito debere putabat ab iis discere, qui
scirent. At Socrates, inquit accusator, nõ solum vt patribus,
sed ceteris etiã cognatis familiares sui parum honoris exhi-
berent, effecit. Dicebat enim, propinquos nec illis esse vsui,
qui aduersa valetudine laborarent; nec illis, qui iudicio ex-
perirẽtur: sed iis quidẽ prodesse medicos, his vero quotquot
patrocinari scirent. Addebat etiam de amicis eum dicere,
nihil esse cõmodi ex eorũ beneuolentia, si non etiam prod-
esse possint. Eos quoq; solos dicere Socratem dignos hono-
rib. esse, qui & sciant ea, quæ sciri necesse sit, & oratione pos-
sint explicare. Quapropter ipsum persuadendo iuuenibus
se sapientissimum esse, ac ad efficiundum alios sapientes
maxime idoneum, sic adfectos erga se reddidisse familiares
suos: vt nequaquam apud eos alij cuiusquam essent pretij,
cum Socrate comparati. Ego vero memini eũ de patribus,
de propinquis ceteris, de amicis hæc dicere; ac præter hæc,
quamobrem postea, quam migrauerit animus, in quo solo 72
est prudentia, hominis etiam maxima necessitudine con-
iuncti corpus quamprimum elatum e medio tollant. Dice-
bat etiam quemlibet, dum in viuis est, de corpore suo, quod
omnium maxime diligit, quidquid otiosum & inutile sit,
tum per se tollere, tum aliis tollẽdum præbere. Nam homi-
nes ipsi suos vngues, capillos, callos tollunt; eosdemq; me-
dicis cum molestiis ac doloribus amputandos deurendosq;
præbent, eaq; de caussa putant ipsis etiam se mercedẽ debe-
re soluere. Saliuam quoq;, quam possunt longissime, ab ore
exspuunt; quod dum ore continetur, nõ solum nihil prosit,
sed multo magis etiã noceat. Hæc igitur dicebat Socrates,
non ille quidem docens, patrem viuum sepeliẽdum esse, ac
seipsum in frusta concidendum: sed demonstrans id, quod
ratione careat, expers honoris esse. Itaq; etiam hortabatur
suos, curam in hoc adhiberẽt, vti quã prudentissimus quisq;
fieret, ac vtilissimus: quo nimirum siue a patre quis, seu a

fratre, seu alio quopiam honore adfici cuperet, non idcirco negligens esset, quod propinquum se crederet: sed operam enixe daret, vt illis prodesset, a quibus honorem consequi cuperet. Praeterea dicebat accusator, Socratem seligentem de poetis celeberrimis ea, quae essent pessima, eisque testimoniorum loco vtentem, docere familiares suos; vt & facinora quędam improba, & tyrannica molirentur. Hesiodi quidem illud,

Nullum opus esse putes probro, sunt otia probrum,

sic exponere Socratem, quasi poeta nullo iubeat ab opere, nec iniusto, nec turpi abstinere: sed quęstus gratia, hęc quoque faciunda censeat. At enim Socrates, quum fateretur ex vsu hominis, ac bonũ esse, labore occupari; contraq; otiosũ esse, noxium & malum: & operari bonũ; otiari, malũ esse: quoscumq; boni quid facere videret, eos operari dicebat, ac bonos esse operarios; qui vero talis luderent, vel aliud quidpiam praui damnosiq; agerẽt, hos otiosos adpellabat. Quã sententia recte dicitur,

Nullum opus esse putes probro, sunt otia probrum.

*Iliadis libro 2. Idem accusator saepenumero Socratem *Homeri verbis dicebat vsum esse, quod Vlysses,

Si regem nanctus, magna aut virtute virum quem
Conspiceret, verbis hunc demulcebat amicis:
O felix, tibi non ignaui more timendum est,
Verum ipsus sedeas, aliosque sedere iubeto.
721 *At si quem media clamantem e plebe videret,*
Hunc sceptro ferit, & castigans talibus infit:
Infelix, ne te moueas: melioribus aureis
Praebet tuas, animi nullo qui robore praestans,
Non es consiliis vllis, nec idoneus armis.

Haec eum sic interpretari, vt poetam dicat probare, si plebeii pauperesque caedantur. At vero Socrates non hoc agebat, quod illo pacto seipsum esse caedendum existimasset; sed necessario dicebat eos, qui nec oratione, nec facto vtiles essent, neque vel exercitui, vel ciuitati, vel ipsi etiam populo, siquidem ita requireret vsus, possent succurrere; praesertim si etiam accederet audacia omni ratione ac modo coercendos esse, tametsi magnas opes possiderent. Et erat certe Socrates e contrario palam popularis & humanus. Nam quum multos sui studiosos tum ciues, tum exteros habe-

ret, nullam vmquam mercedem doctrinæ caussa exegit, sed omnibus abunde citraque inuidiam sua communicabat: & eorum tamen aliqui partes exiguas quasdam gratis ab eo consequuti, magno aliis vendebant; nec erant, vt ipse, populares. Quippe cum iis, quibus ad largiendum pecunia deesset, sua disserendo communicare nolebant. Socrates autem huic ciuitati ad alios homines etiam multo maius ornamentum conciliabat, quam Lichas Lacedæmoniorum vrbi; qui eo nomine celebritatem adeptus fuit. Nam ludis illis, qui a nudis exhibebantur, Lichas hospitibus Lacedæmonem peregre venientibus, cœnam præbere solebat: Socrates autem, quum per omnem vitam impenderet sua plurimum omnibus non nolentibus proderāt. Etenim eos, qui ad ipsum accedebant, reddebat meliores, ac deinde dimittebat. Quamobrem mihi sane Socrates, qui talis esset, potius vt honore a republica, quam morte adficeretur, dignus esse videbatur: atque si leges etiam consideret aliquis, hoc ipsum inueniet. Nam secundum leges, si quis vel furari, vel grassando vestes auferre, vel crumenas incidere, vel parietes perfodere, vel plagium, vel sacrilegium committere deprehendatur; supplicio capitis adficitur. Ab his flagitiis Socrates longissime supra mortales omnes aberat. Neque vero vt ciuitati bellū aliquod non satis prospere cederet, in culpa fuit; neque seditionis, neque proditionis, neque vllius vmquam mali alterius auctor exstitit. Immo ne priuatim quidem vllum hominem vmquam vel bonis priuauit, vel in mala coniecit: adeoq; nullius horum, quæ diximus, culpam vmquam sustinuit. Quo igitur pacto illi accusationi obnoxius esset, qui pro eo, quod deos esse non putaret, quemadmodum in actione perscriptum erat, palam se deos colere studiosius, quam*homines ceteri, declarabat? ac pro eo, quod iuuenes corrumperet, quando & hoc ei crimen actor impingebat, palam se declarabat in familiaribus, qui prauis libidinibus flagrarent, has ipsas extinguere, ac eos ad pulcherrimæ splendidissimæque virtutis, quæ tam ciuitatibus, quam familiis prosperitatē conciliat, amorem incitare? Atque hæc quum faceret, quo pacto nō dignus erat, qui honore maximo a ciuitate adficeretur? Item quas mihi visus sit familiaribus suis vtilitates adferre, quum partim reipsa demōstraret, qualis esset, partim

Lichas liberalis in hospites.

722

** si nihil subaudiendum videtur dicendum, quā homines ceteros. Æ.P.*

colloquiis ad hoc vteretur: quantum quidem commemini, litteris mandabo. Itaque diuinis in rebus constabat eum & facere, & loqui eo modo, quo Pythia respondet consulentibus, quid faciundum sit vel de sacrificiis, vel de cultu maiorum, vel de alia re quapiam, quæ huius sit generis. Nam Pythia respondet oraculo, pie facturus, si ex instituto ciuitatis hæc agant. At Socrates non solum ita se gerebat ipse, sed etiam alios, vt idem facerēt, cohortabatur. Quod si qui aliter facerent, eos & superstitiosos, & vanos homines esse censebat. Precabatur etiam deos simpliciter, vt bona largirentur: quod dij optime scirent, cuiusmodi res essent bonæ. At qui aurum, vel argentum, vel tyrannidem, vel quid aliud huiusmodi a diis peterent: non dissimile quid petere putabat, quam si aleam, vel prœlium, vel quid aliud earū rerum peterent, quę omnino sunt obscure, cuiusmodi sint euētum habituræ. Quumque de facultatibus exiguis tenuia sacra faceret, nihilo se putabat minus præstare,* quam ij, qui de magnis & copiosis opib. multas & amplas hostias cæderet. Etenim neque decere deos hoc aiebat, vt magnis potius, quam exiguis sacrificiis gauderent, quod alioquin eis improborum hominum sacrificia sæpius essent grata, quam bonorum; neq; vitam magnopere mortalibus optandam esse, si sacrificia scelestorum diis essent acceptiora, quam proborum. Nimirum existimabat deos inprimis honorib. gaudere, quos homines maxime religiosi offerrent. Laudabat & hoc carmen,

Socratis religio.

**fortasse, quam eos, dicendum, vel aliquid subaudiendum. Æ.P.*

Sacra diis, quantum potes, immortalibus offer.

Et aiebat hanc admonitionem, vt pro viribus agamus, ad amicos, ad hospites, ad reliquam vitæ rationem, præcla-
723 ram esse. Quod si quid diuinitus ei significari visum esset, difficilius persuaderi potuisset, vt præter indicata faceret: quam si quis ei suasisset, vt hominis videntis & vię gnari loco, cæcū & ignarum viæ ducem acciperet. Obiurgabat etiam alios ob stultitiam, qui præter illa, quæ diuinitus significata essent, aliquid facerent; idque cauēdi studio, ne apud homines existimationem amitterent. interim ipse res humanas omnes præ diuinis consiliis aspernabatur. Corpus & animū ea viuendi ratione cōsuefecerat, quā si quis vtatur, nisi quid diuinitus impediat, & confidenter & secure possit degere; neque vereri, ne tanti sumtus penuria laboret.

Socratis frugalitas.

Nam

Nam vsque adeo frugalis erat, vt haud sciam, num quis lucrum tam exiguum labore suo facere possit, quod non alendo Socrati sufficeret. Quippe cibi tantum sumebat, quantum iucunde comederet. Ad eum sic paratus accedebat, vt adpetitus ei cibi esset obsonium. Etiam quiuis potus ei gratus erat propterea, quod non biberet, nisi sitiret. Si vero nonnumquam inuitatus ad cœnam vellet accedere, tum id, quod difficillimum est plurimis, cauere scilicet, ne quis se repleat vlterius, quam commodum sit: ipse perquam facile cauebat. Illis autem, qui hoc facere non possent, auctor erat, ab iis vt sibi cauerent, quę suadent, vt tametsi quis non esuriat, nihilominus tamen edat; ac non sitiens, bibat. Hæc enim illa esse dicebat, quæ & ventribus, & capitibus, & animis exitio sint. Quinetiam ridens narrabat, Circē ex hominibus hoc modo fecisse sues, quod multis talibus eos in cœnis exciperet. Verum Vlyssem partim Mercurij monitu, partim quod ipse temperans esset, seque cohibere posset, quominus intempestiue huiusmodi adtingeret; idcirco in suem mutatum non fuisse. Atque huiusmodi de his serio simul, ac ioco proferebat. Præterea quod res venereas adtinet, monebat: vt vehementi studio a formosis abstineretur. Nec enim esse dicebat facile, vt eiusmodi adtingendo, continenter se gereret. Quum Critobulum aliquando, Critonis filium, comperisset Alcibiadis filium, sane quam elegantem, osculatum esse; Xenophontem, præsente Critobulo, interrogabat: Dic mihi, mi Xenophon, non tu Critobulum existimabas potius eorum ex hominum esse numero, qui continenter se gerūt, quam audacium: prouidumque potius, quam amentem ac temerarium? Omnino, inquit Xenophon. At tu velim eum existimes feruidissimum in agendo esse, ac longe cōfidentissimum: ita quidem, vt se vel in enses præcipitem dare, vel in ignem insilire audeat. Et quidnam, subiecit Xenophon, committentem vidisti, quod ita de ipso statuis? Tum Socrates: An non hic ille est, ait, qui filium Alcibiadis, vultu elegantissimo præditum, ac longe formosissimum osculari ausus est? Enimuero si tale quid, inquit Xenophon, temerarium facinus putari debet, etiam ipse videor id adire periculi posse. Miserum vero te, subiecit Socrates: quid euenturum tibi existimas, si formosum osculeris? an non

Socratis et Xenophontis colloquium. 724

ſubito pro libero ſeruus eſſes? non multa in voluptates noxias impenderes? non occupatus impedirere, quo minus honeſtæ alicui, præclaræque rei operam dares? non in ea cogereris incumbere, quæ ne furioſus quidem curauerit? Acrem tu mehercules, inquit Xenophon, ineſſe vim dicis oſculo. Atque hoc, ſubiecit Socrates, num tibi mirum eſt? an neſcis * phalangia, quæ vix oboli dimidij magnitudinem æquant, tantum ori adplicata, doloribus homines conficere, ac mentis alienationem inducere? Ita eſt profecto, ait Xenophon. Nam phalangia morſu ipſo quiddam infigunt. O ſtulte, ait Socrates, an non exiſtimas formoſos oſculando quiddam infigere, quod tu non videas? an neſcis id animal, quod adpellant pulchrum ac formoſum, eo phalangiis eſſe acrius; quod illa quidem tangendo, hoc vero ne quidem tangens, ſi modo ſpectetur, infigat etiam longo ex interuallo aliquid eiuſmodi, quod inſanire faciat? Fortaſſis amores etiam hac ipſa de cauſſa ſagittarij dicuntur, quod qui formoſi ſunt, etiam longo ex interuallo vulnus infligant. Quamobrem, mi Xenophon, auctor tibi ſum, vt vbi formoſum videris, auerſo vultu fugias. Tibi vero, mi Critobule, hoc do conſilij, vt anno toto peregrineris. Nam vix fortaſſe tantum intra ſpatium ex hoc morſu conualueris. Sic nimirum Socrates iis, qui aduerſus res venereas commode muniti non eſſent, etiam ſecedendum putabat in eiuſmodi occaſionibus: vt ſi corpus illis non admodum egeret, animus eas non expeteret: ſin egeret, negotia non faceſſerent. Atque ipſum conſtabat aduerſus eas vſque adeo paratum fuiſſe, vt facilius ab elegantiſſimis ac formoſiſſimis abſtineret, quam ceteri a turpiſſimis maximeque deformibus. Quod igitur cibum, potum, res venereas adtinet, ita ſe comparauerat Socrates, ac ſe nihil quidem minus frui voluptatibus his ad ſacietatem putabat, quam qui vehementer in iis quærendis laborarent, at multo minus
725 doloris percipere. Quod ſi qui Socratem putant, quemadmodum & ſcribunt nonnulli de eo, & loquuntur, quibuſdam argumentis ducti, fuiſſe quidem excellentiſſimum ad impellendos homines ad virtutem, verum eo deducere non potuiſſe, vt in ea profectus aliquos facerent: illi velim non ſolum conſiderent, quæ coercendi cauſſa de iis interro-

*genus aranei. Cōſule Plin. lib.8.

terrogata, qui omnia ſcire ſe putabant, refellebat; ſed etiam ea, quæ cottidie cum familiaribus diſſerebat: atque ita periculum faciant, potueritne ſuos familiares meliorem ad frugem reuocare. Dicam autem primum, quæ aliquando ex ipſo audiui, diſſerente de deo ad Ariſtodemum, cognomento Paruum. Hunc enim quum accepiſſet neque diis ſacrificare, neque preces concipere, neque diuinatione vti, adeoque ridere omnes, qui hæc facerent: Dic mihi, ait, Ariſtodeme, ſuntne homines aliqui, quos ſapientiæ nomine ſis admiratus? Quum ille adſenſus eſſet: Dicito nobis, inquit Socrates, eorum nomina. Equidem, reſpondit is, Homerum in pangendis carminibus epicis admiratus ſum maxime: in dithyrambo, Melanippidem: in tragœdia, Sophoclem: in ſtatuaria, Polycletum: in pictura, Zeuxin. Vtri vero, inquit Socrates, videntur tibi digni eſſe maiori admiratione: num qui ſimulacra mentis & motus expertia perficiunt, an qui animalia mente & efficacitate prædita? Multo magis profecto miror auctores animalium, ſiquidem ea non fortuito, ſed certo iudicio conſilioque facta ſint. Vtra vero vel fortuita, vel conſilij iudicas eſſe opera: num ea, de quibus adſequi coniectura non licet, quanam de cauſſa facta ſint: an quæ manifeſto ſunt ad vtilitatem aliquam relata? Nimirum ea profecta eſſe a conſilio conuenit opera, quæ vtilitatis cauſſa fiunt. * An non igitur tibi videtur is, qui ab initio fecit homines, vtilitatis cauſſa eis addidiſſe, per quæ ſenſu perciperent ſingula: nimirum oculos, vt ea cernerent, quæ cerni poſſunt: aures, vt audirent, quæ audiri poſſunt? Odorum certe, ſi nares additæ non fuiſſent, quis nobis exſtitiſſet vſus? Quinam ſenſus fuiſſet rerum dulcium, & acrium, & ſuauium illarum omnium, quę ore percipiuntur, ſi non lingua in nobis fuiſſet cõdita, quæ harum eſt exploratrix? Præterea non tibi videtur hoc quoq; putandum eſſe prouidẽtiæ opus, quod quum viſus imbecillis ſit, palpebris hunc quaſi foribus munierit, quæ vbi viſu opus eſt, aperiuntur; obrepente ſomno, clauduntur? Vt autem ne vẽti quidẽ nocerent, cilia quaſi cribrum a natura quoddam addidit; ac ſuperciliis, quaſi quibuſdã ſuggrundiis, quę ſupra oculos ſunt texit: vt ne quidẽ ſudor de capite manans eos læderet. Quod itẽ auditus voces omnes excipiat, num-

Ariſtodemum conuincit Socrates.

**Locus a Cicerone tactus in II de natura deorũ.*

726 quam tamen repleatur : quod dentes anteriores vniuerſis animalibus dati ſint velut ad ſecandum, molares vero ad comminuendum, quæ ab iis acceperint: quod os, per quod immittuntur in animalia, quæcumque ab eis adpetuntur, prope ab oculis & naribus collocarit: quumque moleſta ſint, quæ excernuntur, canales horum auerterit, vt quam remotiſſime ab ipſis ſenſibus auveherentur: hæc igitur tam prouide facta, fortuitane opera ſint, an a conſilio profecta, dubitas? Minime profecto, inquit, ſed mihi ſic ea conſideranti ſapientis cuiuſdam opificis, & animantium ſtudioſi artificium præſeferre videntur. Iam quod cupiditatẽ procreandæ ſubolis indiderit, ac matribus cupiditatem educandi, educatis maximum vitæ deſiderium, maximumque mortis metum : nimirum hæc quoque videntur illius eſſe artificiis conſentanea, qui vt eſſent animalia, certo conſilio conſtituerit. Tu vero non teipſum aliquid habere prudentiæ putas? Interroga me, ac reſpondebo. An vero nuſquam alibi quidquam eſſe putas prudentiæ ? præſertim quum ſcias, quod exiguam terræ partem habeas in corpore, quum ea magna ſit: quod parũ habeas humoris, quum humor multus ſit: itemque de ſingulis rebus ceteris, quæ magnæ ſunt, exiguam partem quum accepiſſes, ita deinde corpus tuum compactum fuit. Mentem vero, quę ſola nuſquam eſt, quodammodo feliciter prehendiſſe te putas; atque hæc ampliſſima, numeroque infinita per dementiam quamdam in hunc ordinem eſſe redacta putas ? Ita profecto, inquit Ariſtodemus. Nam auctores non video, ſicut earum rerum opifices cerno, quæ heic fiunt. Nimirum tu ne tui quidem ipſius animum cernis, qui rerum in corpore potitur. Ideoque, ſi ita velis, licet tibi dicere, nihil te iudicio tuo facere, ſed omnia fortuito. Tum Ariſtodemus: Ego, mi Socrates, inquit, numẽ non ſperno : ſed arbitror id eſſe magnificentius, quam vt cultu meo indigeat. Immo, ait Socrates, quanto magnificentius tui curam habere dignatur, tanto magis honore vult abs te adfici. Equidem, inquit Ariſtodemus, ſcire te volo, non me Deos neglecturum, ſi putarẽ eos res humanas curare. Tu ergo curare ipſos res noſtras non arbitraris, quum primo inter animalia cetera ſolum illi hominem erectum eſſe voluerint, (& habet hoc erecta figura, vt proſpici longius poſſit, & rectius ſuperna ſpectari,

De prouidentia.

ſpectari, & vt minus lædamur) atque etiam viſum, auditum, os addiderint. Deinde ceteris quidem, quæ humi repunt, pedes dederunt, qui ſolum hoc eis præbent, vt incedere poſſint: homini vero etiam manus addiderunt, quæ 727
plurima perficiunt, ob quæ ceteris illis beatiores ſumus. Linguam vero quum animalia cuncta habeant, ſolam humanam eiuſmodi condiderunt, vt ore alias alibi contacto, vocem quaſi articulet, omniaque ſignificet, quæcumque ſignificare nobis inter nos libeat. Iam quod rei venereæ voluptates animalibus ceteris ita dederint, vt certum anni tempus eis præſcripſerint, quum nobis ad ſenectutem vſque has continuo ſuppeditent, quale quiddam eſt? Neq; qualc eſt.
tamen ſatis hoc deo fuit, vt corporis curam haberet: ſed, quod maximum eſt, etiam præſtantiſſimum animum hominis naturæ dedit. Nam cuius alterius animalis animus deprehendit primum de diis, qui hæc ampliſſima longeq; pulcherrima conſtruxerunt, eos eſſe? Quod item aliud genus, præter homines, deos colit? Quinam alius animus humanum ſuperat in præcauenda fame, ſiti, frigoribus, caloribus: vel in medendo morbis, vel exercendo robore, vel ampliori doctrina comparanda, vel in eorum memoria retinenda, quæcumque vel audierit, vel viderit, vel didicerit? An enim plane tibi manifeſtum non eſt, homines inter animalia cetera quaſi deos quoſdam viuere, longe ab ipſa natura tum corpore tum animo ceteris præſtantes? Nec enim ſi bouis haberet corpus, mentem autem hominis: facere, quæ voluiſſet, potuiſſet: nec illa, quæ manus quidem habet, ſed mente carent, cæteris præſtant. Tu vero quum vtrumque pretii longe maximi conſequutus ſis, non curare te deos arbitraris? At quidnam vbi fecerint, curam eos habere tui putabis? Quum miſerint, inquit Ariſtodemus, quemadmodum tu dicis eos mittere, conſiliarios eorum, quæ vel agenda, vel non agenda ſint. Verum vbi quid Athenienſibus, ſubiecit Socrates, per diuinationem conſulentibus reſpondent, annon tibi quoque reſponderi putas? Non quum ceteris Græcis, quũ hominibus vniuerſis portenta mittunt, quibus aliquid ante denuntiant? Te ſcilicet ſolum eximentes, extra curam ſuam collocant? Num arbitraris deos hominibus opinionem indituros fuiſſe, quod & beneficiis, & pœnis adficere poſſint, ſi non reuera id poſ-

ſent? Et homines arbitraris perpetuo deceptos horum nihil vmquam ſenſiſſe? Non vides, quod quæ inter res humanas & antiquitatis & ſapientiæ principatum tenent, nimirum vrbes & nationes, diuino cultui ſint addictiſſimæ; quodq; hominum ætates prudentiſſimæ res diuinas maxi-
728 me curent? Diſce, inquit, o bone vir, etiam mentem tuam, dũ ineſt corpori, ex arbitratu ſuo corpus gubernare. Quãobrem exiſtimandum eſt, illam quoque ſapientiam, quæ eſt in hoc vniuerſo, ſic omnia regere, quemadmodum ipſi gratum eſt: non oculum tuum ad multa vſque ſtadia pertingere poſſe, & nõ poſſe dei oculum ſimul omnia intueri: neque animum tuum tã de rebus, quæ heic accidunt, quam de illis, quæ in Ægypto, & Sicilia, cogitare poſſe: & nõ poſſe dei ſapientiam ſimul omnia cura ſua cõplecti. Enimuero ſi, quemadmodum animaduertis, dum homines colis, qui te viciſſim colere velint; ac dum gratificaris, qui viciſſim velint gratificari; dum conſulis alios, quinam prudentes ſint, perſpicis; eodem modo deos etiam colẽdo periculum feceris, an quid tibi velint iis de rebus, quæ hominibus obſcuræ ſunt, conſulere: tum vero intelliges numen tantum ac tale eſſe, vt omnia pariter videat, & audiat omnia, & vbique adſit, & pariter omnium curam gerat. Hæc quum diceret Socrates, nõ mihi tantum in familiaribus ſuis efficere videbatur, vt quoties ab hominibus conſpicerentur, a rebus impiis, iniuſtis, turpibus abſtinerent, ſed etiam quoties in ſolitudine degerent: quippe qui exiſtimarent, nihil vmquam eorum, quæ agerẽt, occultũ eſſe diis poſſe. Quod ſi etiam continentia res quædam bona & præclara eſt homini, diſpiciamus, an aliquid proficeret, in hanc ſentẽtiam de ea diſſerens. Si bello nobis indicto, viri, aliquem vellemus eligere, per quem nos maxime ſalutem conſequi, atq; hoſtes in poteſtatem noſtram redigi cuperemus: num aliquem legeremus, qui & a gula, & a vino, & a rebus venereis, & a labore, & a ſomno vinci ſe pateretur? Et quinam ſtatuere poſſemus, eiuſmodi hominem vel ſaluti noſtræ conſulere, vel victoria de hoſtib. potiri poſſe? Itidem ſi vitæ fine nobis imminente, committere vellemus alicui vel liberos mares erudiendos, vel filias virgines cuſtodiendas, vel ſeruandam pecuniam; nũ hominem intemperãtem dignum eſſe putaremus, cuius hæc fidei crederemus? Et ſeruo intempe-

temperanti num vel pecora, vel penum, vel vt operis præesset, committeremus? Num ministrum, & obsonatorem eiusmodi, vel gratis accipere vellemus? Enimuero sine seruum quidem intemperantem accepturi simus, qui non operæ pretium sit cauere, ne quis ipse talis fiat? Etenim non ita, quemadmodum auari homines, qui dum aliis pecunias auferunt, seipsos videntur collocupletare, sic & intemperans aliis quidem nocet, sibi vero ipsi prodest; sed 729
vt alios detrimento adficit, ita seipsum multo magis lædit: siquidem longe perniciosissimum est, non modo domum suam destruere, sed etiam corpus & animum. Ceterum in consuetudine familiari quis eiusmodi homine delectetur, quem & de obsonio, & de vino maiorem sciat voluptatem capere, quam ex amicis: magisque scorta diligere, quam socios? Nõne quemuis hominem, qui norit, temperantiam virtutis esse fundamentum, hãc primum in animo suo parare decet? Quis enim absque hac vel recte boni aliquid discat, vel exercitatione consequatur? Quis voluptatibus seruiens non turpiter tum corpore, tum animo adfectus sit? Equidem ita profecto statuo, homini libero optandum esse, vt huiusmodi seruum non consequatur: atque illi, qui voluptatibus eiusmodi seruit, deos esse obsecrandos, vt dominos bonos nanciscatur. Nam hoc modo tantum vir talis saluus esse possit. Hæc quum ita diceret, lõge se temperantiorem ipsa re, quam oratione, demonstrabat. Quippe non solum iis voluptatibus superior erat, quæ corpore percipiuntur: sed etiam ea, quæ ex opibus. Existimabat enim illum, qui abs quouis pecuniam acciperet, dominum sibi constituere, ac seruitutẽ seruire quauis alia turpiorem. Fuerit autem operæ pretium, ne illa quidem præteriri, quæ cum Antiphonte sapientiæ professore disseruit. Antipho enim, quum aliquando familiares Socratis ab eo vellet abducere, ad Socratem accedens, ipsis etiam præsentibus, hac vsus est oratione: Arbitrabar ego, Socrates, eos, qui philosopharẽtur, feliciores fieri oportere: at tu mihi videris cõtraria quadã ratione fructũ ex sapiẽtia tua percepisse. Sic enim viuis, quo pacto si vel quiuis seruus sub domino victitaret, nõ maneret. Vteris cibo potuq; vilissimo, neque tantum veste vili, sed eadẽ quoq; per æstatẽ & hyemem indueris, & semper calceis tunicaq; cares. Preterea pecuniam

Socratis cũ Antiphonte colloquium.

non accipis, quæ & comparantibus est voluptati, & iis, qui iam compararunt, liberalius iucundiusque viuendi caussam præbet. Quamobrem si, quemadmodum reliquorum studiorum magistri discipulos suos imitatores sui efficiũt, tales tu quoq; familiares tuos reddes: putare debes, infelicitatis te magistrum esse. Ad ea Socrates: Suspicari mihi videris, inquit, Antipho, tam ærumnosam me vitam degere; vt equidem persuasus sim, malle te mori, quã meo more
730 viuere. Age igitur dispiciamus, quid in mea vita acerbi deprehenderis. An quod necesse sit eos, qui pecuniam accipiunt, hoc ipsum pręstare, cuius caussa mercedem accipiũt, quũ mihi mercedem nullã accipienti necesse nõ sit ad eum disserere, quem nolim? An vilẽ victum esse meũ putas, qui minus salubribus vescar, ac tu, quæque minus roboris suppeditent? An quod ea comparatu difficiliora putas esse, quibus ego vescor, quam quibus tu vesceris, quod & rariora sint, & maioris pretij: An ea, quæ tu paras, tibi iucundiora esse dicam, quam mihi? Num ignoras, quod qui suauissime vescitur, minime indigeat obsonio? qui summa cum voluptate bibit, minime potum absentem desiderat? Vestes quidem qui commutant, frigoris eas æstusque caussa commutare nosti; & calceis pedes muniunt, ne propter illa, quæ pedes lædunt, iter facere prohibeantur. Tu vero an vmquam sensisti me vel propter frigus magis quam aliquem [alium] domi manere, vel propter æstum cum aliquo de vmbra pugnare, vel propter pedum dolorem non pergere, quo velim? An nescis eos, qui a natura sunt corporibus maxime imbecillis præditi, posteaquam se exercuerint, in iis, ad quæ se exercuerint, robustissimos quosque, qui exercitationes neglexerint, ita superare, vt ea facilius ferant? Me vero non putas corpus meum exercendo consuefacere, vt quæcumque semper acciderint, patienter ferat; ideoque cuncta me facilius perferre, quam te, qui te non exerces? An vero caussam tu aliam veriorem esse putas, quod gulæ, somno, lasciuiæ non seruio; quam quod his alia quædam habeo suauiora, quæ non solum in necessitate constitutum exhilarant, verum etiã hoc ipso, quod commodi perpetui spem faciant? Præterea scis eos homines, qui nihil prospere sibi successurum existimant, non esse lętos: quum illi, qui præclare sibi vel agriculturam, vel nauicu-

uiculatoriam, vel quid aliud, quo occupati ſunt, ſuccedere putant, quaſi qui rebus vtantur proſperis, voluptatem capiant. Tune vero de his omnibus tantum voluptatis percipi putas, quantum ex eo, quod aliquis ſeipſum meliorem reddi putat, & amicos meliores conſequi? quod equidem numquam non de me ſtatuo. Iam ſi vel amici iuuandi ſint, vel ipſa ciuitas, cuinam plus otij fuerit ad ea procuranda? eine, qui vt ego, victitat; an qui illo modo, quē tu prędicas? vter facilius militiam perferat? Isne, qui nequit abſq; ſumtuoſo victu viuere, an cui ſatis eſt id, quod adeſt? vter citius expugnabitur? isne, qui quod *inuentu difficillimum ſit, *Lectio requirat; an qui eorum vſu quæ facillime obuia ſunt, ab- marginis. unde contentus eſt? Videris, Antipho, felicitatem deliciis 731 ac ſumptuoſo adparatu metiri. Ego vero arbitror, nulla re indigere, diuinum eſſe: quam pauciſſimis, proximum dei naturæ: ac diuinum quidem quod ſit, præſtantiſſimum eſſe: quod autem diuino proximum, id etiam a præſtantiſſimo proximum eſſe. Rurſus idē Antipho diſſerens aliquando cum Socrate: Iuſtum equidem, ait, eſſe te iudico, mi Socrates, verum ne tantillum quidem ſapientem: quod etiam ipſe mihi non videris ignorare. Nam a nemine mercedem exigis eo nomine, quod tecum verſetur. Atqui ſi veſtem, vel domum, vel aliud quiddam, quod in bonis tuis eſt, pretio dignum eſſe putares: non dicam gratis, ſed ne minori quidem accepto pretio, quam quanti ea res eſſet, dares. Itaque patet te, ſi exiſtimares vllius eſſe pretij doctrinā tuam, ex dignitate eius pecuniam exacturum. Sis ergo ſane iuſtus, quod ob auaritiam neminem decipis: nequaquam vero ſapiens, quum nullius pretij ſint ea, quæ noſti. Ad ea reſpōdit Socrates: Apud nos, Antipho, exiſtimatur eodem modo poſſe aliquem & forma, & ſapientia, vel honeſte, vel turpiter vti. Nam quum aliquis formam pecunia cuiuis proſtituit, exoletum adpellant: eum vero, qui quemcumque intellexerit rerum honeſtarum & bonarum amatorem eſſe, amicum ſibi adiungit; a modeſtia non alienum ducimus. Itidem qui ſapientiam pro pecunia cuiuis proſtituunt, ſophiſtas, quaſi quædum ſcorta, vocant: quicumque vero, illum, quem egregia præditum eſſe indole animaduertat, quidquid boni ſcit, docet, vt amicum eum faciat; hunc facere putamus, quod ciuem honeſtum ac probum

decet. Quamobrem & ego, mi Antipho, perinde atque ali-
us quiſpiam vel equo bono, vel cane, vel aue delectatur, ſic
maiorem ex bonis amicis voluptatem capio; eoſq; ſi quid
habeo boni, doceo, atque aliis commendo, a quibus non-
nihil eos habituros adiumenti ad virtutem arbitror. Præ-
terea theſauros priſcorum ſapientum, quos illi litteris mã-
datos nobis reliquerunt, vna cum amicis reuoluens per-
curro. Quod ſi quid in eis boni videmus, id ſeligimus, ma-
gnique lucri loco ducimus, amicitia nos inter nos coniun-
gi. Hæc ego de Socrate quum audirem, & ipſum beatum
eſſe arbitrabar, & auditores ſuos ad honeſtatem deducere.
Rurſus quum interrogaret Socratem Antipho, quo pacto
732 ſe alios rerum ciuilium peritos efficere putaret, quum ipſe
reipublicæ negotia non adtingeret, ſiquidem ea ſe poſſe
gerere ſciret: Vtro, inquit, modo reipublicæ negotia ma-
gis tracto, mi Antipho? an ſi ſolus id faciam, an vero ſi dem
operam, vt plurimi ad ea tractanda ſint idonei? Hoc quo-
que conſideremus, an Socrates, dum familiares ſuos ab o-
ſtentatione reuocabat, ad virtutis ſtudium impulerit. Sem-
per enim aiebat, viam ad gloriam meliorem nullam eſſe,
quam qua bonus aliquis eſſet, ac non videri vellet. Atque
hoc ab ſe vere dici, ſic docebat. Cogitemus enim, aiebat, ſi
quiſpiam, quum tibicen bonus non ſit, videri tamen velit;
quid ei faciendum ſit. An non imitari bonos tibicines de-
bet in iis, quæ extra artem poſita ſunt? Ac primum qui-
dem, quum illi inſtrumenta pulchra habeant, multoſque
pediſequos ſecum ducant, etiam ipſi hoc faciundum. De-
inde quum multi eos laudent, etiam huic opera danda, vt
multos ſui laudatores paret. Verum ne rem ipſam alicubi
adgrediatur, cauendum erit; ne mox deprehendatur eſſe
ridiculus homo, ac non modo tibicen malus, ſed etiam o-
ſtentator. At vero ſi ſumtus magnos faciat, & vtilitatem ca-
piat nullam, ac præterea ignominię notã incurrat, qui non
& ærumnoſe, & inutiliter, & ridicule viuet? Eodem modo
ſi quis, quum neutrum ſit, vel bonus imperator, vel gu-
bernator videri velit; quid euenturum ſit, cogitemus. An
non moleſte ipſi accidet, ſi, quum cupiat videri ad hæc per-
ficienda idoneus, aliis id perſuadere non poſſit? Ac ſi maxi-
me perſuaſerit, multo miſerius eſt, quod imperitus ad gu-
bernandi, & ad imperatorium munus delectus, palam
cos,

eos,quos minime vellet, prope det exitio, atque ipse turpiter & fœde ab incœpto desistat. Eodem modo non expedire pronuntiabat, si quis vel opulentus, vel fortis, vel robustus esse videretur, qui non esset. Nam his aiebat imperari maiora ipsorum viribus, quumque præstare illa deinde non possint, quæ posse videbantur; veniam minime cōsequi. Impostorem adpellabat, non aliquem minorum quasi gentium, neque qui pecuniam, vel supellectilem ab aliquo persuaso accipiens, hac eum spoliaret: sed longe maximum, qui nullius homo pretij fefellisset alios, persuasos abs se, quod idoneus esset ad ciuitatis administrationē. Quæ ita differens, mihi quidem videbatur familiares suos etiam ab ostentatione reuocare.

LIB. II.

Argumentum.

1. Socratis aduersus Aristippum de voluptate disputatio. 2. Quomodo sint educandi, qui ad magnos honores aspirant. 3. Voluptates quorum malorum sint autores. 4. Ciuitates magistratibus suis quomodo velint, & soleant uti. 5. Qui magistratus gerere cupiunt, quibus virtutibus instructi esse debeant. 6. Omnes homines vel aliis imperent, vel aliis pareant, vel partim imperent, partim pareant, diuersa tamen ratione, necesse est. 7. Herculis ad pubertatem iam prouecti colloquium de vitæ genere, quod incundum esset, cum duabus mulieribus habitum, quarū vna, Virtus, altera, Voluptas, erat. 8. Vtriusque mulieris cultus, & oratio, qua Herculem in suam sententiam trahere conabatur. 9. Nihil boni, nihil præclari sine labore, studioq; mortalib. a Deo datum. 10. Qui virtutes, aut vitia sectātur, quales animis, & corporib. euadant, & quæ suorū studiorū præmia reportēt. 11. Socratis cū Lāprocle filio colloquiū de ingrati animi vitio, quo pleriq; liberorū laborāt, & parentū beneficia obliuioni mandāt, ac ingratos se parentib. impie præstant. 12. ingrati nomē quib. conueniat. 13. Parentes, ac præcipue matres, quot, quantosq; liberorū causa labores perferant. 14. Asperiores parentū mores liberis æquo animo sunt ferēdi. Causæ. 15. Liberorū erga parentes ingratitudinē quomodo Athieniensiū Respub. multaret. 16. Socratis de amore fraterno disputatio. 17. Hominū beneuolētiā qua ratione nobis cōciliare debeamus, ac possimus. 18. Socratis de amicis, & amicitia disputationes. 19. Bonus

amicus quanti sit faciendus, causæ. 20. *Quales amicos nobis comparare debeamus.* 21. *Amicos quomodo explorare oporteat.* 22. *Amicorum parandorum vera ratio.* 23. *In laudibus amicorum celebrandis quid obseruandum.* 24. *Amicitia inter quos iniri soleat.* 25. *Bonarum pronubarum officium.* 26. *Qui amicitiam inter aliquos conciliare volunt, quid facere debeant, ne vel hi, vel illi se deceptos conquerantur.* 27. *Omnes humanas virtutes disciplina, studioque augeri posse.* 28. *Amici erga amicos quomodo se gerere debeant.* 29. *Socratis colloquium cum Aristarcho habitum de ratione, qua vel amplißimam familiam, honeste posset alere. Hic autem boni patrisfamilias officium describitur.* 30. *Paupertatis, & incommodorum inde manantium quænam sint præstantißima remedia.* 31. *Socratis colloquium cum* Euthero *habitum de artibus illis mature discendis, quæ nos non solum quum robore iuuentutis valemus: sed etiam quum ad extremæ senectutis imbecillitatem peruenimus, honeste alere poßint.* 32. *Socratis consilium Critoni datum, quo grauißimis sycophantarum molestiis eum liberauit.* 33. *Quomodo iuuantes alium, ab eo vicißim iuuari poßimus.* 34. *Socrates quibus verbis amico* Diodoro *persuaserit, vt* Hermogenis *amici paupertatem subleuaret.*

733 XENOPHONTIS MEMORABILIVM LIBER SECVNDVS.



VIDEBATVR etiam mihi familiares suos ad exercendam tolerantiam in cibi, potus lasciuiæ, somni adpetitu; itemque ad tolerantiam frigoris, æstus, laboris impellere, quoties huiusmodi diceret. Quippe quum de familiaribus quemdam in his intemperantius se gerere accepisset: Dic mihi, ait, Aristippe, si te duos adulescentes, tibi traditos, instituere oporteat; alterum, vt ad imperandum sit idoneus, alterum vt imperare numquam cupiat: quo pacto vtrumque instituęs? vis hac de re dispiciamus ita, vt ab educatione, tamquam ab ipsis elementis, ordiamur? Cui Aristippus: Nimirum mihi videtur, ait educationem esse rei principium. Nam ne quidem quis vixerit, si nu-

Socratis aduersus Aristippũ de voluptate disputatio.

ſi nutriendo non educetur. Ergo conſentaneum eſt, vtriſque accidere, vt vbi tempus adeſt, cibum ſumere velint. Eſt hoc ſane conſentaneum, ait Ariſtippus. Vtrum igitur horum conſuefacere poſſimus, vt potius eligat confectionem rei neceſſariæ atque vrgentis, quam gratificationem, quæ gulæ fit? Eum profecto, inquit Ariſtippus, qui ad imperandum inſtituitur; ne ipſo gerente imperium, negotia ciuitatis haud expediãtur. Ergo, ſubiecit Socrates, etiam quum bibere volent, eidem hoc imponendum, vt ſitim perferre poſſit? Omnino vero, ait. At in ſomno capiendo temperantem eſſe, vt & ſero quieti ſe dare poſſit, & primo diluculo ſurgere, & vigilare, ſi poſcat vſus, vti dabimus? Etiam hoc eidem, ait. Quid vero, inquit, venereis in rebus continentem eſſe, vt per eas non impediatur, quo minus id agat, quod opus ſit? Etiã, hoc eidem, inquit. Quid autẽ? labores non fugere, ſed ſpõte ſua perferre, vtri adtribuemus? Hoc itidem illi, ait, qui ad imperandum inſtituitur. Quid? ſi qua diſciplina ſit ad hoc idonea, vt aduerſariis ſuperior aliliquis euadat, vtri ea magis conuenit? Multis profecto, ait, modis ei, qui ad gubernationem educatur. Nam neque aliarum rerum vſus vllus eſt, abſque huiuſmodi diſciplinis. 734
Ergo qui ſic inſtitutus eſt, minus tibi videtur ab aduerſariis poſſe capi, quam animalia cetera? quorum ſcilicet quędam a gula ineſcata, tametſi valde timida ſint, nihilominus veſcendi cupiditate ad eſcam [illegible]cta capiuntur: aliis per potum inſidiæ ſtruuntur. Prorſus ita ęſt, inquit. Itaque alia prę laſciuia, quorum in numero ſunt coturnices ac perdices, ad femellæ vocem cupiditate ſpeque rei venereæ agitata, & omiſſa cogitatione de periculis, in caſſes incidunt. Quum his etiam fuiſſet adſenſus: Ergo tibi turpe homini videtur, inquit, ſi idem accidat ei, quod animalibus longe imprudentiſſimis? ſicut ipſimet adulteri carceres adeunt, quum ſciant & periculum ea perpetiendi, quæ lex minitatur, adulterium committenti propoſitum eſſe, & inſidias ſtrui, & captum contumeliis adfici. Tanta quum adultero mala, quum dedecora tanta immineant, multaque ſint, quæ a rerum venerearum cupiditate liberare poſſint: nihilominus adulter in pericula præceps fertur. An nõ igitur hoc omnino hominis eſt a malo genio perciti? Ita mihi videtur, ait. Iam quum plurimæ ſint, maximeque neceſſariæ res ſub

dio peragendæ hominibus, cuius generis sunt res bellicæ, agricolarum, aliæque non paucæ; multos interim ad frigora & æstus exercitos non esse, non tibi magna esse videtur desidia? Heic etiam quum adsensus esset Aristippus: Ergo tibi videtur, inquit Socrates exercendus is, qui velit imperare, vt haud difficulter hæc quoque toleret? Omnino ait. Ergo si homines horum omnium tolerantes eorum in numerum referemus, qui ad imperandum comparati sunt, nónne illos, qui hæc præstare non possunt, ad eorum ordinem referemus, qui de capessendo imperio ne cogitaturi quidem sint? Hoc etiam concessit Aristippus. Quid igitur? quandoquidem vtriusq; generis ordinem nosti, iamne aliquando considerasti, vtrum ad ordinem horum merito teipsum referre possis? Vero, inquit Aristippus. Quippe nequaquam eorum in ordinem me refero, qui imperare volunt. Etenim hominis plane fatui esse mihi videtur, non eo contentum esse, vt sibi ipsi necessaria comparet, quod quidem magnum quiddam est: sed hoc etiam addere, vt aliis præterea ciuibus ea suppeditet, quibus indigeant. Itidem
735 multis egere, quæ cupiat aliquis, ac principem in ciuitate locũ obtinentẽ, si non omnia perficiat, quę ciuitas velit, pœnæ subiectũ esse; non hoc ingens est amentia? Nam ciuitates æquũ censent, vt perinde magistratibus ipsæ suis, atque ego mancipiis meis, vtantur. Nã & ego æquum esse censeo, vt famuli mihi quidem abunde magnam rerum necessariarum copiam parent, ipsi vero nihil horum adtingant: & ciuitates, vt ita se magistratus erga ipsas gerant, volunt; quo maximam eis bonorum copiam comparent, a quibus tamen ipsi prorsus abstineant. Quapropter equidem eos, qui magnã velint negotiorũ habere copiam, eaq; tum sibi, tum aliis exhibere, sic institutos eorum in numerum referam, qui ad imperandum idonei sunt: me vero inter illos collocabo, qui quã facillime suauissimeq; viuere cupiunt. Tum Socrates: Vis ergo, inquit, hoc etiam consideremus, iine suauius viuant, qui sunt cum potestate: an qui aliorum imperio subiecti sunt? Placet omnino ait. Primum igitur ex iis nationibus, quæ nobis cognitę sunt, in Asia Persæ imperant; Syri vero, ac Phryges, ac Lydi, eorum imperio subiecti sunt: in Europa penes Scythas est imperium, Mæotæ parent: in Libya, Karthaginienses dominantur, Libyes obtempe-

tempe-

temperant. Horum igitur vtros viuere iucundius arbitraris? Vel inter Græcos, in quibus es tu quoque, vtri iucundius tibi videntur viuere: iine, qui rerum potiuntur, an qui aliis subiecti sunt? Ego vero, subiecit Aristippus, ne seruorum quidem in ordinem me refero: sed esse mihi videtur via quædã inter hæc media, qua equidem incedere conor, neq; per imperium, neq; per seruitutẽ; sed per libertatem, quæ maxime ad beatitatem ducit. Enimuero, subiecit Socrates, si hæc via non etiã per homines duceret, quẽadmodũ neq; per imperium, neq; seruitutẽ tendit; fortasse quid diceres. Verũ si esse inter homines vis, ac neq; imperare, neque imperio subesse, neq; magistratus sponte colere: videre te arbitror, scire superiores, quo pacto inferiores tũ publice, tum priuatim, ad eiulatũ vsq; multatos, seruorũ loco habeant. An ignoras, aliis sementẽ facientibus, arboresq; serentibus, quosdã esse, qui & fruges resecãt, & arbores cædunt, omnibusq; modis inferiores, seque colere nolentes, oppugnant; donec illos eo deducant, vt seruire, quã bellum aduersus potẽtiores gerere malint? An etiam priuatim nescis viros fortes ac potentes in seruitutem imbelles effœminatosq; redigere, ac fructum ex eis percipere? Ego vero, ait Aristippus, vt id mihi nõ accidat, ne quidẽ meipsum in rempublicam concludo, sed vbique sum hospes. Et Socrates: Sollertis vero, inquit, luctatoris artificium ostendis. 736
Nam hospites ex quo * Sinnis, & Sciro, & Procrustes interfecti sunt, iniuria nemo amplius adficit. At enim qui hoc tempore respublicas patrias administrant, etiam leges ferunt, quibus se lædi vetãt; ac præter illos, qui necessarij vocantur, alios quosdam amicos sibi comparant, quorum ope vtantur; & vrbes munitionibus cingunt, & arma parant, quibus se aduersus lædentes tutentur; ac præter hæc omnia, quosdam alios etiam aliunde socios sibi quærunt. Nihilominus ab his omnibus instructi, læduntur. Tu vero, quum horum nihil habeas; ac in viis, vbi plurimi læduntur, multo iam tempore verseris; & quamcumque in vrbem venias, ciuibus omnibus inferior sis; adeoque talis, quales maxime adgrediuntur ij, qui lædere volunt: nihilominus propterea, quod hospes sis, futurũ putas, vt nõ lædaris? An idcirco fidẽti es animo, quod ciuitates tibi securitatem præconio publico policeantur tam

De his consule Plut. Theseum.

aduentanti, quã diſcedenti? An quod talem te ſeruum eſſe putas, qui nulli domino proſit? Nam quis hominem habere domi velit, qui laborare quidem omnino recuſet; at nihilominus adparatu victuque ſumtuoſiſſimo delectetur? Quin illud etiam conſideremus, quo pacto eiuſmodi ſeruos domini tractent. Annon eorum laſciuiam fame caſtigant? non occludendo ea, vnde aliquid poterant ſumere, quo minus furentur, cohibent? non vinculis coercent, quo minus aufugiant? non deſidiam verberibus expellunt? aut quo pacto tumet te geris, quando de ſeruis aliquem talem eſſe animaduertis? Suppliciis, inquit, omnibus adficio, donec eum ſeruire cogam. Verum, mi Socrates, qui ad regnãdi artem inſtituuntur, quam tu mihi videris pro beatitate ducere, quid ab iis differunt, qui neceſſitate coacti cum incommodis conflictantur, ſiquidem eſurient, ſitient, frigebunt, vigilabunt, & alias omnes ærumnas ſponte ſua perferent? Nam equidem haud ſcio, quid diſcriminis ſit, vtrum cutis eadem volẽti, an nolenti flagris cędatur: vel omnino corpus idem his omnibus vel volenti, vel nolẽti prematur. Etenim quid tamdem eſt, ſi non inſania eſt, vltro, quæ dolorem habeat, velle perpeti? Quid ais Ariſtippe? ſubiecit Socrates, non tali quodam modo differre tibi videntur ea, quæ ſponte fiunt, ab iis, quę non ſponte, quatenus qui ſpõte ſua eſurit, comedere poteſt, quum vult, & qui ſponte ſitit,
737 bibere poteſt, idemq; in ceteris: at qui neceſſitate coactus hæc perfert, non poteſt, vbi vult, finem eis imponere? Deinde qui ſponte perfert ærumnas, bona ſpe fretus lætatur, quemadmodum qui feras venantur, ſpe capiũdi perlubenter laborant. Atque huiuſmodi ſane laborum præmia non magni pretij ſunt, qui vero in hoc incumbunt, vt amicos bonos parent, vel hoſtes in poteſtatem ſuam redigant, vel probatis corporum animorumq; viribus, familiam ſuam cum dignitate adminiſtrent, amicis proſint, patriam beneficiis adficiant: hos num debere ignoras & labores in huiuſmodi rebus lubenter ſubire, & cum lætitia vitam agere, ſui primum animi adprobatione fretos, deinde laudatos, feliceſq; prædicatos ab aliis? Præterea molles viuendi rationes, nulloque negotio paratæ voluptates, neque corpori bonam parere cõſtitutionem poſſunt, vti gymnaſiorum magiſtri loquuntur, neque indunt animo ſcientiam vllam,

quæ

quæ alicuius pretij sit. At vero per tolerãtiam exercita studia faciunt, vt ad honesta præclaraque facinora perueniamus, quemadmodum egregij viri prædicant. Ait alicubi & Hesiodus,

Agmine cum multo facilis se ignauia cuiuis
Offert. plana via est, aditus breuis eius ad ædes.
At virtutis iter sudore Dij obuallarunt
Longa quidem pariter, viaq; ardua ducit ad ipsam,
Asperitate graues aditus quæ fronte recludit
Prima: sed leuis est, superato vertice, tamdem.

Atque hoc etiam Epicharmus his verbis testatur,

——— Laboribus
Dij cuncta protinus nobis vendunt bona.

Idem alio quoque loco inquit:

——— heus ignaue tu,
Non aucupere mollia, ne dura accidant.

Quin & Prodicus ille sapiens in libro, quem de Hercule scripsit, & plurimis recitare solet, eadem ratione de virtute pronuntiat: hoc quodam modo, quantum equidem memini, dicẽs. Herculem ait, posteaquam exacta pueritia pubertatis iniret cursum, in qua iam adulescentes sui iuris fiunt, ac indicia præbent, virtutisne via perrecturi sint ad vitam, an vero ignauiæ, egressum in tranquillum locum ibidem consedisse; ambigentem, ad vtram se viam conuerteret. Tum mulieres duas, easque grandi statura, esse visas ad ipsum accedere; quarum altera esset eleganti ac liberali vultu prædita, cuiusque corpus a natura munditie ornatum esset, oculi verecundia, gestus modestia, veste candida: altera educatione reddita obesa & tenera, sic ornata, colorem quod adtineret, vt candidior ac rubicundior videretur, quàm esset: forma procerior visa, quàm esset a natura: oculis apertis: veste tali, ex qua venustas maxime pelluceret. Eamdem sæpius se contemplatam esse, ac num aliquis ipsam spectaret, considerasse: sæpenumero ad vmbrã quoque suam respexisse. Posteaquam ad Herculem venissent propius, incessisse illam, de qua prius diximus, eodem modo: alteram verò, quæ vellet hanc anteuertere, cursu ad Herculem se contulisse, ac verbis his eum compellasse: Video te, mi Hercules, ambigere, quanam via te ad vitã conferas. Quapropter si me tibi amicam adiunxeris, ducam te

Meminit huius loci M. Tullius in lib. de offic. I.

738

Voluptatis ad Herculem oratio.

ad iter iucundissimum ac facillimum: vt eorum, quæ suauia sunt, nihil non gustes, simulque omnis expertem molestiæ vitam exigas. Nam primum tibi neque bella, neque negotia curanda erunt; sed dispicies, quemnam tibi gratum vel cibum, vel potum inuenire possis: quid vel adspectu, vel auditu, vel odoratu, vel tactu te delectare possit: quibus amoribus fruens, plurimum gaudeas: quo pacto quam mollissime dormias: qui absq; labore minimo possis hæc omnia consequi. Quod si aliquando illa defectura, de quibus hæc percipies, suspicio sit: nihil est quod metuas, ne eo te deducam, vt hæc tibi laborando, variisque tum animi tum corporis ærumnis perferendis, paranda sint: sed aliorum laboribus tu frueris, nec ab vlla re abstinebis, de qua capi aliquid lucri possit. Nam equidem iis, qui mea vtuntur consuetudine, potestatem facio, vt vndecumq; possint, vtilitatem capiant. Hæc quum audisset Hercules: Quod est, inquit, tibi nomen mulier? Illa vero: Amici mei, ait, felicitatem me adpellant: at qui oderunt obtrectando vocant ignauiam. Quum interim altera mulier accessisset:

Oratio virtutis.

Ego quoque, inquit, ad te venio, mi Hercules, quæ & parentes tuos noui, & quæ tua esset natura, in institutione animaduerti. De quibus equidem in eam spem venio, vt si ea, quæ ad me ducit, via incesseris: egregie tu præclaras &
739 honestas res geras, atque ego lõge honoratior, bonorumque gratia illustrior videar. Neque vero te decipiam voluptatis procemiis, sed ex instituto diuino res ipsas vere commemorabo. Nam quæcumque bona sunt ac præclara, eorum nihil sine labore ac studio Dij hominibus largiti sunt: omninoque siue Deos esse propitios tibi vis, colendi sunt tibi: seu ab amicis vis diligi, beneficiis amici sunt adficiendi: siue ab vrbe aliqua vis honorem consequi, necesse est aliquid illi vtilitatis adferas: seu apud vniuersam Græciam virtutis nomine vis esse in admiratione, de hac vt bene promereare, conandum erit: siue terram tibi fructus vberes ferre vis, colenda erit: seu à iumentis opes tibi quærendas putas, necesse est iumentorum curam habeas: siue bello res tuas amplificare desideras, eamque potestatem consequi vis, vt & amicos in libertatem vindices, & hostes tibi subiicias, non solum artes bellicæ tibi ab earum peritis discendæ sunt, sed etiam percipiendum exercitatione, quo

ne, quo pacto sit iis vtendum. Denique si etiam corpore « vis esse robustus, necesse est corpus adsuefacias ad parendum animo, perque labores ac sudorem exerceas. Tum eius sermonem excipiens ignauia, quemadmodum Prodicus ait: Videsne, inquit, mi Hercules, quam longam ac difficilem viam ad delectationes hæc tibi mulier exponat? ego vero facili breuique ad beatitatem itinere te ducam. Et virtus: Misera vero tu, ait, quid boni habes? quam delectationem nosti? quum nihil horum caussa facere velis? quum iucundorum adpetitum non expectes, sed prius etiam, quam adpetas, omnibus repleare? priusquam esurias, comedis: priusquam sitias, bibis: atque vt suauiter comedas, obsoniorum structores excogitas: vt suauiter bibas, magno sumtu vina tibi comparas, ac per æstatem niuis quærendæ caussa circumcursitas: vt suauiter somnum capias, non stragula tantum mollia, sed etiam lectulos, lectulorumque fulcra paras. Non enim propter labores somnum adpetis, sed quia nihil est tibi quod agas. Venerem vero prius, quam ea indigeas, omni conatu & arte impellis, & * tam feminarum ad hoc opera, quam virorum vteris. Sic enim amicos tuos instituis, noctu stupris polluens: & vtilissima diei parte somno obruens. Quumque sis immortalis, a diis quidem reiecta es, ab honestis autem hominibus probro adficeris. Iam quod omnium auditu iucundissimum est, tuam ipsius laudem nullam audis: nec quod spectaculum iucundissimum est, spectare potes. Quippe nullum vnquam honestum facinus tuum vidisti. Quis vero tibi aliquid dicenti fidem habeat? Quis rei alicuius egenti quidquam suppeditet? Quis mentis compos tuæ sodalitatis cœtu contineri audeat? quum tui, si iuuenes sint, corporibus sint debiles; prouectiores facti, animis desipiant. Dum iuuenilis ætas adest, absq; labore nitidi victitant: cum labore squallidi, senectam ætatem transeunt: anteactorum eos pudet, agendorum onus haud sustinent: iucundis in iuuentute cursu quasi peragratis, in senectutem molesta reseruant. Ego vero cum diis versor, cum hominibus honestis versor: nec vllum præclarum facinus, siue diuinum, seu humanum, absque me perpetratur. Maxime omnium a diis, & hominibus, quibus par est, honoribus adficior; artificibus cara laborum socia, fida dome-

*Lectio marginis: 740

rum cuſtos heris, opitulatrix benigna ſeruis, in laboribus pace curandis adiutrix egregia, conſtans in negotiis bellicis auxiliatrix, amicitiæ conſors optima. Perceptio cibi & potus vt amicis meis delectationem adfert, ſic elaborati nihil habet. Exſpectant enim, donec adpetant. Iidem ſomnum capiunt ſuauiorem, quam otioſi; ac neq; excitatos ſe moleſte ferunt, neq; ſomni cauſſa, quæ agenda neceſſario ſunt, omittunt. Iuuenes ſenum laudibus gaudent, ſenes iuuenum honoribus delectantur. Iidem rerum olim geſtarum memoriam iucundè repetunt, nec minori cum voluptate præſentia curant, quum quidem mea cauſſa diis accepti ſint, amicis cari, magno apud ſuam quiſque patriam in pretio. Denique quum finis a fato præſtitutus adeſt, non inhonorati iacent, obliuioni traditi: ſed ita florent, vt cum memoria ſui poſteritatis æternæ laudibus fruantur, perpetua ſui memoria celebrati florent. Huiuſmodi, mi Hercules, parentum ſuboles fortium, laboribus exantlatis: licet ea felicitate potiaris, quæ ab omnibus tantopere prædicatur. Hoc quodam modo Prodicus, Herculem a virtute inſtitutum fuiſſe commemorat. Sententias quidem ipſas multo magis magnificis verbis, quàm ego nunc fecerim, ornauit. Quamobrem, mi Ariſtippe, te quoque æquum eſt hæc cum animo tuo perpendentem id operam dare, vt etiam futuri vitę temporis curam aliquam habeas. Ceterum

Socratis ad Lāproclem filiū, de ingratitudine erga parētes verba.

741 quum animaduertiſſet aliquãdo Lamproclem filium ſuū, natu maximum, matri ſuæ ſuccenſere: Dic mihi ait, mi fili, noſtíne quoſdam homines, qui adpellantur ingrati? Omnino, inquit adoleſcens. Animaduertiſti ergo, quid illi faciant, quibus hoc nomen tribuunt? Vero, ait. Nam illos ingratos vocant, qui adfecti beneficiis, quum referre gratiam poſſint, non referunt. Ergo tibi videntur ingratos ad iniuſtorum hominum numerum referre? Mihi quidem, inquit. Verùm conſideraſtíne, inquit, an quemadmodum amicos in ſeruitutem redigere iniuſtum eſſe videtur, hoſtes autem, iuſtum; ſic etiam erga amicos ingratum exhibere ſeſe iniuſtum ſit, erga hoſtes autem, iuſtum? Omnino, inquit, adeoque mihi videtur iniuſtus eſſe, quicumque vel ab amico, vel ab hoſte, beneficiis adfectus, gratiam vt referat non enixe dat operam. Ergo ſi res ita ſe habet, mera ſcilicet iniuria ſit ingratitudo, neceſſe eſt. Illo adſentiente:

te: Quanto quis igitur maioribus beneficiis acceptis gra-
tiam nō retulerit; tanto erit iniustior. Hoc etiam quum fa-
teretur: Quos autem, ait, a quibus reperire possimus ma-
ioribus adfectos beneficiis, quàm liberos a parentibus?
Quibus quum antea non essent, parentes existendi caussa
fuerunt, atque tot præclaras vt res cernerent, tot bonorum
participes fierent, quot bona hominibus dij suppeditant.
Quæ sane bona vsque adeo maximi facienda ducimus; vt
omnes inprimis eorum amissionem refugiamus. Ciuita-
tes quoque maximis sceleribus mortem pœnę loco decre-
uerūt, quod cuius alterius grauioris mali metu iniustitiam
coercerent, non reperirent. Nec verò homines rei venereæ
caussa liberos procreare existimes. Nam ei remedium quæ
adferant, tum in viis confertim reperiuntur, tum in lupa-
naribus. Præterea manifestum est, considerare nos, ex cu-
iusmodi mulieribus liberos optimos suscipere possimus,
quibuscum congressi liberis operam damus. Ac vir qui-
dem eam, quæ in procreatione ipsum adiuuat, nutrit: libe-
risque nascendis præparat omnia, quæcumque ad vitam
degendam eis conductura putat, eaque quam potest plu-
rima: mulier vero exceptum onus hoc gestat cum graua-
mine, vitæque periculo; alimentumque suppeditans, quo
alitur & ipsa, posteaquam magno cum labore gestauit, ac
peperit; tum nutrit, nullo sane beneficio prius adfecta, tum 742
cura sua complectitur infantem, non adgnoscētem, à quo
beneficium accipiat, neque valentem indicare, quibus re-
bus egeat: sed ipsa quid ei conducat, ac gratum esse possit,
coniectura colligens, abunde suppeditare nititur, & longo
nutrit tempore, ac noctes diesque labores perfert: quam
pro his gratiam reportatura sit, ignorans. Neque tantùm
nutrire sufficit, sed etiam vbi ad discendum aliquid idonei
videntur esse liberi, si qua parentes ipsi tenent ad vitam v-
tilia, docent: quibus verò docendis alium magis idoneum
esse putant, ad hunc eos magno cum sumtu mittūt, omni-
que conatu dant operam, vt liberi reddantur, quantum e-
ius fieri potest, optimi. Ad ea subiecit adulescens: Tametsi
hæc omnia fecerit, aliaque his multo plura, nemo tamen
eius asperitatem perferre possit. Et Socrates: Vtrum existi-
mas, inquit, toleratu esse difficilius, feræne sæuitiam, an
matris? Equidem, inquit, matris arbitror, quæ sane talis sit.

Ergone vmquam vel mordendo, vel calcitrando te læſit?
cuiuſmodi a belluis multi perpeſſi ſunt. At enim profectò,
inquit, ea loquitur, quæ quis audire vel ob omnem hanc
vitam nolit. Tu vero quam multa, ſubiecit Socrates, into-
leranda te huic negotia tum voce, tum facto, tum interdiu,
tum noctu, a prima vſque ætate moleſtando putas exhi-
buiſſe? Quantum doloris adtuliſſe, quoties ægrotares? At
ego illi, ait, neque dixi, neque feci quidquam, cuius ipſam
puderet. Quid autẽ, inquit Socrates, moleſtius eſſe putas,
tibine audire, quæ dicit ipſa; an hiſtrionibus quum in tra-
gœdiis alter alterum extremis conuiciis proſcindit? Enim-
uero arbitror eos, quia non exiſtimant vel illum, qui redar-
guit, lædendi cauſſa redarguere, vel minantem damni ali-
cuius inferendi cauſſa minari, æquo illa ferre animo. Tu
vero, quum plane ſcias matrem, quæ dicit, non modo nihil
mali cogitantem dicere, ſed etiam optantem tibi tantum
boni, quantum alij nulli, nihilominus iniquo es in illam a-
nimo? An exiſtimas, male tibi matrem velle? Nõ equidem,
inquit, hoc arbitror. Et Socrates: Ergone tu hanc, ait, quæ
tui ſtudioſa eſt, ac ægrotantis curam gerit, quantam maxi-
mam poteſt, vt valetudinẽ recuperes, ac re neceſſaria nulla
egeas, præterque hæc multa diis bona pro te vouet, ac vota
743 reddit, ſæuam eſſe dicis? Equidem ita ſtatuo, ſi matrem e-
iuſmodi ferre non poſſis, non poſſe te quæ bona ſunt, fer-
re. Dic autem mihi, vtrum tibi alium quempiam colendũ
putas, an ita comparatus es, vt nemini hominum placere
cupias, neminem ſequi, nemini parere, ſiue ſit imperator,
ſiue magiſtratus alius? Cupio profectò, inquit. Ergo ſubie-
cit Socrates, etiam vicino placere vis, vt ignem accendat ti-
bi, quum opus erit, teque aliqua in re bona iuuet, ac ſi quid
aduerſi accidat, e propinquo tibi beneuole ſuccurrat? Ve-
lim equidem ait. Quid autem? nihil intereſſe putas, co-
mitem itineris, aut nauigationis, aut alium quemdam, in
quem incideris, amicum an hoſtem habeas, vel potius ha-
bendam putas rationem eius etiam beneuolentiæ, quæ ab
his proficiſcitur? Sane puto, inquit. Ergo ſic comparatus es,
vt horum tibi rationem habendam putes; matrem vero,
quæ te plus omnibus hiſce diligit, colendam tibi non exi-
ſtimas? An ignoras etiam ciuitatem alterius quidem nul-
lius ingratitudinis habere rationem, nec in eam actionem
dare,

dare,ſed ſusq; deq; ferre, ſi beneficiis adfecti gratiam non
referant:at ſi quis parentes nõ colat, eum vero pœna mul-
tare,reiectumque magiſtratus obire non pati, ac ſi neque
res ſacræ pro republica religioſe fieri queant hoc homine
ſacrificante, neque quidquam aliud ab eo perfici recte iu-
ſteque poſſit? Etiam hoc profecto, ſi quis parentum mor-
tuorum ſepulcra non ornet, reſpublica magiſtratuum in
examinibus inquirit. Ergo tu, mi fili, ſi ſapies, deos ipſos
deprecaberis,vt ignoſcant tibi, ſiquidem erga matrem ne-
gligens fuiſti, ne te illi & ingratum eſſe exiſtiment, & be-
nefacere tibi nolint:& cauebis ad homines,ne hi te nullam
animaduertentes parentum rationem habere,ſic ignomi-
nia notent,vt amicos habere te nullos in poſterum pareat.
Nam ſi te ſuſpicabuntur erga parentes ingratum eſſe, ne-
mo exiſtimaturus eſt ſe pro beneficiis tibi præſtitis gra-
tiam reportaturum. Cæterum animaduertens aliquando
Socrates Chærephontem & Chęrecratem fratres,familia-
res ſuos,inter ſe diſſidere, quamprimum Chærecratem vi-
diſſet:Dic mihi mi Chærecrates,ait,num & tu ex eorum es

Socratis de amore fraterno diſputatio.

hominum numero, qui vtiliorem eſſe pecuniam putant,
quam fratrem; quamquam illa mente careat, hic pruden-
tia ſit pręditus:illa ope indigeat,hic opitulari poſſit:deniq; 744
pecuniæ multæ ſint,frater autem vnus?Mirum hoc quoq;,
poſſe quem fratres ſuos ſibi detrimento eſſe putare pro-
pterea,quod non etiam fratrum facultates poſſideat; at ci-
ues ſibi detrimento non eſſe arbitrari, quod ciuium bona
non habeat: ſed poſſe homines hac in parte ratiocinari,
quod longe præſtet,vt aliquis cum multis habitans ſecure,
quæ ſufficiant, habeat; quam ſi ſolus ciuium facultatibus
fruens,magno eas cum periculo poſſideat; in fratribus id-
ipſum ignorare. Ac ſeruos quidem emunt, qui poſſunt,vt
laborũ ſocios habeant:amicos parant, quod opitulatorib.
egeant:fratres autem negligũt, quaſi ex ciuibus amici fi-
ri poſſint,ex fratribus nõ poſſint. Atqui multum ad amici-
tiam momenti adfert,ex iiſdem natum eſſe,multum com-
munis educatio.Nam & feris quoddã eorum,quę vna cum
ipſis nutrita ſunt,deſideriũ innaſcitur.Præterea cęteri quo-
que homines honore maiori adficiunt illos,qui fratres ha-
bent;quã eos,qui a fratrib. deſtituuntur,ac minus illos ad-
grediũtur.Tum Chærecrates: Enimuero mi Socrates, ait,

si non magnum sit dissidium, fortasse ferēdus sit frater, neque ob exiguas caussas fugiendus. Quippe fratrem, si talis sit, qualem esse cōuenit, in bonis rebus pono: quemadmodum tu quoq; dicis. At vero si plane desit officio, & sit quiduis aliud potius, quam frater: quamobrem quis ea, quę fieri nequeunt, conetur? Et Socrates: Vtrum vero mi Chærecrates, inquit, nemini Chærephon placere potest, sicut & tibi non placet; an sunt nonnulli, quibus egregiè placeat? Hac ipsa de caussa mi Socrates, ait, æquum est illum mihi esse odio, quod aliis equidem placere possit, mihi vero vbicumquę adest, verbis ac factis detrimento potius, quàm commodo sit. Ergóne, ait Socrates, perinde atque equus homini imperito, qui vti eo conetur, damno est; sic & frater, quum quis eo vult vti, qui nesciat, est detrimēto? Quónam modo erga fratrem, inquit Chærecrates, recte me gerere nō norim, quum & verbis & facto benignus in alium esse possim, qui verbis itidem ac facto benignus erga me est? Contrà vero tantum abest, vt in eum, qui & verbis & facto mihi molestiam vt exhibeat, dat operam, benigne me gerere verbo factóve possim: vt id ne quidem in animū inducturus sim. Et Socrates: Mira vero narras, inquit, mi Chærecrates, te, si canem ouium habeas idoneum custo-
745 diæ, atque is pastoribus quidem blandiatur, in te vero adeuntem sæuiat, omissa iracundia malle benefaciendo eniti, vt eum mitiges: fratrem vero, quem magnum quoddam bonum ais esse, si se gerat, vt decet, non te operam dare, vt longe tibi optimum efficias? præsertim quum declarandæ verbis & facto benignitatis artem scire te fatearis. Vereor equidem, ait Chærecrates, ne tanta sit in me sollertia, mi Socrates, vt Chærephontem erga me talem reddere possim, qualem esse oportebat. Atqui, subiecit Socrates, nihil artificiosi, neque noui, vt eius caussa excogites, opus est, mea quidem sententia. Nam existimo eum illis artibus, quas tu non ignoras, allectum abs te, plurimi te facturum. Dic mihi prius, inquit, an me quasdā illecebras nosse senseris, quas ipsemet scire me ignorauerim? Tu vero mihi dicito, inquit Socrates, si quem familiarium eo deducere velles, vt vbi rem sacram facit, ad cœnam te vocaret, quid faceres? Nimirum prior hominem, ipse rem sacram faciens, inuitarem. At si velles amicorum quemlibet impellere,

lere, vt te absente peregre, rerum tuarum curam gereret, quid faceres? Nimirum prior operam darem, vt per ipsius absentiam res ipsius curarem. Si velles ab hospite impetrare, vt te exciperet ad se venientem, quid faceres? Nimirum hunc quoque prior exciperem, venientem Athenas: atque etiam si vellem efficere alacrem ad ea mihi conficiunda, quorum caussa hominē adirem; necesse foret, vt ipse prior eum officio tali obstringerem. Ergo tu quum omnes illecebras, quibus homines conciliantur, iamdudum noris, eas ipsas celabas? An cunctaris, inquit, principium facere propterea, ne turpis videare, si prior beneficio fratrem adficias? Atqui maxima vir laude dignus esse videtur, qui hostes, lædendo; beneficiis exhibendis, amicos anteuertit. Quare si mihi videretur Chærephon ad hanc amicitiam auspicandam aptior esse, operam in illo persuadendo collocarem, vt prior amicitiam tuam conciliare sibi studeret. Nunc tu mihi videris, si rem ordiare, rectius confecturus. Et Chærecrates: Absurda dicis, mi Socrates, inquit, minimeque tibi conuenientia, qui me minorem ætate iubeas initium facere: quum apud omnes homines contrarium quiddam in more positum sit, nimirum vt ætate prouectior in omni dicto factoque principium faciat. Qui hoc? 746
ait Socrates, an non vbique receptum more est, vt iunior grandiori occurrenti de via cedat, & sedens adsurgat, & lecti mollioris honorem tribuat, & inter colloquendum cedat? Ne cuncteris, inquit, vir optime, sed hominem mitigare tenta, qui quidem celeriter admodum tibi obœdiet. Non vides, quàm cupidus honoris, quam liberalis sit? Homunciones enim futiles alia ratione nulla faciliùs allicias, quam aliquid largiēdo: virtutis & honesti studiosos, si cum eis amanter agas, maxime tibi reddideris obnoxios. Et Chærecrates: Quid si, ait, me hoc agēte nihilo fiat ille melior? Quid aliud periculi fuerit, inquit Socrates, quam vt tu declares, te quidem virum bonum, fratrisq; studiosum esse; illum vero nullius momenti, & indignum beneficio? Sed horum nihil futurum arbitror. Nam existimo ipsum, posteaquam animaduerterit se ad certamē hoc abs te prouocari, magna contentione conaturum, vt te verbis ac re ipsa superare beneficentia possit. In hoc quidem tempore sic inter vos adfecti estis, ac si manus ambæ, quas Deus id-

circo creauit, vt mutuo se iuuent, hoc omisso, ad impediendum sese inuicem conuerterent: vel si pedes ambo, qui diuino consilio mutuas ad operas cõditi sunt, hoc ipso neglecto, sibi inuicem impedimento essent. An non magna fuerit inscitia, magnaque infelicitas, iis ad detrimentum vti, quæ ad mutuam vtilitatẽ facta sunt? At enim fratres duos, mea quidem sententia, condidit deus maiorem ad vtilitatem mutuam, quam manus vtrasque, quam pedes, quam oculos, quam cetera, quæcumque natura voluit in hominibus esse germana. Quippe manus, si eas necesse sit illa simul agere, quæ longiori spatio, quam vnius * orgyæ distent, nequaquam id poterint: pedes, ne ad ea quidem, quæ orgyæ distent inter se spatio, simul accesserint: oculi, qui pertingere quam longissime putantur, ne propiora quidẽ a fronte simul & a tergo videre possint. Fratres autem si amici sint inter se, tametsi magno diiuncti sint interuallo, nihilominus agere possunt ea, quæ cum vtriusque sint vtilitate coniuncta. Præterea Socratem aliquando de amicis etiam id disserentem audiui, de quo mihi quidem videretur aliquis vtilitatem maximam ad cõciliationem & vsum amicorum percepturus. Nam audire se dicebat ex multis, esse quiddam inter omnia bona præstãtissimum, amicum
747 certum ac bonum. Videre tamen, complures cuiusuis rei cura potius adfici, quam vt amicos sibi pararent. Etenim cernere se quosdam, qui & domos, & prædia, & mancipia, & rem pecuariam, & supellectilem studiose comparẽt, adquisitaque conseruare nitantur: at complures amicum, quem bonum maximum esse perhibeant, neque vt sibi parent, solicitos esse: neque vt, quãtum possint, eum sibi conseruent. Quinetiam videre se aiebat nonnullos, si amicos & seruos simul aduersa valetudine laborare cernãt, ad seruos quidem adducere medicos, aliaque valetudini conducentia studiose parare, quum interim amicos negligant. Itidem vtrisq; morientibus, seruorum eos obitum grauiter ac moleste ferre, magnique detrimenti loco ducere: in amicis nullum se damnũ fecisse, putare. Nec in reliquis facultatibus quidquam nõ curatum, vel inexploratum relinquere: quum amicos, egẽtes ipsorum cura, negligant. Præterea videre se commemorabat, plerosq; facultatum suarum, tametsi admodum multas habeant, numerum scire: sed

hoc est, spatij extensorũ vtrimque brachiorũ vna cũ pectore. Pollux.

Socratis de amicitia disputationes.

ſed tantum abeſſe, vt amicorum, quos paucos habent, numerum norint: vt etiam quum ſciſcitantibus aliis indicare conantur, quos inter amicos referant, rurſus aliquos ex numeratis reuocent. Tantum ſcilicet eis amicos eſſe curę. Atqui cũ quanam poſſeſſione ac bono amicus egregius comparatus, non manifeſto ſit melior? Nam qui equus, quodve iumentorum par, adeo fuerit vtile, ac bonus amicus? quodnam mancipium adeo beneuolum fuerit, tecumque manendi ſtudioſius? quænam alia res ſic omni ex parte ſit vtilis? Etenim amicus bonus ſeipſum ſubſtituit ad quiduis, quod amicis deeſt; ſiue ad conſtituendas res priuatas, ſeu munera publica. Idem ſiue quis adficiendus eſt beneficio, vires amico ſufficit: ſeu quis metus perturbet, fert opem, partim ſumtus impertiẽdo, partim operas mutuas tradendo, partim vna perſuadendo, partim cogendo. Idem vtentibus fortuna proſpera lætitiam adfert, & aduerſis rebus laborantes plurimum erigit. Quæcumque vero vel manus cuique ſumminiſtrant, vel proſpiciunt oculi, vel aures antę percipiunt, vel perficiunt pedes; in eorum nullo amici beneficí eſt inferior opera. Sæpe quę quis a ſeipſo non elaborauit, non vidit, non audiuit, non perfecit: in iis amici ad amicos ſufficere potuit opera. Arbores nonnulli ſtudẽt excolere fructus cauſſa, quum fertiliſſimum illud prædium, quod amicum vocamus, ſegniter remiſſeq; plurimi curẽt. 748

Audiui aliquando etiam aliud eius colloquium, quod mihi videbatur auditorem excitare, vt ſeipſum exploret, quanto amicis vſui eſſe poſſit. Nam quum vidiſſet quemdam ex familiaribus ſuis amicum, qui egeſtate premeretur, negligere: interrogabat Antiſthenem in illius præſentia, qui amicum negligebat, aliorumq; multorũ: Suntne, inquiens, amicorum quædam, mi Antiſthenes, perinde ac ſeruorum æſtimationes? Nam ex ſeruis hic duabus minis æſtimatur, ille vix mina dimidia, alius minis quinq;, alius etiã decem. Quin etiam Nicias, Nicerati filius, emiſſe talento dicitur eum qui argentifodinis præeſſet. Itaque conſideremus, an perinde ac ſeruorum, ſic & amicorum ſint æſtimationes. Sunt profecto, inquit Antiſthenes. Nam equidem velim hunc potius amicũ mihi eſſe, quam duas habere minas; illum ne dimidiæ quidem minæ præferrem; aliũ potius quã decem minas eligerem; alium * pluris æſtimarem, quam

al. cunctis facultatibus ac laboribus, vt mihi amicus eſſet, redimere.

omnes facultates & reditus. Ergo, subiecit Socrates, siquidem hæc ita se habent, rectè facturum aliquem arbitror, si seipsum exploret, quanti amicis æstimandus sit; atque operam det, vt quātiuis sit pretij, quò minus amici eum deserant. Nam equidem sæpè audio dicentem aliquem, ab homine amico se esse desertum; alium, quòd is, quem amicum esse arbitratus sit, vel vnā sibi minam præferret. Hæc omnia considero, num quemadmodum vbi quis seruum vitiosum vendit, alterique addicit eo pretio, quod reperire potuit: ita etiam nullius amicum momenti quum pretij plurimum accipi potest, vendi expediat. At neque seruos bonos magnopere vendi video, neque bonos amicos relinqui. Visus est etiam mihi Socrates ad explorandos amicos, quales scilicet parari debeant, suos cordatos reddere, quum huiusmodi quædam proferret. Dic mihi, mi Critobule, si amico nobis bono sit opus, quo pacto considerare rem conabimur? Num primò quærendus erit, qui imperet gulæ, potus cupiditati, lasciuiæ, somno, ignauiæ? Nam qui ab his vincitur, is neque ipse sibi, neque amico possit præstare, quod ex vsu sit. Non possit profectò, inquit Critobulus. Ergo tibi videtur abstinendum ab eo, qui rebus hisce seruiat? Omnino, inquit. Quid vero? ait, qui sumptuosus quum sit, satiari non potest, sed semper rebus vicinorum e-
749 get, easque capiens reddere non potest, vel non impetrans odio non dantem prosequitur; non tibi videtur hic quoq; grauis amicus esse? Omnino, inquit. Igitur ab hoc etiam abstinendum? Abstinendum scilicet, inquit. Quid autem, si quis rem facere potest, multasque pecunias concupiscit, ac propterea difficilem se in pactis præbet, & accipiendo delectatur, recusans quod accepit reddere? Videtur is mihi, ait, etiam improbior esse illo altero. Quid autem, si quis ob rei faciundæ cupiditatem nulli alij rei vacet, quàm vnde lucrum possit capere? Ab hoc quoque, mea quidem sententia, est abstinēdum. Nam inutilis ei fuerit, qui vti eo velit. Quid vero, si quis homo sit seditiosus, ac multos amicis hostes velit excitare? Fugiendus & ille profectò. At si quis horum quidem vitiorum expers sit, beneficiis autem se adfici patiatur, nulla vicissim benefaciendi ratione habita? Inutilis & ille fuerit. Sed dicito tandem, mi Socrates, qualem vt amicum nobis adiungamus, opera danda est? Eum arbi-

arbitror, qui diuersa ab his ratione, sit iis in voluptatibus continens, quæ corpore percipiuntur, iuramentum seruet, in pactis se non difficilem exhibeat, summa contentione conetur efficere, ne illis, a quib. beneficium accepit, vicissim benefaciendo sit inferior: ita vt consuetudine sua vtentibus vsui sit. At quo pacto hæc explorare, mi Socrates, possimus prius, quàm eis vtamur? Statuarios, inquit, sic exploramus, vt non ex ipsorum verbis coniecturam faciamus; sed quem prius statuas egregie fecisse cernimus, ei fidem habemus, quod etiam recte ceteras sit elaboraturus. Ergo tu, inquit Critobulus, dicis etiam hominem, qui se prioribus amicis beneficum declarauerit, plane posterioribus quoque benefacturum. Nimirum, ait, quemcumque prioribus equis recte vsum video, eum arbitror etiam aliis bene vsurum. Sint hæc, ait. At quo pacto is nobis adiungendus est, qui amicitia nobis dignus esse videatur? Primum, ait, res diuinæ considerandæ sunt, num dij nobis consulãt, vt eum amicum faciamus. Quid igitur? potesne dicere, quo pacto eum, qui nobis adiungẽdus videatur, etiam diis haud aduersantibus, venari debeamus? Profecto, ait, non insistendo vestigiis eius, quemadmodum leporem venamur: neque fraude, quemadmodum aues: neq; vi, quemadmodum hostes. Nam inuitum amicum capere, per est difficile; neque minus difficile, vinctum retinere, tanquam seruum. Potius enim hostes, quam amici fiunt, si hæc illis accidant. At quo pacto amici? Sunt, ait, carmina quædam, 75
quæ qui tenent, incantando quos volunt amicos sibi possunt facere. Iridem fertur quasdam amoris illecebras esse, quarum periti ad quoscumque tamdem eis vtantur, ab illis diliguntur. Vnde igitur has percipiamus? ait. Homerum narrantem audisti, quibus verbis Vlyssem Sirenes incantarint; quorum huiusmodi quoddam est principium,

Huc ades, ô celebris Graiorum gloria Vlysses.

Hac igitur incãtatione, mi Socrates, quum ad alios etiam homines vtebantur Sirenes, num detinebãt eos, ne excantati ab eis discederent? Nequaquam, sed his incantationibus ad illos vtebantur, qui ob virtutem gloriæ cupidi erãt. Prope dicis eiusmodi verbis vnumquemque incantãdum esse, quæ si audiat, a laudante non irridendi caussa proferri existimet. Nam ita quidem magis hostili esset animo, ho-

minesque tales abs se repelleret; si quis non ignorantem, se paruum, ac turpem, & imbecillum esse, prædicaret vt pulchrum, vt magnum, vt robustum. Num & alias quasdam incantationes nosti? Non, sed Periclem accepi, multarũ peritum fuisse, quibus hanc vrbem incantando effecerit, vt ipsum diligeret. At quo pacto Themistocles ad amorem sui ciuitatem hanc pellexit? Profecto non incantando, sed bono quodam ciues adficiendo. Videris mihi dicere, mi Socrates, necessarium esse, vt si quidem bonum amicum paraturi simus, nos ipsi primum tam in dicendo quam agendo boni efficiamur. An tu existimabas, ait Socrates, fieri posse, vt prauus quispiam bonos amicos pararet? Videbam enim, subiecit Critobulus, etiam oratores viles egregiis concionatoribus amicos esse, & nõ satis ad imperatorium munus idoneos viris eiusdem muneris peritissimis esse familiares. Num igitur, inquit, hac etiam in parte, de qua disserimus, nosti quosdam, qui quum inutiles ipsi sint, viros vtiles sibi efficere amicos possint? Minime vero, inquit. At si fieri non potest, vt vir improbus honestos & egregios amicos paret; hoc mihi dicas velim, an facile sit eum, qui vir ipse bonus sit & honestus, honestis & egregiis hominibus amicum fieri? Num te, mi Critobule, perturbat, quod sæpenumero vides homines præclaras res gerentes, & abstinentes a turpibus, non amicos esse; sed inter se dissidere, & indignius sese tractare, quam homines nullius pretij faciant? 751 Non modo, subiecit Critobulus, priuati homines hoc faciunt; sed etiam illæ vrbes, quę honesti studiosæ sunt, turpiaque minime admittunt, sæpe hostiliter ergâ se inuicem sunt adfectæ. Quæ quum ipse mecum reputo, vehementer de adquirendis amicis despero. Quippe nec improbos inter se amicos esse posse video. Nam quo pacto vel inter ingratos, vel inertes, vel auaros, vel infidos, vel intemperantes amicitia conciliari possit? Quæ me caussa mouet, vt improbos omnes potius a natura inter se hostes esse, quam amicos, existimem. Iam vero, vti tu quidem ais, ne bonis quidem in amicitia praui congruere possunt. Nam quo pacto illi, qui improbe agunt, amici possint esse iis, qui eiusmodi facinora oderunt? Quod si etiam illi, qui virtutem studiose colũt, inter se per seditiones in ciuitatibus de principatu contendunt, & prę inuidia se ipsos oderunt: quinam

deinceps

deinceps inter se amici erunt, & quos inter homines beneuolentia fidesque reperietur? Enimuero, subiecit Socrates, varie se res habet, mi Critobule. Nam homines a natura partim ad amicitiam comparati sunt, quandoquidem opera mutua indigent, ac inuicem miserentur, seque iuuando aliis alij prosunt, idque quum intellexere, gratiam sibi inuicem habent; partim ad inimicitias propendent. Nam quum eadem bona & iucunda putent, de iis inter se digladiantur, diiunctisq; animorum sententiis inuicem sibi aduersantur. Præterea tum contentio, tum ira, res quædam hostiles sunt; itemque plus habendi cupiditas, infestum quiddam est; & odio dignum, inuidia. Nihilominus amicitia per hæc omnia penetrans, honestos egregiosque viros copulat. Nam propter virtutem malunt absque molestia facultates mediocres possidere, quam rixando potestatem in omnia sibi adquirere, simulque possunt esurientes ac sitientes sine animi fastidio cibi ac potus participes fieri, ac tametsi formosis amoribus delectentur, coercere se tamen possunt, ne offendant eos, quos offendi non conuenit. Etiam a pecuniis abstinendo, quo minus alienis inhient, non solum legitime sibi debitis esse contenti possunt: sed etiam sibi inuicem largiri. Præterea possunt simultatem non modo sine molestia, sed etiam ex vtilitate mutua moderari; ac prohibere, quo minus ad hoc ira progrediatur, cuius ipsos deinde pœniteat. Inuidiam prorsus tollunt, partim bona propria amicis mancipando, partim amicorum bona pro suis ducendo. Qui ergo non consentaneum sit, viros 752
honestos & egregios nō solum sine damno, sed etiã mutua cum vtilitate honorum ciuilium participes fieri? Nam qui honores in ciuitatibus ac magistratus ambiunt idcirco, vt potestatem habeãt pecuniam publicam peculandi, vi homines opprimendi, fruendi voluptatibus: illi vero iniusti sint, ac improbi, necesse est; neque fieri potest, vt cum alio coniungantur. At si quis velit honoribus in republica frui, vt tum ipse nō adficiatur iniuria, tum iustis in rebus opem amicis ferre possit, simulque princeps ipse aliquo bono patriam adficere conetur; quamobrem talis homo coniungi cum alio, qui sit & ipse talis, amicitia nō possit? Num amicis esse vsui vna cum honestis & egregiis viris minus possit, vel ad bene de republica merendum minus facultatis ha-

bebit, si honestos & egregios in eo studio socios habeat? Quinetiam gymnicis in certaminibus patet, si liceat præstantissimis aduersus deteriores coniunctis viribus pergere, futurum, vt ipsi cunctis in certaminibus victores euadant, omniaq; præmia consequantur. Quando igitur hoc istic fieri non permittitur, at in negotiis ciuilibus, vbi homines honesti & egregij præcipuas partes obtinent, quum nemo impediat, quo minus quis beneficio rempublicam, cum quo ipse velit, adficiat: qui nõ ex vsu sit, vt optimis quibusque amicis comparatis rempublicam aliquis administret, atque iis potius sociis & adiutoribus gerendarum rerum, quam aduersariis vtatur? Enimuero patet hoc etiam, si bellum aliquis aduersus alium gerere velit, ei sociis opus esse, illisque pluribus, si strenuis ac fortibus sese opponat. Atqui beneficiis adficiẽdi sunt, si quos opitulari nobis volumus, vt sint animis alacres. Multo autem melius est, optimos quosque, tametsi pauciores sint, beneficiis adficere; quàm deteriores, quorum maior sit numerus. Nam improbi multo pluribus benefactoribus, quam probi egent. Tu vero, mi Critobule, fidenti animo bonus esse enitere, atque vbi talis factus fueris, honestos & egregios amicos venari coneris. Ac fortassis etiam ipse nonnihil tibi cõferre ad hanc virorum honestorum egregiorumq; venationem possim propterea, quod ad amorem beneuolentiamque propensus sim. Nam quoscumque homines amem, totus ardenter in hoc feror, vt eos diligens, vicissim diligar, & desiderans, vicissim desiderer; & conuersationis cupidus,
753 vicissim expetar. Quibus & tibi opus fore video, si quando cum quibusdam amicitiam inire cupies. Itaque ne me cæles, quibus esse amicus velis. Nam quum placere studeam illi, qui mihi placet; minime venandi homines imperitum esse me arbitror. Atqui, subiecit Critobulus, harum artium ego, mi Socrates, iamdudum cupidus sum: præsertim si eadem mihi sciẽtia suffecerit ad eos, qui animi bonitate præstant, & qui corporis elegantia excellunt. Tum Socrates: At vero, mi Critobule, inquit, non hoc scientia mea continetur, vt manus iniiciens, forma præstantes aliquis remoretur. Sum enim persuasus, homines ea de caussa Scyllam fugisse, quod manus eis admoueret. Sirenes vero, quia nemini manus iniicerent, sed longo ex interuallo homines

incantarent, vniuersos aiunt remoratas esse, qui quidem audiendo demulcerentur. Et Critobulus: Doce vero me, inquit, si quid habes, quod ad conciliandos amicos conferat. Non enim cuiquam manus iniiciam. Ac ne eos quidem, ait Socrates, ori admouebis? Bono animo* es, inquit Critobulus. Nec enim os vlli admouebo, nisi forma præstet. Tu vero mox, ait, mi Critobule, contrarium ei, quod expediat, dixisti. Nam qui pulchri sunt, nihil eiusmodi morantur; at qui deformes, lubenter admittunt: quod existiment, propter animum se formosos adpellari. Ad ea Critobulus: Age animo alacri me doceto, inquit, artem venandi amicos; quandoquidem pulchros osculaturus, honestos exosculaturus sum. Et Socrates: Vbi, mi Critobule, amicitiam cum aliquo, inquit, contrahere voles, an mihi permittas, vt ad ipsum deferam, te admiratorem ipsius esse, atque amicitiam eius expetere? Licet istuc dicas, vero, ait Critobulus. Quippe neminem noui, qui se laudantes oderit. At si præterea de te dixero, ait, quod præ admiratione ipsius etiam beneuolentia singulari eum complectaris, num me putabis inuisum te velle reddere? Atqui in meipso, inquit, beneuolentia quædam erga illos excitatur, quos animo in me beneuolo esse suspicor. Hæc igitur, ait Socrates, mihi de te dicere licebit ad eos, quos amicos efficere voles. Quod si mihi præterea potestatem facias dicendi de te, quod amici tibi curæ sint; & quod nulla re sic delecteris, atq; bonis amicis; quod ob amicorum præclara facinora nō minus exsultes, quam ob tua: quod ob amicorum commoda nō minus gaudeas, quam ob tua; quod in studio perficiendi, vt amici ea consequantur, non defatigeris; quod deniq; virtutē viro dignam esse intellexeris, beneficiis amicos, hostes lædendo vincere: nimirum arbitrabor me tibi percōmodum fore socium venationis bonorum amicorum. Quaobrem, ait Critobulus, hoc mihi commemoras, quasi non tua sit in potestate situm, vt de me, quod velis, dicas? Non profecto, subiecit Socrates, vti quidem ego de Aspasia aliquando audiui. Aiebat enim, bonas pronubas, quæ cū veritate de aliis bona commemorent, plurimum ad cōciliandam inter homines adfinitatem valere: quæ vero mentirentur, eas laudādo nihil proficere. Fieri enim, vt qui decepti sunt, se oderint mutuo, atque etiam conciliatrices ipsas. Quæ quum

*sis. Æ.P.

754

HH

ita esse persuasus sim, recte facturum me arbitror, si nihil mihi licere de te dicere laudandi caussa statuam, quod non vere proferri possit. Nimirum tu, mi Socrates, ait Critobulus, talis amicus es mihi, vt me sis adiuturus, si ad parandos amicos aliquo modo aptus fuero: sin autem, nihil vtilitatis meæ caussa ficti sis dicturus. Vtrum autem, inquit Socrates, magis commodis tuis seruire tibi videor, si falsis te ornem laudibus; an si persuadeam, vt vir bonus esse studeas? Quod si hoc necdum perspicis, ex his quæ dicam, considera. Nam si tibi cum nauiculatore volens amicitiam conciliare, falso te laudem, bonumque gubernatorem esse dicam, atque ille persuasus a me, nauem imperito tibi gubernandam committat, aliudne quidquam sperare possis, quam te tum nauem, tum teipsum exitio daturum? Vel si tua caussa ciuitati publice persuasero mentiens, vt se tibi, tamquam viro artis imperatoriæ, iudiciorum, rerumque ciuilium perito committat: quid putas & tibi, & per te, ciuitati euenturum? vel si priuatim ciuibus nonnullis persuadeam, idque mentiendo, vt tibi res suas credant, nimirum homini administrandæ rei familiaris perito, atque industrio: an non, vbi periculum illi de te fecerint, damnosum te aliis esse, prætereaque ridiculum declarabis? Nimirum * via maxime compendiaria, tutissima, & rectissima est, mi Critobule, vt in quo bonus esse videri velis, operam des, vt bonus sis. Quæcumque autem in vita mortalium virtutes adpellantur, eas omnes si consideres, doctrina & studio posse augeri animaduertes. Atque has, mi Critobule, venandas nobis

Meminit huius loci M. Tullius in lib. II. de offic.

755 esse arbitror. Tu si aliter iudicas, velim me doceas. Et Critobulus: Me vero pudeat, inquit, his contradicere, mi Socrates. Nec enim honesta, nec vera dicerem. Præterea Socrates amicorum difficultatibus, ex ignoratione profectis, consilio mederi conabatur: quæ vero ex egestate proficiscerentur, eis medebatur docendo, vt pro viribus alter alterius inopiæ subueniret. Dicam autem, quid hac etiam in parte mihi de ipso constet. Nam quum aliquando Aristarchum tristem cerneret: Videris, ait, mi Aristarche, quiddam moleste ferre. Debes autem molestiam hanc cum amicis communicare. Fortassis enim aliqua huius molestiæ parte nos quoq; te subleuauerimus. Et

Aristar-

Aristarchus: Enimuero mi Socrates, ait, magna in difficultate versor. Nam quia seditiones hac in ciuitate motæ sunt, multis in Piræeum confugientibus, conuenerunt ad me relictæ tot sorores, sororum filiæ, consobrinæ, vt meis in ædibus XIV homines ingenui sint. Neque vero vel ex agro quidquam accipimus, quo potiuntur aduersarij: neque ex ædibus, quod hominum exiguus in vrbe sit numerus, & supellectilem emit nemo, neq; vsquam mutuum capi potest, sed citius in via quis argentum quærendo inueniat, quam mutuum accipiat. Graue quidē certe est mi Socrates, propinquorum interitu nihil moueri: sed fieri non potest, vt in tāta rerum perturbatione tot homines aliquis alat. Hæc quum audiisset Socrates: Quid est caussæ, inquit, quod Ceramo complures alens, non sibi solum atque illis suppeditare necessaria potest; sed etiam tantum præterea lucrum facit, vt diues sit: tu multos alens metuis, ne ob necessariorum inopiam omnes pereatis? Quia profecto, ait, seruos alit Ceramo, ego liberos homines. Vtrū vero, subiecit Socrates, putas ingenuos, qui tecum sunt, meliores esse, an Ceramonis seruos? Nimirum meliores sunt ingenui, qui mecum viuunt. An non igitur est turpe, ait Socrates, illum per homines viliores rerū adquirere copiam: te, qui multo meliores habeas, inopia premi? Minime vero, inquit. Nam ille artifices alit, ego liberaliter educatos. Artifices ergo sunt, inquit, qui facere aliquid possunt, quod vtile sit? Maxime, ait. Ergo farina est vtilis? Ac vehementer quidem. Quid panes? Nihilominus. Quid vestes viriles ac muliebres, & tuniculæ, & chlamydes, & * exomides? Admodum, ait, vtilia sunt hæc, & quidem omnia. Iam vero, inquit Socrates, qui tecum sunt, nihil horum possunt elaborare? Immo vero omnia, vt arbitror. Ergo tu ignoras Nausicydem facienda farina, quod vnum ex his est, non solum seipsum & domesticos alere, sed præterea multas sues, & vaccas, atque etiam lucrari tantum, vt nonnumquam in vsum ciuitatis sumtum suppeditet: Ciribum pane faciundo familiam omnem nutrire, & viuere largiter: Demeam Collytensem, conficiundis chlamydibus: Menonem, penulis: Megarensium maximam partem exomidum confectione sese alere? Vero, inquit. Nam illi barbaros quosdam emtos habent, quos possunt cogere ad elaborandum ea,

756 *quid ea vox significet, docet Festus & Pollux, videlicet tunicā manicis carētem.

quæ ipſis expediant. Ego mecum liberos homines, & cognatos habeo. Ergo, ſubiecit Socrates, quod ingenui ſint, ac tibi cognati, propterea putas eis aliud nihil faciendum eſſe, quam vt edant ac dormiant? Num & inter alios ingenuos homines, ſi qui ita viuant, eos commodius degere vides, felicioreſque prædicas illis; qui eorum curam habent, quæcumque ad vitam vtilia norunt? An otium & negligentiam prodeſſe animaduertis hominibus ad diſcendum ea, quæ ſcire conuenit; & ad reminiſcendum, quæ didicerint; & ad valetudinem, roburque corporum; & ad parandum ac conſeruandum ea, quæ ad vitam vtilia ſunt: opus autem facere, ac diligentiam adhibere, nihil prodeſſe putas? Num ea, quæ dicis illas tenere, ſic didicerunt, vt neque ad vitam vtilia ducerent, neque quidquam eorum facerent: an e diuerſo, vt & diligenter in eis elaborarent, & vtilitatem inde caperent? Vtra homines ratione modeſtiores ſint, in otio degendo, an curam iis impendendo, quæ expediant? Vtro modo iuſtiores fuerint, ſi opus faciant, an ſi in otio de victu deliberent? Quin etiam, mea ſententia, neque tu iam illas diligis, neque illæ te: tu, quod eas eſſe tibi detrimento exiſtimes; illæ, quod te ſua cauſſa grauari videant. Ex his periculum eſt, ne & maius odium oriatur, & priſtina gratia minuatur. At ſi te præſide operas faciant, tu quidem eas diliges, quia videbis ipſas tibi eſſe vtiles: & amabunt illæ te contra, vbi animaduertent, te delectationem ex eis capere. Atque etiam prio-
757 rum beneficiorum cum voluptate recordantes, gratiam eis partam augebitis, ac deinceps amicius familiariuſque voſmet mutuo complectemini. Iam ſi turpe quid eis eſſet agendum, mors potius eſſet eligenda. At vero norunt illæ, ceu par eſt, quæcumque videntur mulieri honeſtiſſima eſ-
» ſe, maximeque decere. Quiuis autem quæ nouit, tum fa-
» cillime, tum celerrime, tum elegãtiſſime, tum ſumma cum
» voluptate facit. Quapropter tibi cunctandum non eſt, inquit, vt ad ea ſis illis auctor, quæ tum tibi, tum illis expediant: in quo quidem, ceu par eſt, perlubenter tibi obtemperabunt. Profecto, inquit Ariſtarchus, tam mihi præclare dicere videris, mi Socrates, vt quum antea mutuo ſumendo abhorrerem, quod ſcirem me abſumta mutuo data pecunia, ſoluendo non futurum; nunc mihi videar

id fa-

id facturus ad operarum impensas. Inde comparata fuit impensa, emtæ lanæ: mulieres inter operas prandebant, ac operis absolutis cœnabant. Iam pro tristibus hilares erant, proque eo, quod prius suspicionibus indulgebant, lubenter sese intuebantur. Aristarchum illæ curatoris loco diligere, Aristarchus ipsas tamquam vtiles sibi, vicissim complecti. Tamdem ad Socratem quum accessisset, narrabat & hæc cum voluptate, & quod se solum inter omnes, quotquot essent in domo, reprehenderent; vt qui cibis otiosus vesceretur. Tum Socrates: Tu vero non canis fabulam eis narras? Aiunt enim, id temporis, quum voce vterentur animalia, dixisse ad herum suum ouem: Facis sane mirum quiddam, qui nobis lanas, agnos, caseum tibi suppeditantibus, nihil das extra id, quod e terra consequimur: cani vero, qui nihil tale tibi præbet, cibum illum communicas, quo ipse vesceris. At canem his auditis dixisse: Non abs re profecto. Nam ego is sum, qui vos ipsas conseruat, vt neque furto ab hominibus auferamini, neque a lupis rapiamini. Vos quidem certe, nisi pro vobis ego excubarem, ne pastum quidem habere possetis; veritæ scilicet, ne periretis. Atque hoc modo perhibetur oues ipsas permisisse, vt canis potiori conditione frueretur. Itaque tu etiam illis dicito, te canis instar custodem esse, curamque gerere: cuius opera læsæ a nemine, secure suauiterq; suas operas obeundo viuant. Idem Socrates, quum aliquando sodalem alium quemdam veterem longo ex interuallo videret: Vnde nobis ades, ait, Euthere? Sub exitum belli, mi Socrates, inquit, peregre veniebam, nunc ex hoc ipso loco. Quando enim extra fines Atticæ sita prædia mihi sunt ademta, nec pater in Attica mihi quidquam reliquit: cogor iam domi degens corpore faciundis operis victum quærere. Et videtur hoc mihi præstare, quam aliquem rogare mortalium: præsertim quum pigneris nihil habeam, quo pecuniam accipere mutuo possim. At quam diu putas, ait Socrates, corpus tibi suffecturum, vt victum pro mercede laborando quæras? Profecto non diu, inquit. Itaque quum consenueris, sumtu tu quidem egebis, at nemo tibi mercedem pro corporis laboribus pendet. Vere dicis, inquit. Ergo, subiecit Socrates, præstat ea te opera iam nunc adgredi, quæ tibi etiam quum senueris alendo sufficiant:

Apologus Socratis de cane ac ouibus.

Socratis et Eutheri colloquiũ. 758

atque vt locuplete quodam conuento, qui socio procurationis indigeat, sic illi te iuuanti vicissim prosis; vt operis præsis, & fructus congeras, & facultates ipsius vna custodias. Ego vero, mi Socrates, inquit, ægre seruitutem perferre possim. Atqui ciuitatum præsides, publicarumque rerum curatores, non idcirco magis seruiles, sed magis ingenui existimantur. Omnino, mi Socrates, non admodum velim me reprehensioni alicuius obnoxium esse. Atqui, mi Euthere, inquit Socrates, non facile reperiri potest opus, in quo non aliquis culpetur. Est enim difficile, sic aliquid agere, vt nihil omnino delinquas: atque etiam, quum absque delicto factum est aliquid, in iudicem nō iniquum incidere, difficile est. Nam equidem miror, te in iis etiam operis, in quibus nunc versaris, facile consequi, vt inculpatus maneas. Quamobrem danda est opera, vt culpandi cupidos fugiamus, æquos autem æstimatores sectemur: itemque negotia, quæcumque conficere potes, vt suscipias; quæ non potes, caueas: quidquid autem feceris, in id vti quam rectissime promtissimeque incumbas. Nam ita futurum arbitror, vt minime culperis, inopiamque tuam maxime subleues, ac facillime omnis expers periculi magna in rerum copia etiam in senecta viuas. Præterea scio Socratem aliquando ex Critone audiuisse, difficulter Athenis hominem degere posse, qui sua velit agere. Nunc enim me nonnulli, ait, in ius rapiunt, non quod a me fiat eis iniuria; sed quod existiment, lubentius me pecuniam
759 exsoluturum, quam cum aliis habiturum negotia. Tum

Socrates Critoni dat consilium.

Socrates: Dic mihi, mi Crito, ait, annon canes alis, vt lupos ab ouibus arceant? Maxime, inquit, quum plus expediat mihi, eos alere, quam non alere. An non igitur etiam hominem velis alere, qui & velit, & possit illos arcere, quotquot iniuria te conantur adficere? Perlubenter sane, inquit, nisi vererer, ne aduersus meipsum se conuerteret. Quid autem? ait, non multo iucundius esse vides, aliquem viro tali, qualis tu es, gratificantem potius, quam infestum, vicissim ab eo iuuari? Certo velim scias, esse tales heic homines, qui magno sibi honori ducerent, si te amico vterentur. Ex eorum numero Archedemum inueniunt, dicendi quidem illum, & agendi peritissimum, sed pauperem. Non enim is erat, qui abs quouis lucrum caperet;

peret: sed quum æquitatis studiosus esset, dicere solebat, esse facillimum, sycophantis aliquid eripere. Huic igitur Crito quoties aut frumentum, aut oleum, aut vinum, aut lanas, aut aliquid aliud rerum in prædio suo nascentium, & ad vitam vtilium, colligeret; partem detractam donabat. Eumdem, quoties rem sacram faceret, inuitabat; ac in omnibus huiusmodi eum non negligebat. Itaque quum existimaret Archedemus, domum Critonis sibi refugij loco esse, cœpit eum plurimum obseruare: statimque calumniatorum Critonis iniusta pleraque facinora perquirendo reperit, & infestos iisdem non paucos: adeoque publicum in iudicium eos arcessiuit, in quo cognosci oportebat, quo supplicio, quave multa puniri deberent. At reus, multorum sibi malorumque facinorum conscius, nihil non moliebatur, vt ab Archedemo liberaretur. Archedemus vero finem nullum faciebat, donec ille Critonem dimisisset, & pecuniam sibi numerasset. Id vbi iam Archedemus, aliaque similia perfecisset: tum vero non aliter, atque vbi pastor aliquis canem egregium habet, ceterique pastores haud procul ab illo greges suos sistere cupiunt, vt eius canis opera fruantur: ita & complures Critonis amici rogabant, vt etiam sibi Archedemum custodem concederet. Archedemus autem Critoni perlubenter gratificabatur, neque iam solus Crito quiete fruebatur, sed etiam ipsius amici; ac si quis eorum quibus erat in odio, exprobraret ei, quod perceptis quibusdam a Critone cōmodis, eidem adularetur: Vtrum, inquit, turpe est eum, qui a probis hominibus beneficiis adfectus sit, vicissim beneficium præstando, eiusmodi homines amicos facere, & ab improbis dissidere: an honestos & egregios homines lædere conantem, eosdem hostes efficere, peruersos autem iuuando, amicitiam eorum conciliare; hisque potius, quam illis vti? Ex eo tempore Critonis amicorum in numero Archedemus erat, & a ceteris eius amicis colebatur. Memini Socratem etiam cum Diodoro familiari suo in hanc sententiam disseruisse. Dic mihi, mi Diodore, ait, si quis famulorū tuorum aufugiat, dasne operam, vt eum retrahas? Immo etiam profecto alios hortor, inquit, vt denuntient, cessura quædam recuperanti præmia. Quid autem? si quis seruorum aduersa valetudine laboret, an non curam eius

Socratis ad Diodorum pro Hermogene intercessio.

habes, ac medicos arcessis ne moriatur? Admodum vero, inquit. Iam si quis familiarium tuorum, ait, qui longe pluris sit tibi, quam quisquam seruorum, in periculo sit pereundi ex inopia; non æquum esse ducis, eius te curam habere, vt euadat incolumis? Atqui non ignoras Hermogenem minime ingratum esse, quem quidem puderet adiutum abs te non vicissim rebus tuis commodare. Habere autem ministrum quemdam non inuitum, & beneuolum, & constantem, & ad agenda imperata idoneum, immo non solum ad imperata facienda promtum, sed qui etiam per se vsui possit esse tum in prouidendo, tum in præcipiendis consiliis: equidem longe præstare arbitror, quam vt multos aliquis seruos habeat. Iubent autem rei familiaris administratores boni tunc emere, quum magni quidpiam pretij licet exiguo comparare. Boni vero amici hoc rerum statu vilissimo pretio parari possunt. Recte mones, mi Socrates, inquit Diodorus: iube veniat ad me Hermogenes. Id vero, subiecit Socrates, equidem minime fecero. Etenim neque tibi honestius esse duco, te potius illum arcessere, quam conuenire: neque magis ex illius esse re, quam tua, hæc ita fieri. Hoc modo factum, vt ad Hermogenem Diodorus accederet, neque magna pecunia erogata, compararet amicum talem; cui cordi esset, vt quid vel proferendo, vel agendo commodare Diodori rebus, eumq; posset exhilarare, dispiceret.

LIB. III.

Argumentum.

1. *Socratis de Imperatorio munere colloquium cum quodam Imperatoriæ dignitatis cupido habitum.* 2. *Quid in bono Imperatore requiratur.* 3. *Muneris imperatorij partes.* 4. *Ordo omnibus in rebus quam necessarius.* 5. *Bonorum a malis discernendorum ratio.* 6. *Imperator Agamemnon cur ab Homero populorum pastor appellatur.* 7. *Reges, Imperatores, & Magistratus a populis cur eligantur, & creentur.* 8. *Equitũ præfecti munus.* 9. *Quibusnam potissimum homines parere velint, atq; soleant.* 10. *Dicendi peritia Magistratibus cur necessaria.* 11. *Ambitione mortales ad res præclaras, & honorificas excitari.* 12. *Boni œconomi, bonique Imperatoris collatio, & vtriusq; munus.* 13. *Rerum priuatarum*

tarum procuratio quomodo a publicarũ tractatione differat. 14. Socratis cum Pericle Periclis filio colloquium de muneris imperatorij partibus. 15. Metus plurimum valet ad homines in officio continendum. 16. Atheniensiũ maiores, & posteri quales fuerint. quantum inter vtrosque discrimen intercedat. 17. Socrates Glauconem Aristonis filium, adhuc adolescentem, & oratoris munus vsurpare cupientem, ab ambitionis studio quomodo reuocarit. 18. Sua ciuitatis principatum obtinere, quam pulchrũ & gloriosum sit. 19. In eo, qui principatum istum affectat, quænam virtutes requirantur, vt principatu dignus habeatur. 20. Quid illis sciendum, ac diligenter considerandum, qui de bello hostibus inferendo consultant. 21. Quæ ignoramus, nec dicenda nec facienda sunt. cur. 22. Socrates quomodo Charmidem ad magistratus capessendos hortatus fuerit. 23. Socrates Aristippum quomodo rursus arguerit imperitiæ. 24. Boni appellatio quomodo sit consideranda. 25. Pulchrũ quid vocetur, & cui pulchrum esse dicatur. 26. Bona, & pulchra inter relata ponuntur, nec simpliciter ita vocãtur. 27. Socratis consilium de domo ædificanda. 28. Corporis animiq; virtutes disciplinis, & exercitationibus augeri posse. 29. Sapientiam, mentisq; sanitatem cur Socrates non discerneret. 30. Eiusdẽ de cæteris virtutibus iudicium, & sententia. 31. Insanos, & insaniam quam Socrates appellaret. 32. Socrates de inuidis, & inuidia quid sentiret, & quibus has appellationes tribuendas censeret. 33. Otiosos quos vocaret & quid otium. 34. Reges ac principes, quos esse diceret. 35. Quibus præcipue parendum. 36. Socrates artificib. etiam, & mechanicis hominibus quomodo suis colloquiis prodesset. 37. Pictura quid, ipsius finis, ac vsus. 38. Quas res pictura pictores imitari, & quomodo eas effingere pingendo valeant. 39. Socratis colloquiũ cum Clitone statuario de præceptis artis statuariæ habitum. 40. Eiusdem cum Pistia fabro loricario colloquiũ habitũ de loricarum corporibus apte congruentium ratione, de loricarum varietate, de diuersitate pretij, & causa. 41. Eiusdem colloquium de Theodotæ mulieris formosissimæ præstantia cum quodam habitum. 42. Formosas spectare cur non debeamus. 43. Eiusdem cum Theodota colloquium, quo Theodotam à meretricio quæstu reuocare, & ad legitimas, honestasq; victus parãdi rationes discendas incitare voluit. 44. Amici quomodo parandi, & quibus rationib. in amicitia continendi. 45. Socratis colloquium cum Epigene de bona corporis valetudine paranda, atq; conseruãda habitum. 46. Quot & quanta mala aduersam valetudinem sequãtur. 47. Bo-

nam corporis constitutionem, bonamq; valetudinem quæ commoda comitentur. 48. *Varij sermones, quibus Socrates varios homines a vitiis deterrere, & ad virtutes sectandas, atq; colendas adducere conabatur.* 49. *In conuiuiis quomodo se gereret, & quid aliis in iisdem faciendum censeret.*

XENOPHONTIS MEMORABILIVM LIBER TERTIVS.

761 ETERVM iuuisse Socratem rerum honestarum cupidos in hoc, vt illorum, quæ expetebant, studium in eis excitaretur: id iam commemorabo. Nam quum audiisset aliquando, Dionysodorum in vrbem venisse, qui artem imperatoriam docere se velle polliceretur: ad quemdam e familiaribus dixit, quem huius honoris in ciuitate consequẽdi cupidum esse animaduerteret: Turpe est eum, mi adulescens, qui fungi munere imperatorio velit in republica, negligere discendæ illius occasionem, quæ offeratur: atque hic multo iustius a ciuitate puniretur, quam si quis imperitus statuariæ, nihilominus statuas fingendas susciperet. Nam quum bellicis in periculis vniuersa respublica imperatori committatur, consentaneum est, eo rem feliciter gerente magna reipublicæ commoda, contraque peccante ipso, magna mala euenire. Cur igitur non is merito, qui artem hãc discere negligit, ac nihilominus vt imperator deligatur, omni cura consequi nititur, multari debeat? Hęc quum diceret, persuasit homini, vt ad discendum accederet. Posteaquam re percepta rediret, cum eo iocans: An non, inquit, videtur vobis, amici, perinde atque Homerus Agamemnonem augustum dixit, ita etiam hic, posteaquam imperatoriam artem didicit, augustior videri? Etenim quemadmodum qui citharam pulsare didicit, etiamsi non pulset citharã, nihilominus citharœdus est: & qui medendi artem didicit, etiamsi medicinam non faciat, nihilominus medicus est: ita hic quoque semper ex hoc tempore imperator est, etiamsi a nemine ad munus hoc deligatur.

Socrates de imperatorio munere disserit.

At

At vero qui alicuius rei rudis est, is nec imperator, nec medicus est, etiamsi vel ab vniuersis hominibus deligatur. Vt autem, ait, etiam nos, si quis forte nostrum te prætore vel cohortis præfectus, vel manipuli ductor fuerit, rerum bellicarum peritiores simus: dic nobis, vnde cœperit artem imperatoriam tibi tradere. Ab illo ipso, inquit, in quod etiam desiit. Nam ordinum rationes, nihilque præterea me docuit. Atqui, subiecit Socrates, aliquanta hæc artis imperatoriæ pars est. Nam necesse est impe- 762
ratorem esse peritum parandi ea, quæ ad bellum requiruntur, & suppeditandi commeatum militibus, & in consiliis sollertem, & in labore strenuum, & diligentem, & tolerantem, & perspicacem ingenio, & benignum, & sæuum, & simplicem, & insidiosum, & cautum, & furem, & profusum, & rapacem, & largiendi cupidum, & auarum, muniendi sese, ac alios adgrediendi non ignarum: alia denique multa tum a natura, tum a scientia requiruntur in eo, qui recte munere imperatorio functurus sit. Nihilominus bonum est etiam aciei struendæ peritum esse. Nam multum interest inter ordinatas & confusas copias, quemadmodum lapides, & lateres, & ligna, & tegulæ, si confuse disiecta sint, vsum nullum habent: verum posteaquam ea, quæ neque putrescunt, neque liquescunt, vt sunt lapides ac tegulæ, in imo ac summo collocantur, in medio vero lateres & ligna, quemadmodum in ædium structura componi solent; tum scilicet efficitur res magni pretij, videlicet domus. Et adulescens: Dixisti, ait, quiddam valde simile, mi Socrates. Nam & in bello fortissimi quique primo vltimoque loco sunt collocandi, pessimi vero in medio, vt ab illis ducantur, ab his impellantur. Tum Socrates: Siquidem, ait, etiam te docuit strenuos ab ignauis discernere: sin autem, quid expedit tibi quidquam didicisse? Nam si te argentum iussit pulcherrimum primo vltimoque loco ponere, in medio vero pessimum, neq; tamen docuit bonum ab adulterino discernere, nullo id tibi vsui fuerit. Profecto, inquit, non hoc me docuit: quo fit, vt nos ipsos necesse sit fortes ab ignauis secernere. Cur igitur non consideramus, ait Socrates, quo pacto in eis non fallamur? Equidem hoc cupio subiecit adulescens. Ergo, inquit Socrates, si argentum diripiendum sit,

an non argenti cupidissimis primo loco dispositis, recte aciem instrueremus? Ita mihi videtur. Quod si eos collocare libeat in fronte, qui periculum subire debeāt, nonne cupidissimos honoris istic disponemus? Nā hi certe sunt, ait, qui laudis gratia pericula non reformidant. Ideoq; obscuri esse nequeunt, sed vbiq; conspicui, facile deligi poterūt. At enim vtrum te solummodo aciei struēdæ rationem docuit, an etiam vbi, & quo pacto singulis ordinibus vtēdum sit? Non admodum, ait. Atqui multa sunt, ad quæ neq; ducere, neq; instruere conuenit eodem modo. Ea vero, inquit
763 adulescens, non profecto declarauit. Ergo tu rursus ad eum accedito, hominemq; interrogato. Nam siquidē hæc sciet, ac impudens non erit, pudebit eum accepta pecunia te adhuc indigentem doctrina dimisisse. Quum etiam Socrates aliquando in aliquem incidisset, qui delectus erat, vt imperatorio munere fungeretur: Quamobrem, ait, Homerum existimas adpellasse Agamemnonem pastorem populorū? an ideo, quod quemadmodum pastorem in hoc adhibere curam oportet, vt oues & saluæ sint, & habeant pabulum necessarium: ita etiam imperatori curādum sit, vt milites sint incolumes, & commeatum habeant, id ipsum hoc modo consequuturi, cuius caussa militant? Idcirco autem militant, vt hostibus victis beatiores sint. Nam cur ita laudauit Agamemnonem, vt diceret?

Miles erat fortis pariter, & rex bonus idem.

An non propterea, quod tum demum aliquis & bellator, & fortis futurus sit, nō si solus ipse recte se gerat in prœliis aduersus hostes, sed etiam in vniuerso exercitu idem efficiat? Quodq; rex bonus, non si suæ tantum vitæ bene præsit, sed iis etiam quibus imperat, auctor sit felicitatis? Nam rex creatur, nō vt egregie sui ipsius curam habeat; sed vt illi etiam, qui eum crearunt, per ipsum beati sint. Et militant omnes, vt quam optima vita fruantur: & imperatores propterea legunt, vt eis ad hoc ipsum duces sint. Itaq; debet is, qui munere imperatorio fungitur, hoc ipsum illis procurare, qui eum imperatorem legerūt. Nec enim procliue est quidquam hoc pulchrius inuenire, vel contrario turpius. Atq; hoc modo considerās, quæ boni ducis esset virtus, cetera quidem auferebat, hoc solo ei relicto, vt illos, quibus præest, beatos reddat. Memini etiam ipsum aliquando in

hanc

hanc sententiam ad quemdam disseruisse, qui vt copiis equestribus præesset, lectus erat. Potesne dicere nobis, mi adulescens, quamobrem magister equitũ esse concupiueris? Non.n. ideo certe, vt inter equites ceteros primus ipse equitares. Nam id equites sagittarij sibi deposcũt, qui quidem etiam magistros equitum præcedunt. Vere dicis, ait. Enimuero ne ideo quidem, vt notus esses. Nam & furiosi omnibus noti sunt. Hoc etiam, inquit, vere dictum. Num igitur propterea, quod equestres copias reipublicæ te meliores effectas traditurum existimas? atq; vt, si necessitas equitum operam desideret, iis ita præsis, vt patriæ boni alicuius auctor sis? Omnino, inquit. Egregiũ profecto quiddam hoc fuerit, ait Socrates, si præstare possis. Imperium vero quod tibi mandatũ est, nimirum in equos est, & equites. Ita scilicet est, inquit. Age igitur, hoc primum nobis dicito, quo pacto equos te pręstantissimos effecturum cogites. Et ille: Puto equidem, ait, hoc ad munus meum nihil pertinere, sed cuiuis seorsum equum suum curandum esse. Ergo si tibi, subiecit Socrates, equos exhibeant alij tam vitiatis pedibus, tam ęgris cruribus, tam imbecillos, alij tam male pastos, vt sequi non possint: alij tam contumaces, vt quo tu eos loco constitueris, manere nolint; alij tam calcitrosos, vt ne quidem cõstitui alicubi possint: quam ad rem equitatus hic vtilis erit tibi? aut quo pacto poteris, dum talib. prçes, reipub. prodesse? Tũ ille: Pręclare mones, inquit, & conabor equidem pro meis virib. equorum habere curam. Quid autem? non operam dabis, vt equites meliores efficias, vt in equos adscendẽdi sint peritiores. Hoc quidem necesse est, inquit. Nam etiã si quis eorum delabatur, multo tamen magis hoc modo saluus euaserit. Quid vero? sicubi periculum subeundum sit, vtrum hostes ad arenam iubebis adducere suos, vbi vos equitare consueuistis, an operam dabis, vt iis in locis tales exercitationes instituas, in quibus hostes esse solent? Melius hoc sane fuerit, inquit. Quid autem? Num vt quam plurimi ab equis deiiciantur, curæ tibi erit? Hoc quoq; melius fuerit, ait. An vero cogitasti acuendos esse animos equitum, & irritandos aduersus hostem, quæ quidem res ipsos fortiores reddunt? Si nõ hactenus, saltim nunc id adgrediar, inquit. An autem curæ tibi fuit, vt dicto sint audientes equites: Nam absque illo sit,

nec equorum, nec equitum bonorum ac fortium vsus vllus erit. Vere dicis, ait. sed qua potissimum ratione, mi Socrates, ad hoc quis eos impulerit? Nimirum nosti, quauis in re parere homines illis maxime velle, quos existimant esse præstantissimos. Nam in morbo potissimum illi parent, quem medicæ rei putant esse peritissimum; & in naui qui nauigant, ei, quem gubernandi putant esse peritissimum; & in agricultura, quem agri colendi peritum in primis arbitrantur. Omnino, inquit. Igitur consentaneum est, etiam in equestri re ceteros ei, qui maxime scire videatur,
765 quæ faciunda sint, maxime parituros. Itaque si ego, mi Socrates, præstantissimum me declarauero, num ad hoc mihi sufficiet illud, vt mihi pareant? Siquidem præterea, subiecit Socrates, docueris eos, fore melius ipsis ac salutarius, si tibi obtemperent. At quo pacto, inquit, hoc docebo? Multo facilius profecto, quam si docere te oporteat, mala bonis præstare, magisque conducere. Dicis tu, inquit, debere magistrum equitum præter alia curam adhibere, vt etiam dicendi facultatem habeat? Tu vero existimabas, respondit, tacite præfecturam equitum administrari posse? An non tecum ipse cogitas, nos ea vniuersa, quęcumque de præscripto legis longe pulcherrima didicimus, & per quæ viuendi modum tenemus, vna cum quauis alia bona disciplina, orationis ope didicisse; quodque doctores optimi sermone in primis vtantur, & qui dignissima cognitione tenent, pulcherrime disserant? An ad animum tibi numquam accidit, quod quum chorus vnus ex hac vrbe efficitur, verbi caussa, qui in Delum mittitur, nullus aliūde huic æqualis institui possit; quodque tanta virorum præstantia in alia vrbe nulla cogatur, quæ huic nostræ respondeat? Vere dicis, ait. Atqui neque vocis elegantia tantum præstant Athenienses aliis, neq; corporum magnitudine ac robore; quātum ambitione, quæ maxime ad præclara & honorifica mortales excitat. Etiam hoc, ait, verum est. Ergone putas, inquit, etiam equestres copias, quæ heic sunt, si quis diligenter curet, longe præstaturas aliis armorum equorumque adparatu, ac ordine, & promte pericula aduersus hostes subeundo, si existimarent hæc facientes, se laudem ac gloriam * consequuturos? Hoc quidem est consentaneum, inquit. Ergo ne cuncteris, ait, sed operam dato, vt equi-

** fortasse, cōsequuturas. quod ad equestres copias refertur: vel ad significatū, equites sc. hoc referēdum, vt in Græcis verbis figurate res est dicta. Æ. P.*

equites ad ea propellas, de quib. & tibi, & propter te ceteris ciuibus commodũ aliquod sperandũ sit. Equidem hoc profecto conabor, inquit. Quum autem aliquando Nicomachidem abeuntem e comitiis vidisset, quærebat: Quinam, mi Nicomachides, imperatores lecti sunt? Et ille; An non tales sunt, ait, Athenienses, mi Socrates, vt me quidem non elegerint, qui ex delectus tabellis militans tum manipulos ducendo, tum cohortibus imperando, tum vulnera tot ab hostibus accipiendo, (simul se denudans, vulnerum cicatrices ostendebat) iam confectus sum: Antisthenem vero legerunt, qui neque grauis armaturæ pedes vlla in expeditione vnquam fuit, neque inter equites quidquam illustre gessit, ac præter rationem cogendæ pecuniæ nihil nouit. Bonum vero id fuerit, ait Socrates, posse militibus ipsum necessaria suppeditare. Enimuero, inquit Nicomachides, etiam mercatores cogendæ pecuniæ rationem norunt, neque tamen idcirco fungi munere imperatorio possunt. Et Socrates: Etiam victoriæ cupidus est Antisthenes, inquit, quod in imperatore necessario requiritur. An non vides eum, quoties chori dux fuit, omnibus choris vicisse? Profecto, ait Nicomachides, nihil similitudinis habet chori & exercitus præfectura. Atqui, subiecit Socrates, quum neque canendi, neque doctrinæ chororum peritus esset Antisthenes, nihilominus reperire potuit eos, qui in his longe præstarent aliis. Ergo & imperatorio dum munere fungetur, inquit Nicomachides, alios inueniet, qui eius loco aciem struent; alios, qui pugnabunt. Nimirum, ait Socrates, si etiam in rebus bellicis præstantissimos quosque perinde ac in iis; quæ ad chorum pertinent, repererit, ac præ aliis delegerit: consentaneum est, eum hac quoque in parte victoriam reportaturum. Præterea credi par est, eum maiores facturum sumtus in hanc rerum bellicarum victoriam, quæ communis ei cum ciuitate vniuersa est; quam in victoriam chori, cum tribu sua partam. Hoccine vis mi Socrates, inquit, eiusdem esse hominis, choro & exercitui præesse? Equidem, inquit, aio illum, qui sciat, quibus sit opus, eaque comparare possit, cuiuscumque tamdem rei præsit, bonum tamen præfectum esse; siue choro, seu domui, seu ciuitati, seu exercitui præsit. Profecto, ait Nicomachides, numquam de te auditurum equidem

Quid vero? [An nō hoc ad vtrūq; pertinet,] singulos ad [alios] imperandum idoneos efficere? Æ. P. vide de meas notas.

me arbitrabar, mi Socrates, bonos patresfamilias etiam bonos imperatores esse. Age igitur, inquit Socrates, vtrusque officia indagemus; vt sciamus, eadem ne sint, an diuersa. Omnino, ait. An nō igitur ad vtrumque pertinet, vt imperio suo subiectos sibi morigeros & obsequentes reddat? Vero, inquit. * Quid? an non, vt singulis imperent ea, quæ ipsos facere conueniat? Hoc quoque respondit. Etiam hoc vtrique conuenire arbitror, vt malos puniant, & adficiant honore bonos. Prorsus ita est, ait. Subditorum autem beneuolentiam sibi conciliare, qui non vtrique fuerit honestum? Ita est, inquit. Vt socios & auxiliatores adsciscant, num vtriq; putas ex vsu esse, nec ne? Omnino, inquit. Nonne ad res suas custodiendas vtrosque idoneos esse conuenit? Maxime, ait. Ergo & diligentes, & laborum tolerantes
767 in officiis suis oportet esse vtrosque. Omnia hæc, inquit, ex æquo vtrisq; cōpetunt; verum pugna decernere, non vtriq; cōmune est. An nō vtriq; hostes habere possunt? Omnino, ait. Ergone vtrisq; expedit vt his superiores euadāt? Expedit plane. Verum si omittas illud, si pugnandū sit, quid rei familiaris administrandę ratio proderit? Plurimū, inquit Socrates. Nā quum rei familiaris administrandæ peritus quū sciat, nihil adeo vtile ac fructuosum esse, ac pugnando hostes vincere, neque quidquam esse tam inutile ac damnosum, ac superari; alacri studio quæ ad vincendum conducunt, quæret ac parabit; ac diligenter considerabit & cauebit, quęcumque ad hoc faciant, vt vincatur; quumque videbit adparatum ad victoriam idoneum esse, viriliter dimicabit. At si imparatus sit, manum ne conserat, inprimis cauebit. Ne tu mi Nicomachides, inquit, homines administrandæ familiaris rei peritos contemseris. Nam rerum priuatarum procuratio tantum a publicarum tractatione differt multitudine. cetera consimiles sunt. Quodque maximum est, neutra fit absq; hominibus: neque per alios quidem homines priuatæ, per alios autem publicæ res tractantur. Nam qui publica procurant, non aliis vtuntur hominibus, quam quibus illi, qui priuata gubernant, quotquot sane periti quo pacto conueniat hominibus vti, tum priuatas, tum publicas res egregie administrant: id vero qui nesciunt, vtrimque peccant. Quum etiam aliquando cum Pericle, Periclis illius clarissi-

clarissimi filio, dissereret: Equidem mi Pericles, ait, spero futurum, vt si tu imperatoris munere fungaris, & fortius, & maiori cum gloria se bellicis in rebus ciuitas nostra gerat, ac de hostibus victoria potiatur. Cui Pericles: Velim eueniant mi Socrates, inquit, quæ tu narras. Verum quo pacto fieri possint, intelligere nequeo. Vis igitur, subiecit Socrates, de his disputando cõsideremus, quo pacto fieri possint? Volo, inquit. Ergo nosti, ait, Athenienses multitudine Bœotis nequaquam inferiores esse? Scio, inquit. Vtrum vero putas plura egregia pulchraque corpora deligi de Bœotis posse, an Atheniensibus? Ne hac quidem in parte mihi videntur inferiores esse. Vtros autem putas magis esse be- 768
neuolo erga se animo? Equidem Atheniẽses arbitror. Nam plerique Bœoti quod a Thebanis condicionem meliorem adfectãtibus circumueniantur, infestis sunt in eos animis: Athenis nihil eiusmodi video. Atenim Bœoti honoris cupidissimi sunt, maximaque comitate supra ceteros præditi: quæ sane haud parum excitant homines, vt pro gloria patriaque periculum adeant. Ne in hoc quidem Athenienses reprehendi possunt. Maiorum quidem præclara facinora nulli nec insigniora, nec plura habent, quam Athenienses: quo fit, vt multi accensi seipsos excitent ad exercendam virtutem ac fortitudinem. Vere tu quidem dicis hæc omnia, mi Socrates: sed ex quo clades * illa accepta est, in qua cum Tolmide C I Ɔ milites ad Lebadeam cæsi sunt, itemque posteaquam cæsus fuit ad * Delium Hippocrates, vides Atheniensium gloriam apud Bœotos imminutam esse; & e contrario Thebanos aduersus Athenienses eos animos sumsisse, vt iam Bœoti, qui antea ne suis quidem in finibus absque Lacedæmoniis, reliquisque Peloponesiis, aciem aduersam Atheniensibus audebant opponere, nunc se suo marte Atticam inuasuros minitentur: Athenienses vero, qui prius, quum adhuc Bœoti soli essent, Bœotiam populabantur, nũc ne Atticam Bœoti vastent, metuunt. Et Socrates: Animaduerto, inquit, hæc ita se habere. Sed videtur mihi ciuitas nostra nunc animo benigniori erga virum fortem adfecta, quem imperio præficit. Nam fiducia negligẽtiam, & ignauiam, & inobœdientiam in hominum animis excitat: metus autem efficit adtentiores, magisque parendi studiosos,

*de qua Diodorus Siculus lib. 12

*oppidulum Bœotiæ De clade ipsa Diodorus idẽ lib. 12.

atque compositos. Quod quidem intelligi magis etiam
potest, sumto de nautis argumento. Nam quum illi nihil
sibi metuunt, nihil recte atque ordine gerunt: at vbi vel
tempestatem, vel prœlia verentur, non solum imperata
cuncta faciunt; sed etiam cum silentio quid futurum sit vt
ipsis mandetur, sollicite exspectant, instar eorum, qui na-
uant in choris operam. Enimuero, subiecit Pericles, si iam
maxime parituri sint, opportunum fuerit disserere, quo pa-
cto eos impellere possimus, vt rursus a virtute, gloria, feli-
citateque pristina excitentur. Ergo, ait Socrates, si velimus
eos opes sibi vindicare, quas habebant alij, in primis ad
has repetendas incitaremus, si ostenderemus has illis pa-
769 tritas & peculiares esse. Quia vero volumus eos operam
dare, vt virtute locum obtineant principem: demonstran-
dum erit, hoc ipsum a priscis iam sæculis ad ipsos pertine-
re, ac futurum, vt si in hoc incumbant, omnium præstan-
tissimi fiant. At quomodo possimus hoc docere? Sic arbi-
tror, si maiores ipsorum longe antiquissimos, de quibus ac-
cepimus, in memoriam eis reuocemus, quod nimirum au-
diuerint eos fuisse optimos. Num de iudicio deorum lo-
queris, quod ob virtutem Cecropi cum suis commissum
fuit? De hoc ipso loquor, & de educatione, ac ortu Erech-
thei; de bello, quod eius tempore coortum fuit aduersus
incolas totius proximæ continentis; de bello, quod Her-
culis nepotum tempestate contra Peloponesios est susce-
ptum; de bellis denique omnibus, quæ sub Theseo gesta
sunt: in quibus vniuersis tales illi se declararunt, qui ætatis
suæ hominibus longe præstarent. Adde, si placet, quæ dein-
de illorum nepotes gessere, qui paullo ante memoriam no-
stram extiterunt: dum partim illi ductu suo dimicarunt ad-
uersus eos, qui Asiæ vniuersæ, ac Europæ ad Macedoniam
vsque imperitabant, maximamq; supra maiores suos potē-
tiam atque opes possidebant, ac res maximas gesserāt: par-
tim etiam cum Peloponesiis fortiter se gesserunt terra &
mari, quum quidem hi lōge præstitisse suę ætatis hominib.
dicantur. Nimirum ita perhibetur, ait Pericles. Quumque
multæ in Græcia migrationes acciderent, nihilominus illi
suo in agro permanserūt: quum inter se multi de iure disce-
ptarent, ipsorū arbitrio controuersias permittebant: quum
multi a potentioribus petulanter læderentur, ad eos con-
fugie-

fugiebant. Tum Pericles: Equidem miror mi Socrates, inquit, quo pacto ciuitas hæc peiorem ad statum prolapsa sit. Arbitror, inquit Socrates, perinde ac alij quoque nonnulli desides facti ob res egregie supra virtutem ceterorum gestas, non amplius aduersariis pares sunt: sic & Athenienses, quum longe præstarent aliis, seipsos neglexisse, ac propterea euasisse peiores. Quid igitur faciundum iam esset, vt virtutem pristinam recuperarent? Et Socrates: Id vero nemini occultum esse arbitror. Nimirum si cognitis maiorum suorum institutis, eis nihilominus essent dediti, atque illi fuerunt; non essent eis deteriores. Sin autem, saltim eos imitando, qui nunc primas tenent, & eorumdem institutis inhærendo, siquidem id pari facerent 770
industria, nihilo peiores illis essent: sin maiori, etiam meliores. Dicis, ait, longe ciuitatem nostram abesse a virtute. Nam quando tamdem Athenienses ita, vt Lacedæmonij, vel natu grandiores reuerebuntur, quum ab ipsis patribus orsi contemnere seniores incipiant? vel corporis exercitiis vtentur, quum non solum ipsi bonam corporis constitutionem parui faciant, verum etiam illos irrideant, qui curam eius habent? Quando magistratibus obtemperabunt, qui exsultant etiam propterea, quod magistratus cõtemnant? Quando concordes erunt, qui pro studio iuuandi se inuicem, iniuriis sese adficiunt, & magis inuident sibi, quam hominibus ceteris? Qui omnium maxime tum in priuatis, tum publicis congressibus inter se dissident, lites inuicem sibi plurimas mouent, maluntque sic alter ab altero lucri aliquid extorquere, quam mutuo sibi prodesse? Qui communibus rebus perinde vtuntur ac alienis, deque iis rixantur, & maximam ex potentia, quam in huiusmodi rebus consequuntur, voluptatem capiunt? De quibus sane magna inscitia & vitiositas in republica oritur, magnæque inimicitiæ, ac odia mutua inter ciues excitantur. Quas ob res equidem vehementer metuere non desino, ne quod respublica detrimentum capiat maius, quam quod tolerare possit. Nequaquam, mi Pericles, existimaueris Athenienses adeo incurabili peruersitate laborare, subiecit Socrates. An non vides, quam composite se nauticis in rebus gerant, quam composite gymnicis in certaminibus præfectis obœdiant, quam nullis inferiores

sint in subseruiendo magistris in choris? Est hoc certe mi-
rum, ait, quod quum tales sint, præfectorum tamen obtē-
perent imperio: quum interim grauis armaturæ pedites,
& equites, qui virtute ciuibus ceteris præstare vidētur, lon-
ge omnium sint inobœdientissimi. Et Socrates: At vero is,
qui est in Areopago senatus, mi Pericles, an non ex proba-
tis hominibus constat? Omnino, inquit. An igitur nosti ali-
os, ait, qui vel magis legitime, vel grauius, vel æquius caus-
sas in iudiciis cognoscant, aliaque cuncta gerant? Nihil ha-
beo, respondit, de iis quod querar. Non igitur animum de-
spondere debemus, quasi Athenienses composite se gerere
nequeant. Atqui, subiecit Pericles, in re militari, vbi maxi-
me temperantem, compositum, obœdientem esse cõuenit,
771 nihil horum curāt. Fortassis, ait Socrates, in his præsūt eis
homines maxime imperiti. An non vides, neminem citha-
rœdorum, & eorum, qui suam in choris operam locant, &
saltatorum, & pugilum, & pancratiastarum conari, vt im-
peret, si quidem imperitus sit: sed omnes, quotquot his prę-
sunt, posse commonstrare, a quibus ea didicerint, quibus
sunt præpositi; quum interim maxima imperatorum pars
temere munus hoc capessat? Te quidem certe nequaquam
talem esse arbitror, sed potius dicere non minus posse, quo
tempore imperatoriam, quam quo luctandi artem discere
occeperis. Multa etiam te imperatoria consilia de patre ac-
cepta tenere memoria puto, multa vndecumque congessis-
se, vnde disci abs te poterat aliquid, quod ad imperatoriam
artem conferret. Præterea te arbitror valde sollicitum esse,
ne ipsus nescias, ignorare te aliquid eorum, quæ ad munus
imperatoris pertinent; ac si quid eiusmodi nescire te anim-
aduertis, id te a peritis existimo inquirere, neque muneri-
bus, neq; beneficiis parcentem, vt ab eis discas, quæ nescis,
& egregios adiutores habeas. Tum Pericles: Non me clam
est mi Socrates, ait, hæc te dicere, ne quidem exstimantem,
me aliquid in his studij ponere, sed conantem me docere,
quod necesse sit eum, qui fungi munere imperatorio velit,
his omnibus operam dare. Equidem hoc fateor, ait Socra-
tes. Ceterum animaduertisti, mi Pericles, magnos quosdā
montes ante nostram regionem sitos esse, ad Bœotiam vsq;
pertinentes, per quos in agrum nostrum aditus arcti & ar-
dui

qui sunt, eumque medium cinctum esse montibus inaccessis? Omnino, inquit. Quid? an & illud audiuisti, Mysos ac Pisidas, qui Persici regis in ditione munitissima tenent loca, armatique sunt leuiter, multum infestare regis agrum percurrendo posse, quum interim ipsi libertate fruantur? Etiam hoc audio inquit. Et non existimas Athenienses, si leuiori armatura ad ætatem vsq; agilem vtantur, ac montes ante regionem suam sitos præsidio teneant, hostibus quidem detrimento, ipsius autem agri ciuibus magni propugnaculi instar esse constitutos? Tum Pericles: Etiam hæc omnia mi Socrates, inquit, esse vtilia duco. Ergo, subiecit Socrates, si hec tibi placent, vir optime, adgredere tandem ea. Nam quidquid horum perfeceris, id & tibi præclarum, & vtile reipublicæ fuerit. Quod si a viribus destituare, non tamen vel patriæ detrimento eris, vel turpe quid tibi designabis. Ceterum Glauconem Aristonis filium, quum is necdum viginti natus annos oratoris vsurpare munus, ac præses esse ciuitatis cuperet, nemo ab hoc instituto poterat abducere; quamquã alios & propinquos, & amicos haberet, ac de tribunali detraheretur, planeque ridiculus esset. Hunc Socrates, qui ei bene cuperet ob Charmidem Glauconis filium, & ob Platonem, solus ab hoc instituto auertit. Nam quum in eum incidisset, primũ verbis huiusmodi prolatis detinuit hominem, vt se audire vellet. Præesse ciuitati nostræ cogitas, mi Glauco? Cogito equidem mi Socrates, inquit. Profecto, ait Socrates, si quid aliud humanis in rebus, hoc certe præclarum est. Perspicuum est enim, futurum, vt si hoc impetres, & ipse consequi possis ea, quæ concupiueris, & amicis vsui esse, & familiam paternam extollere, & amplificare patriam. Præterea celebritatem nominis primum in hac vrbe adipisceris, deinde in Græcia, ac fortassis etiam, vti Themistocles, apud barbaros. Vbicumque autem fueris, nusquam non eris illustris. Hæc quum audiret Glauco, efferebatur animo, lubenterque manebat apud Socratem. Is vero deinde: Planum est omnino, ait mi Glauco, necessarium esse, vt siquidem esse in honore velis, aliquã reipublicæ vtilitatem adferas. Omnino, ait. Nõ igitur rem cælaueris, per Deos, inquit Socrates, sed dicito nobis, vnde principium adficiendi beneficiis rempublicam facturus sis.

772

Socrates Glauconẽ ab ambitione reuocat.

Heic quum Glauco subticeret, vt qui tum consideraret, vnde potissimum inciperet: An non, ait Socrates, perinde ac, dum amici domum vis amplificare, locupletiorem efficere niteris, ita & ciuitatem conaberis opulentiorem reddere? Omnino, inquit. Fueritne igitur opulentior, si prouentus ei plures accedant? Hoc quidem consentaneum est, ait. Dic ergo, quibus ex rebus nunc ciuitas hæc prouentus habeat, & quãti sint. Nam planum est, hæc te considerasse, vt si quidã ex eis exigui sint eos tu expleas: *si qui autẽ amittuntur, eos rursus compares. Ego vero, ait Glauco, numquam hæc profecto consideraui. Quod si hoc neglexisti, ait Socrates, saltim sumtus, quos facit ciuitas, nobis exponito. Nam certum est, cogitare te iam, vt superuacaneos tollas. Ne his quidẽ, ait, vmquam vacavi. Ergo, subiecit Socrates, differa-

*si qui autem omittuntur, siue negligũtur, eos præterea pares. Æ. P.

773 mus aliquantulũ rationẽ locupletandæ reipublicæ. Nam qui possit fieri, vt harum rerum curam aliquam suscipiat is, qui & sumtus, & prouentus ignoret? Verum mi Socrates, inquit Glauco, potest etiam ab hostibus respublica reddi locupletior. Ac vehemẽter quidem, ait Socrates, si quis eos superet. At si eis inferior sit, etiam sua amiserit. Vere dicis, inquit. Ergo qui de bello gerendo aduersus illos, quos oppugnari necesse est, deliberat; eum ciuitatis & aduersariorũ vires habere cognitas oportet, vt si maiores sint ciuitatis, bellum suadeat: sin eæ minores sint quam hostium, auctor suis sit, vt caute agant. Recte dicis, ait. Ergo nobis primum indicato, subiecit Socrates, quæ huius ciuitatis tum pedestres, tum nauales sint copiæ; deinde, quæ aduersariorum. Ego vero, inquit, non possim hoc tibi profecto de memoria promptum exponere. At si quid cõscriptum habes profer, ait. Nam lubens hoc audiero. At ne cõscriptum quidem hoc vmquam est a me, inquit. Ergo, subiecit Socrates, etiam deliberationem de bello nonnihil initio suspendemus. Nam ob rei magnitudinem fortasse nondum explorati quidquam habes, prȩsertim quum nuper adeo præesse reipublicæ ceperis. Ceterum custodiam regionis huius scio tibi curæ fuisse, teq; tenere, quot eius præsidia sint opportuna, nec ne: quot præsidiarij milites sufficiant, quot non: denique consulere te, vt opportuna præsidia adaugeantur, ac superflua tollantur. Immo vero, subiecit Glauco, equidẽ tollenda vniuersa arbitror, quod ita custodiant, vt ea quo-

que

que* adtingantur, quæ nostro in agro sunt. At si quis præsidia tollat, inquit Socrates, an non existimas cuiuis rapiendi potestatem fore? Tu vero num profectus eo, rem inuestigasti, aut quomodo scis eos malas excubias agere? Cõiicio, inquit. Ergo de his quoq; tum deliberabimus, quum non amplius vtemur coniectura, sed cognitam rem habebimus. Fortassis hoc fuerit potius, ait Glauco. In argentifodinas quidem certe, subiecit Socrates, non venisse te scio; vt dicere possis, quamobrem nunc minus inde, quam antehac, proueniat. Equidem eo non sum profectus, ait. Profecto, inquit Socrates, fertur is locus esse grauis. Quamobrem vbi de hoc consultandum erit, hæc tibi excusatio sufficiet. Hoc equidem meditor, ait Glauco. Et Socrates: Hoc autem, ait, non neglexisse te scio, sed omnino 774 considerasse, quam diu frumentum, quod nostro in agro nascitur, ad alendam ciuitatem hanc sufficiat, quantumq; præterea in annum requiratur: ne te inscio ciuitas eius inopia laboret; sed quia tibi de hoc constiterit, consulendo reipublicæ de necessariis rebus prospicere, eamque conseruare possis. Rem magnam dicis, ait Glauco, si quidem erit etiam talium habenda cura. Enimuero, subiecit Socrates, ne suam quidem domum recte quis administrauerit, si non omnia, quibus opus sit, teneat; & omnia diligenti cura suppleat. Sed quum ciuitas ex pluribus, quam decies mille domibus constet, ac difficile sit, tot domuum curam simul habere, cur non patrui tui domum vnam primum augere conatus es? Te quidem ille rogat. Id facere si possis, etiam ad plures animum adiicies. Sin vni prodesse nequeas, qui pluribus prosis? Quemadmodum si quis vnum talentum gestare nequeat, qui non manifestum est, huic ne conandum quidem esse, vt plura gestet? Ego vero, subiecit Glauco, prodessem patrui familiæ, si mihi vellet obtemperare. Ergo, ait Socrates, quum patruum persuadere non possis, effecturũ te putas, vt Athenienses vniuersi, vna cum patruo, tibi pareant? Caue mi Glauco, inquit, ne gloriæ cupiditate in contrarium prolabaris. An non vides, quam periculosum sit ea vel dicere, vel agere aliquem, quæ ignorat? Etiam de aliis, quoscumque tales nosti, cogites velim, quales esse videantur, dum vel dicunt ea quæ nesciunt, vel tractant: num tibi videatur propterea laudem

hoc est, rapiantur. scholion.

potius, quam vituperationem consequi; atq; vtrum in admiratione magis, quam in contemtu esse. Itidem cogites velim de iis, qui norunt, quidquid vel dicunt, vel agunt. inuenies, mea quidem sententia, in omnibus actionibus eos, qui cum gloria sunt, & in hominum admiratione, maxime ex illorum esse numero, qui rerũ periti sunt: inglorios autẽ, hominumque contemtui expositos, ex imperitissimorum esse numero. Quamobrem si & clarus esse vis in republica, & in hominum admiratione, inprimis operam dato, vt ea noris, quæ suscipere cogitas. Nam si ceteris in hoc pręstans, tractare negotia reipublicę ceperis: mirum mihi non videbitur, si facile consequaris ea, quæ concupiscis. Quum autem videret Charmidem, Glauconis filium, hominem esse

775 quantiuis pretij, multoq; magis idoneum aliis rempublicam tunc gerentibus, qui tamen populum accedere, reique publicæ negotiis operam dare formidaret: Dic mihi mi Charmides, inquit, si quis, quum in certaminibus, quæ coronas præmij loco referunt, potiri victoria possit, eaque re tum ipse honorem consequi, tum patriam in Græcia illustriorem efficere, decertare nolit; qualem existimes hunc hominem esse? Certe mollem, ait, ac ignauum. At si quis, quum possit negotia reipublicæ capessendo tum ciuitatem amplificare, tum ipse hac via mereri honorem, hoc tamen facere reformidet; an non is merito pro ignauo habeatur? Fortassis, inquit. Ceterum quamobrem hæc tu me interrogas? Quod te, ait, posse quidem arbitrer negotia reipublicę procurare, verum id præ ignauia reformidare: licet eorum participem esse te necesse sit, quum sis ciuis. At quonam ex facinore, subiecit Charmides, virtutem meam cognitam habes, qui hoc modo de me sentias? Iis, inquit, ex congressibus, in quibus adesse soles illis, qui rempublicam administrant. Etenim vbi quid tecum communicant, video te rectum consilium dare; atque vbi peccant, recte illos reprehendere. Nõ idem est mi Socrates, inquit, priuatim disserere, & apud multitudinem certare. Atqui, respondit Socrates, qui numerare potest, nihilo minus apud multitudinem, quam solus numerat: & qui priuatim cithara canunt elegantissime, iidẽ etiam apud multitudinem primas ferre possunt. Tu vero non vides, inquit, verecundiam ac metum a natura hominibus inesse, multoq; magis hæc in publico, quam

Socrates Charmidem ad magistratus capessendos hortatur.

quam priuatis in cōgreſſibus nobis eſſe moleſta? Ego vero
te docere exorſus ſum, inquit, quod neq; prudētiſſimos re-
ueritus, neq; potentiſſimos metuens, inter ſtultiſſimos ac
maxime imbecillos verba facere erubeſcas. Num eos, qui
ex illis fullones ſunt, vel ſutores, vel fabri, vel artifices æra-
rij, vel agricolæ, vel mercatores, vel qui negotiantur in fo-
ro, & quid minoris emere poſſint, vt pluris vendant, cogi-
tant, reuereris? Nam de hos omnibus conſtat certe concio.
Et quid intereſſe putas inter hoc, quod tu facis, atq; ſi quis
eorum qui adſiduo ſemet exercent, lōge aliis ſuperior, im-
peritos metuat? nimirum quum inter principes reipublicę,
quorum nonnulli te cōtemnunt, facillime diſſeras, longe-
que ſuperes illos, qui magna cura perorare ad ciues volunt,
inter eos loqui reformidas, qui numquam rerum ciuilium
ſtudioſi fuerunt, neq; te contemſerunt, metuens ſcilicet, ne 776
deridearis. Quid autem? reſpondit Charmides, an non tibi
videntur in comitiis ſæpenumero recte perorantes irride-
ri? Nimirum ab illis aliis, reſpondit Socrates. Quæ cauſſa
eſt, quamobrem te mirer illos quidem, quum hoc faciunt,
vincere: cum his autem putare te nullo modo poſſe agere.
Noli teipſum, vir optime, ignorare: nec in illis delinque, in
quibus maxima pars ſolet delinquere. Nam multi magno "
ſtudio excitati ad conſiderandum aliena negotia, non eo ſe "
conuertunt, vt ſeipſos explorent. Itaq; ne hoc per ignauiam "
negligas, ſed magis enitere, vt teipſum reſpicias: nec rei- "
publicæ curam abiice, ſi qua parte poterit ea per te iuuari.
Nam ſi recte id curetur, non modo ciues ceteri, ſed amici
etiam tui non parum ex te vtilitatis capient. Quum autem
Ariſtippus in hoc incumberet, vt Socratem conuinceret,
quemadmodum ipſe conuictus a Socrate prius fuerat; vo-
lens Socrates nonnihil adferre vtilitatis familiaribus ſuis,
ſic reſpondebat, non vt illi, qui cauent, ne qua parte ſermo
ipſorum inuertatur; ſed vt perſuaſi maxime facerent ea, quę
deberent. Nam interrogabat eum Ariſtippus, an aliquid
noſſet bonum: vt ſi quid huiuſmodi diceret, verbi gratia ci-
bum, potum, pecuniam, valetudinem, robur, audaciam,
idipſum oſtenderet aliquando malum eſſe. At Socrates, qui
ſciret nos, ſi quid moleſti ſit, eo liberari cupere, ſic reſpon-
debat, vt erat optimum. Tune me rogas, inquit, num febris
aliquod bonum ſciam? Minime, ait. At lippitudinis? Ne hoc

Socrates iterum Ariſtippum confutat.

quidem. At famis? Nec famis. Atqui, ait, ſi me rogas, an aliquod nouerim bonum, quod nullius bonum ſit, equidem neq; noui, neque eius egeo. Ibi rurſus Ariſtippo eum interrogante, an quid pulchrum ſciret: Permulta quidem, ait. An vero, inquit, omnia ſibi inuicem ſimilia ſunt? Quantum fieri poteſt, inquit. nonnulla quidem ſunt diſſimilima. Quo pacto igitur; ſubiecit Ariſtippus, id pulchrum fuerit, quod eſt pulchro diſſimile? Quoniam, inquit, homini ad curſum pulchro diſſimilis alius eſt, alius ad palæſtram. Et ſcutum quod ad obiiciendum hoſti pulchrum eſt, quam diſſimillimum eſt iaculo, quod ad hoc pulchrum eſt, vt celeriter vehementerq; feratur. Nō aliter, ait Ariſtippus, mihi reſpondes, ac tum, quum interrogarē, an aliquid bonū noſſes. An vero tu putas, inquit Socrates, aliud bonū, aliud pulchrū eſ-
777 ſe? An ignoras omnia pulchra & bona, ad eadem referri? Nam primum virtus nō ad alia bonum quiddam eſt, ad alia vero, pulchrum. Deinde homines eodem modo, & eorumdem reſpectu pulchri bonique dicuntur, & hominum corpora eorumdem reſpectu eſſe pulchra bonaque videntur. Denique cetera omnia, quibus vtuntur homines, eorūdem reſpectu pulchra bonaque putantur, eorū ſcilicet, quorum vſui accommodata ſunt. Num igitur, ait Ariſtippus, etiam qualus, quo efferuntur ſtercora, pulchrum quiddam eſt? Eſt profecto, ait Socrates. Atque etiam ſcutum aureum eſt turpe: modo ad vſus ſuos ille quidem pulchre factus ſit, hoc vero male. Dicis tu, inquit, pulchra & turpia eadem eſſe? Dico, ait, atque etiam eadem eſſe bona & mala. Nam ſæpenumero quod fami bonum, febri malum eſt; quod febri bonum, fami malum. Et ſæpenumero quod ad curſum pulchrum eſt, ad luctam eſt turpe: quod ad luctam pulchrum, ad curſū turpe. Quippe omnia bona ſunt ac pulchra ad ea, quib. conueniunt; mala vero ac turpia reſpectu eorum, quibus male conueniunt. Idem quum diceret eaſdem ædes pulchras & vtiles eſſe, docere mihi quidem videbatur, cuiuſmodi ſint exſtruendę. Id autem conſiderabat hoc modo. An non illum, qui domū habere velit, qualem habere conuenit, hoc moliri neceſſe eſt, vt habitatu ſit iucundiſſima, & vtiliſſima? Quod quum pro confeſſo haberetur: Ergo iucūdum eſt, inquit, per æſtatem domum habere frigidam, per hiemem calidam. Quum hoc quoque concederetur: Ergo in

Socratis consilium de domo ſtruenda.

in ædificiis, ait, quæ meridiem spectant, per hiemem sol in cubicula splendet, per æstatem vero supra nos, supraque tecta incedens, vmbram suppeditat. Quamobrem si hæc ita fieri bonum est, altius ædificanda sunt ea, quæ meridiē spectant, vt sol hibernus non excludatur: humilius vero, quæ septemtriones spectant, ne venti frigidi possint incidere. Atque vt res summatim indicetur, quo quis singulis anni temporibus iucundissime se recipiat, ac res suas tutissime collocet, id vero haud dubie iucundissimum ac pulcherrimum ædificium fuerit. Ceterum picturæ, variique colores, plures delectationes adimunt, quam suppeditent. Templis ac aris locum illum aiebat esse conuenientissimum, qui & apertissimus pariter, ac minime tritus esset. Nam iucundum esse, vt ij, qui orare volunt, videant: neque minus iucundum, vt puri accedant. Rursum interrogatus, num fortitudo adquiri doctrina possit, an esset a natura? Equidem arbitror, ait, perinde ac corpus aliud alio robustius a natura est ad perferendos labores, sic & animum animo firmiorem esse natura ad subeunda pericula. Nam video illos qui eisdem legibus ac moribus sunt educati, longe inter se audacia differre. Idem tamen existimo, naturam omnem doctrina & exercitatione ad fortitudinem proficere. Nā patet omnino, Scythas ac Thraces non ausuros sumtis clupeis ac hastis aduersus Lacedæmonios dimicare: cōtraq; manifestum est, non etiam Lacedæmonios vel aduersus Thraces cetris ac iaculis, vel aduersus Scythas arcubus depugnaturos. Atq; equidem in aliis etiam omnibus consimiliter homines video natura inter se differre, ac studio multū proficere. De quibus patet, debere omnes, siue sint præstantiori a natura indole præditi, seu hebetiores, ea discere ac meditari, in quibus excellere velint. Sapientiam vero, ac sanitatem mentis non discernebat, sed sapientis ac sani esse iudicabat, vti aliquē eis, quæ bona honestaq; esse cognosceret; ac vitare, quæ sciret esse turpia. Præterea interrogatus, num eos, qui scirent, quid agere oporteat, & his cōtraria facerēt, sapientes ac temperantes esse putaret: potius insipientes ac stupidos esse respondit. Etenim, ait, omnes arbitror, eligētes ex iis, quæ fieri possunt, quam maxime ipsis vtilia, facere illa debere. Quamobrem qui non recte agunt, eos nec sapiētes, nec mente sanos esse statuo. Dicebat & iusticiam,

778

& omnem aliam virtutem, esse sapientiam. Num omnia,
quæ iusta sunt, & ex præscripto virtutis aguntur, honesta &
bona esse: neq; eos, qui hæc sciant, aliud quidpiam his præ-
ferre, neq; illos, qui nesciant, præstare posse: immo vero et-
iamsi præstare conentur, peccare. Vsque adeo sapientes ea
quæ honesta bonaq; sint, facere: qui sapientes non sint, id
non posse, atq; etiam in conatu peccare. Quum igitur & iu-
sta, & alia honesta ac bona cum virtute efficiantur, manife-
stum aiebat esse, tum iustitiam, tum omnem aliam virtutē,
esse sapientiam. Et quamquam insaniam sapiētiæ quiddam
779 esse contrarium putaret, non tamen inscitiam existimabat
esse insaniam: sed ignorare seipsum, & quæ quis nesciat, o-
pinari ac scire velle, proximum quiddam esse arbitrabatur
insaniæ. Addebat hominum vulgus negare illos insanire,
qui ab iis aberrent, quæ maxima pars ignoret: at qui ab il-
lis aberrent, quæ vulgo nota sint, furiosos adpellare. Nam
aiunt eum, qui se tam magnū esse putet, vt per oppidi por-
tas transiens sese inclinet, tamque robustum, vt ædes sustol-
lere conetur, vel aliquid aliud eorum adgrediatur, de quib.
constet omnibus, fieri ea non posse: hunc inquam omnino
insanire aiunt. At qui paullum quid delinquant, non videri
vulgo insanire: sed quemadmodum vehementē libidinem
adpellant amorem, ita dementiam ingentem ab eis insani-
am vocari. Quum autem quid esset inuidia, consideraret;
dolorem esse quemdam reperiebat, non in amicorum ad-
uersis rebus, nec in secundis hostium: sed eos solum aiebat
inuidere, qui amicorum fortunam prosperam iniquo ani-
mo ferrent. Quumque mirarentur nonnulli, posse ali-
quem in eius successu prospero, quem diligeret, percipe-
re dolorem: commonefaciebat eos, esse quosdam sic adfe-
ctos ad alios, vt si cum miseriis eos cōflictari videant, negli-
gere ipsos nō possint, omninoq; calamitatibus eorum suc-
currant: contra, si secundæ res ipsorum sint, doleant. Atque
hoc viro prudenti non vsuuenire, sed fatuis. Quum quid sit
otium, consideraret; aiebat se deprehēdere, maximam ho-
minum partem aliquid facere. Quippe illos etiam, qui cal-
culis ludunt, & ioculatores, agere quidem aliquid aiebat,
verum eosdē nihilominus esse otiosos. Etenim posse ipsos
discedere, ad agendum aliquid rei melioris. A melioribus
autem ad peiora se conferendi, otium esse nemini. Ac si
maxi-

maxime quis id faceret, aiebat eum male facere, præsertim qui iam ante in negotio esset. Reges ac principes non illos dicebat esse, qui sceptra tenerent, nec illos, qui vel a quibusuis essent delecti, vel sorte, vi, fraudibus eo peruenissent: sed quotquot imperandi periti essent. Nam vbi quis fateretur, eius esse, qui cum imperio præsit, imperare quod agendum sit, subditi vero parere: demonstrabat in naui eum, qui rei nauticæ peritus sit, aliis præesse, nauiculatorem vero, cum ceteris omnibus, huic perito parere: itidem in agricultura illos, qui agros possiderent: in morbo, qui eo laborarent: in corporis exercitio, qui eo vterentur: alios deniq; omnes, 780
quibus quiddam sit, quod curatione indigeat, si quidem se arbitrentur rem intelligere, curam eius habere: sin autem, non modo peritis præsentibus obtemperare, sed etiam absentes arcessere; vt ipsis parentes, quæ oporteat, agant. In lanificio etiam mulieres viris præesse demonstrabat, quod illæ sciant, quo pacto exercendum sit lanificium, viri contra ignorent. Quod si quis adhæc diceret, posse tyrannum recte monentibus non obtemperare: Et qui non parere possit, respondebat, quum si quis recte monenti non obtemperet, damnum propositum sit? Nam si qua in re non pareat aliquis recte monenti, nimirum peccabit: qui vero peccat, damno multatur. Quod si quis diceret, habere tyrannum potestatem occidendi eum, qui recte sapiat: Tu vero existimas, inquit, eum, qui præstantissimos quosq; ex sociis occidat, damni expertem esse, vel leue damnum pati? Vtrum enim arbitraris eũ, qui hoc perpetret, incolumem posse manere, an potius hoc pacto celerrime periturum? Quum autem ex eo quidam quæreret, quodnam ipsi videretur vitæ institutum homini optimũ esse: respondit, actionem bonam. At quum rursus ille quæreret, an etiam fortunam prosperam pro instituto quodam duceret? Equidem, ait, fortunam & actionem prorsus esse statuo contraria. Nam si quis nihil quærens aliquid rei necessariæ consequatur, id fortunam esse prosperam puto: at si quis doctrina & exercitatione recte quid faciat, id actionem bonam esse duco; quiq; hoc instituto gaudent, ij mihi videntur bene agere. Homines etiam optimos deoq; acceptissimos aiebat esse, in agricultura eos, qui ad agri cultionem pertinentia recte faciant: in medicina, qui res medicas: in republica, qui

res ciuiles. At qui nihil recte agit, eum neque vtilem ad
quidquam esse dicebat, neque acceptum deo. Præterea si
quando cum aliquibus colloqueretur, qui artificia nossent,
& quæstus gratia iis vterentur, etiam his proderat. Nam
quum aliquando ad Parrhasium pictorem ingressus esset,
cumque eo colloqueretur: Num pictura, mi Parrhasi, ait,
earum rerum est adsimilatio, quæ res cernuntur? Nam &
concaua, & eminentia, & obscura, & lucida, & dura, & mol-
lia, & aspera, & læuia, & noua & vetera corpora per colores
781 repræsentando exprimitis. Vere dicis, ait Parrhasius. At-
qui quum formas elegantes imitamini, quando non fa-
cile est vnum hominem nancisci, in quo reprehensionis
omnia sint expertia; de multis colligentes ea, quæ in singu-
lis pulcherrima sunt, ita scilicet tota corpora, vt pulchra vi-
deantur, efficitis. Sic facimus, ait. Quid vero? Subiecit So-
crates, num indolem animi ad persuadendum aptissimam,
& suauissimam, & amicissimam, & desiderabilem maxime,
maximeque amabilem imitamini? an vero illa inimitabi-
lis est? Quo pacto, mi Socrates, ait Parrhasius, possit hoc es-
se imitabile, quod neque proportionem, neque colorem,
neque quidquam habet illorum, quæ modo tu comme-
morabas, ac omnino ne cerni quidem potest? Annon, in-
quit, vsuuenit homini nonnumquam, vt blande, vel ho-
stiliter quosdã intueatur? Ita mihi videtur, ait. Ergo in ocu-
lis est, quod exprimi potest? Omnino, inquit. At in amico-
rum rebus secundis & aduersis eidemne vultus esse tibi vi-
dentur eorum, qui solliciti sunt, & qui nõ? Nequaquam, ait.
Nam in prosperis hilares, in aduersis tristes fiunt. Ergo pos-
sunt, ait Socrates, hæc quoque repræsentari? Omnino, re-
spondit Parrhasius. Quin etiam indoles quædam magnifi-
ca, & liberalis, & humilis, & illiberalis, & casta, & prudens,
& petulans, & turpis, per vultum, per gestus hominum, tam
eorum qui stant, quam qui mouẽtur, elucet. Vere dicis, ait.
Et possunt igitur hæc quoque imitando exprimi? Omnino,
inquit. Vtrum ergo, subiecit Socrates, illa cernere lubẽtius
homines putas, per quæ honesti, boni, amabiles mores elu-
cent: an per quæ mores turpes, improbi, odio digni? Mul-
tum inter hæc mi Socrates, ait, profecto interest. Etiam in-
gressus aliquãdo ad Clitonem statuarium, institutoq; cum
hoc colloquio: Varios te mi Clito, ait, cursores, luctatores,
pugi-

pugiles, pācratiastas fingere video & scio: quod autem maxime recreat homines adspectu, si viuax quiddam eis inesse videatur, quo pacto id in statuis efficis? Heic quum subdubitans Clito, non celeriter responderet: An, inquit, opus tuum ad formas eorum, quæ viuunt, comparando, statuas viuaciores videri facis? Omnino, inquit. Nonne igitur, dum quæ per gestus deorsum sursumque trahuntur in corporibus, & quæ comprimuntur, & quæ diducuntur, & quæ intenduntur, & quæ remittuntur, exprimis; facis, 782
vt similiora, magisque consentanea veris adpareant? Maxime scilicet, inquit. At vero etiam adfectiones corporum aliquid agentium imitari, an non delectationem aliquam spectantibus adfert? Id vero consentaneum est, ait. Quamobrem pugnantium oculi repræsentandi sunt vt minaces, victorum vero vultus sic effingendus, vt lætorum esse solet. Prorsus, inquit. Ergo statuarium, subiecit Socrates, animi actiones per formam repræsentare oportet. Itidem ad Pistiam fabrum loricarium ingressus, quum is ipsi loricas egregie factas ostenderet: Profecto, ait, mi Pistia, pulchrum hoc inuentum est, tegere loricam eas hominis partes, quas tegi necesse est; neque tamen impedire, quo minus quis manibus vtatur. Verum, inquit, dicito mihi, mi Pistia, quamobrem nec firmiores, nec maioris pretij thoraces ac loricas faciens, quam alij, pluris tamen eas vendis? Propterea mi Socrates, ait, quod concinniores facio. Illud autem concinnum an mensura, vel pondere demonstrans, pluris æstimas? Nec enim thoraces omnes æquales, neq; similes te puto facere, siquidem tales facis, qui congruant. Sic est, inquit. Nam absque illo sit, nullus loricę vsus fuerit. Ergo, ait Socrates, etiā hominū corpora partim concinna sunt, partim non concinna. Maxime inquit. Quo igitur pacto, inquit, thoracē incōcinno corpori cōgruentē concinnum efficis? Sic nimirum, ait, vt & congruentē facio. Nā qui cōgruit, concinn⁹ est. Videris mihi, ait Socrates, cōcinnitatē non per se adpellare, sed respectu eius, qui vtitur. Quemadmodū si dicas clupeū concinnum illi esse, cui congruit: itidemq; de chlamyde, rebusq; ceteris, ex tuo quidē sermone existimandum videtur. Fortassis autē etiam aliud quoddā non exiguū bonū inest huic cōgruentiæ. Doce vero me, mi Socrates, ait, si quid habes. Minus, inquit, pōdere

ſuo premunt thoraces, qui congruunt, quam qui non con-
gruunt, licet pondus æquale habeant. Etenim qui non con-
gruunt, vel ab humeris toti dependendo, vel aliam partem
corporis aliquam vehementer premendo, geſtatu difficiles
ac moleſti fiunt: at vero qui congruunt, quum omnis par-
tim à clauiculis, & parte ſcoptulis vicina, partim ab hume-
ris, a pectore, a tergo, a ventre diſtributim ſubleuetur pro-
pe non geſtaminis, ſed adpendicis eſſe loco videtur. Dixiſti
783 hoc ipſum, ait, propter quod equidem opera mea maximi
eſſe pretij duco. Nonnulli tamen thoraces varios ac deau-
ratos lubentius emunt. At vero, ait Socrates, ſi propterea
non congruentes emunt, varium mihi & inauratum ma-
lum emere videntur. Quum autem corpus eodem modo
non manet, ait, ſed modo curuatur, modo erigitur, quo pa-
cto accurati thoraces congruere poſſunt? Nequaquam, in-
quit. Dicis tu congruere, ait, non accuratos, ſed qui in ipſo
vſu moleſti non ſint. Id vero mi Socrates, ait, ipſe dicis, &
nunc quidem recte rem accipis. Ceterum quum aliquando
mulier quædam eſſet in vrbe ſane formoſa, cui nomen eſſet
Theodota, quæq; talis eſſet, vt cum perſuadente conſueſce-
ret: facta eius mentione ab aliquo eorum, qui aderant, di-
cente mulieris eius elegantiam verbis exprimi non poſſe,
atq; etiam commemorante pictores ad eam commeare, vt
eius imaginem exprimerent, quibus illa commonſtraret
omnia, quæcumq; honeſte poſſet: Nos etiam, ait Socrates,
hanc ſpectatum ire par erat. Nec enim illi, qui audierint,
cognoſcere poſſunt, an ipſius forma commemorationem
omnem ſuperet. Tum is, qui hæc narrauerat: Quin confe-
ſtim, ait, ſequimini. Itaq; quum ad Theodotam iuiſſent, &
hanc pictori adſtantem reperiſſent, ſpectabant mulierem.
Quumq; ceſſaſſet pictor: Vtrum nos, ait Socrates, gratiam
potius habere Theodotæ conuenit, quod pulchritudinem
ſuam nobis oſtenderit; an nobis illam, quod eam ſpectaue-
rimus? Nam ſi quidem hæc oſtēſio ipſi vtilior eſt, nobis ha-
bere gratiam debet: ſin autem nobis vtilior eſt contempla-
tio, nos ipſi? Heic quum quidam diceret, proferri ab eo æ-
quiſſima: Ergo, inquit, hæc quidem modo laudem hanc à
nobis lucri accipit loco, ac poſteaquam ad plures rem enū-
tiauerimus, maiorem vtilitatem capiet: nos autē quæ iam
ſpectauimus, adtingere cupimus, ac abimus nonnihil titil-
lati,

lati, denique vbi discesserimus, desiderabimus. De quibus consentaneum est, nos quidem hanc colere, ipsam vero coli. Tum Theodota: Profecto, inquit, si hæc ita se habent, me vobis spectationis caussa gratiam habere oporteat. Deinde Socrates, quũ eam sumtuose ornatam videret, ac matrem cũ ea in veste & cultu non vulgari, itemq; multas ac formosas ancillas, ne illas quidẽ neglectim habitas, aliisq; rebus abunde instructas ædes: Dic mihi, ait, mea Theodota, prædiumne quoddã habes? Non habeo, inquit. At domum habes cum prouentibus? Ne illam quidẽ. At seruos manib tibi lucrum quærentes? Ne illos quidem ait. Vnde igitur habes necessaria? Si quis, inquit, amicus mihi factus, bene mihi facere velit, is mihi facultatum instar est. Profecto, ait Socrates, mea Theodota, præclara illa possessio est; multoque potius est amicorũ habere gregem, quam ouium, boũ, caprarum. Verum, ait, an fortunæ rem cõmittis, vt aliquis ad te amicus instar muscæ aduolet, an & ipsa nõnihil artis adhibes? Qui possim ego, inquit, artis aliquid ad hoc inuenire? Multo, inquit Socrates, conuenientius profecto, quam araneæ. Nosti enim, quo pacto illæ victum venentur. Telas enim tenues texũt, & quidquid in eas inciderit, eo cibi loco vtuntur. Ergo mihi quoq;, ait Theodota, das hoc consilij, vt rete aliquod texam? Non enim scilicet adeo te sine arte putare debes prædã longe pretiosissimam, nimirũ amicos, venaturam. Nõ vides eos, qui lepores, rẽ non magni æstimandam venantur, multa artificiose moliri? Nam quum illi noctu pascantur, comparatis canibus ad operas nocturnas aptis, eos venantur. Et quia interdiu aufugiunt, alios adquirunt canes, qui ex odore sentientes, quo se ex pastu ad cubile receperint, eos reperiant. Quia vero pedibus celeres sunt, vt etiam ex oculis effugere currendo possint; rursus alios canes veloces comparant, vt e vestigio capiantur. Rursum quia lepores nonnullis hos quoque effugiũt, retia statuunt iis in semitis, per quas fugiunt, vt in ea delapsi cõpedibus quibusdam implicentur. Et Theodota: Qua igitur, ait, re tali possim amicos ego venari? Si profecto canis loco, ait Socrates, comparaueris aliquem tibi, qui indagando tibi formæ studiosos ac locupletes inueniat; atque vbi inuenerit, hoc machinetur, vt eos in retia tua coniiciat. Et qualianam, inquit, retia mihi sunt? Vnum rete, ait, corpus

ipſum eſt, ad amplectendam prædam aptiſſimum; atque
in hoc animus, quo intelligere potes, quo pacto homines
intuendo grata eſſe poſſis, quid dicens adferre poſſis læti-
ciam: ac præterea ſuſcipiendum eſſe comiter illum, qui
tui ſit ſtudioſus; excludendum vero, qui te habeat ludi-
brio: magna cum ſollicitudine inuiſendum amicum, qui
aduerſam in valetudinem inciderit: vehementer congra-
tulandum ei, qui præclare quid geſſerit: denique toto pe-
785 ctore gratificandum illi, cui admodum curæ ſis. Amoribus
quidem certe ſcio te non modo molliter inſeruire noſſe, ſed
etiam magna cum animi beneuolentia: quodque præſtan-
tiſſimos amicos habeas, id te ſcio non oratione, ſed ipſa re
perſuadendo efficere. Ego vero, ſubiecit Theodota, nihil
profecto his artibus moliri ſoleo. Atqui, ait Socrates, mul-
tum refert, prout natura fert, ac recte hominem adgredi.
Nam vi quidem neque capere, neque retinere amicum poſ-
ſis: ſed hæc fera tum beneficio, tum voluptate capi poteſt,
& vt maneat, retineri. Vere dicis inquit. Quamobrem o-
portet, ait, primum ab iis, qui tui ſtudioſi ſunt, huiuſmodi
petere, qualia minimi ſint facturi: deinde vt tu quoq; grati-
ficando vicem eodem modo referas. Nam hoc pacto ma-
xime tibi amici fient, ac diutiſſime diligent, & plurimis te
beneficiis adficient. Gratificaberis autem maxime, ſi tua,
quum eis indigent, conceſſeris. Vides enim, etiam ſuauiſſi-
mas eſcas adlatas prius, quam adpetantur, inſuaues videri:
exſaturatis vero etiam faſtidium parere. At ſi quis eas por-
rigat iis, in quibus famem excitauerit: etiamſi viliores ſint,
perſuaues videntur. Quo igitur pacto, ſubiecit Theodota,
famem ego in aliquo mecum verſante poſſim excitare? Pri-
mum profecto, ait, ſi ſaturatis neque porrigas, neque eos
commonefacias prius, quam fine repletionis facto, rurſus
egeant. Deinde ſi commonefeceris indigentes colloquio
maxime decoro, atque declarādo, quaſi gratificari velis: in-
terimq; elabaris, donec maxime opera tua indigeant. Tūc
enim longe præſtat eadē dona concedere, quam prius, quū
necdum expeterentur. Et Theodota: Quid ergo? inquit,
non tu mihi, mi Socrates, opem in venandis amicis ferre
velis? Profecto, ait, ſi tu me perſuaſeris. Quo igitur pacto,
ait, te perſuaſerim? Quæres, inquit, hoc ipſa tu, & excogita-
bis, ſi qua in re mea tibi opus futurum ſit opera. Ergo fre-
quen-

quenter, ait, ad me ingredere. Et Socrates in otium suum iocans: Enimuero mea Theodota, inquit, non mihi admodum facile est otiari. Nam compluribus tum priuatis, tum publicis negotiis occupatus sum. Atque etiam amicæ quædam mihi sunt, quæ nec interdiu, nec noctu abesse me abs se patientur; quod & amoris conciliandi rationes, & incantationes ex me discant. An & illa nosti, ait, mi Socrates? Cur enim existimas, respõdit, & Apollodorum hunc, & Antisthenem numquam a me discedere? Cur & Cebetem & Simmiam Thebis ad me ventitare? Sat scito ea non absque multis philtris, & incantationibus, & illecebris fieri. Ergo tu, inquit, commodato mihi des * Iyngem, vt eam in te primum adtraham. At enim, subiecit Socrates, nolo ad te profecto pertrahi, sed te ad me venire. Veniam vero, ait, tantum me suscipe. Suscipiã, inquit, si non aliqua te carior apud me fuerit. Quum itidem aliquando Epigenem quemdam vidisset ex familiaribus, qui & iuuenis esset, & corpore male adfecto: Quam vulgariter, inquit, adfectum tibi corpus est, mi Epigenes. Et ille: Vulgaris sum, mi Socrates, ait. Nihilo magis, inquit, quam ij, qui apud Olympiam decertaturi sunt. An tibi certamen exiguum esse de vita videtur aduersus hostes, quod Atheniẽses proponent, quum res feret? Atqui nõ pauci bellicis in periculis ob malam corporis valetudinem moriuntur, vel turpiter euadunt. Multi eadem de caussa capiuntur viui, & capti vel reliquum vitæ seruiũt, si res ita ferat, seruitutem longe grauissimam: vel in necessitates maximo cum dolore coniunctas prolapsi, atque etiam persoluentes nonnumquã plura, quam in bonis habeant, quod reliquum est vitæ, in maxima rerũ necessariarum inopia & ęrumnis transigunt. Multi etiam sibi existimationem turpem comparant, quod ob corporis imbecillitatem formidolose gerere se videantur. An has tu malæ valetudinis pœnas contemnis, teque putas hæc facile laturum? Atqui arbitror equidem longe faciliora & iucundiora his esse, quæ illum tolerare necesse sit, qui bonæ corporis valetudini dat operam. An tu salubriorẽ, ac ad alia putas vtiliorem esse malam corporis constitutionem, quam bonam? An ea, quę per bonam corporis constitutionem fiunt, contemnis? Atqui omnia diuersa sunt in iis, quibus vel bene, vel male adfecta sunt corpora. Nã quib⁹ adfecta bene sunt corpora,

786

**Nomen auis amatoriæ, quod nonnumquam pro illecebris vsurpatur. Cõsule interp. Theo. Eidyl. II.*

valetudine vtuntur commoda, & robusti sunt, & multi hac
ratione incolumes e prœliis euadunt honestissime, cuncta-
que pericula effugiunt: multi amicis succurrunt, de patria
bene merentur, & ob hæc gratiam consequuntur, & ingen-
tem gloriam comparant, & honores præclarissimos adipi-
scuntur. Quo fit, vt reliquam vitam suauius ac præclarius
787 transigant, liberisque suis pulchriora relinquant ad vitam
subsidia. Nequaquam certe propterea, quod ciuitas publi-
ce res bello necessarias non exerceat, etiam priuatim illæ
negligendæ sunt, sed nihilo minus sunt excolendæ. Quippe
scire te velim, nec in alio quouis certamine, nec vlla in a-
ctione deteriorem idcirco te futurum, quod a corpore re-
ctius cõparatus sis. Nam ad omnia quæcumq; agunt homi-
nes, vtile corpus est; atq; in omnibus corporis vsibus mul-
tum interest, esse quã optime adfecto corpore. Quis enim
ignorat, etiam in eo, in quo putas vsum corporis minimum
esse, videlicet in cogitando, multos vehementer impingere
propterea, quod corpus non recte valeat? Etiam obliuio, &
mæror, & morositas, & insania sæpenumero in multis ob
malam corporis adfectionẽ sic in mentem penetrant: vt et-
iam scientias eiiciant. At quib. adfecta bene sunt corpora,
valde securi sunt, neq; quidquam est periculi eis ob malam
corporis constitutionem huiusmodi quid euenturum: po-
tiusque consentaneum est, valetudinem integram ad iis cõ-
traria, quæ ex mala constitutione oriuntur, conducere. At-
qui propter ea, quę nunc indicatis contraria sunt, quid non
toleret is, qui mentis sit compos? Etiam turpe est aliquem
negligentia sua senescere prius, quam videat, qualis sit, v-
bi & pulcherrimus, & robustissimus corpore euaserit. At
hoc videre nequit, si curam nullam adhibeat. Non enim illa
spõte sua fiunt. Quum autem aliquando quidam excande-
sceret, quod salutans quemdam, resalutatus non fuisset:
Ridiculum est, inquit, te si cui occurrisses, qui minus com-
mode corpore fuisset adfectus, non succensurum fuisse:
quod autem in hominem incideris animo rusticiore præ-
ditum, id tibi molestum esse. Itidem quum alius diceret, in-
suauiter se comedere: vt illi mederetur, bonum se remedi-
um ad hoc docere velle dicebat. Illo interrogante, quale-
nam id esset: si comedere cessaueris, inquit. Et quidem si
desieris, ait, etiam suauius, viliorique cum adparatu, & vale-
tudini

tudini conuenientius viues. Rursus alio dicente, aquam a-
pud se calidam esse, qua vteretur ad potum: Ergo quum la-
uare calida voles, inquit, in promtu tibi erit. Atqui, ait ille,
frigidior est, quã vt lotioni conueniat. Ergo subiecit Socra-
tes, etiã domesticis tuis molestum est ea tũ ad potum, tum
ad lotionem vti? Non profecto, inquit. Immo sæpenumero
miratus sum, quod tam iucunde ad horũ vtrumq; illa vtan-
tur. Nũ aqua, subiecit Socrates, quæ apud te est, calidior est 788
ad potum ea, quæ est in Æsculapij? Immo illa, inquit, quæ
in Æsculapij fano est. Ergo cogitato, ait, periculum esse, ne
& seruis & ægrotantibus sis morosior. Iam quum quidam
pedisequum suum vehementer cæcidisset, quamobrem
seruo succenseret, interrogabat? Quod, inquit, voracissi-
mus sit obsoniorum, & simul inertissimus: auarissimus i-
dem, & otiosissimus. Tune vero, subiecit Socrates, vn-
quam considerasti, vter plures plagas mereatur; tu, an ser-
uus tuus? Rursus quum quidam iter ad Olympiam refor-
midaret: Quamobrem, inquit, profectionem hanc metuis?
An non etiam domi totum fere diem obambulas? Ita quo-
que dum eo proficiscens ambulaueris, prandebis: quum-
que rursus ambulaueris, cœnabis & quiesces. An nescis te, si
obambulationes, quibus quinque vel sex diebus vteris, ex-
tendas, facile Athenis Olympiam venturum? Atque etiam
gratius erit, si vno die præcipies iter, quam si serius eas. Nã
cogi quem, vt itinera, quam par sit, longiora faciat, mole-
stum est: at vnum diem amplius in itinere consumere, ma-
gnam recreationem adfert. Quo fit, vt potius sit festinan-
dum in faciundo itineris initio, quam ipsa in via. Quum ali-
us diceret, se longo itinere conficiundo defessum esse: num
quid oneris gestasset, interrogabat. Minime, ait, præter ve-
stem. Num solus ibas, an & pedisequus te comitabatur? Co-
mitabatur, inquit. Vacuus erat ille, an quid gestabat? Gesta-
bat, inquit, tum stragula, tum alia vasa. Et quo pacto is, ait,
itinere perfunctus est? Melius me, inquit, vti quidem mihi
videtur. Quid ergo? subiecit Socrates, si tibi gestandum fu-
isset ipsius onus, quo te pacto nunc adfectum putares? Ma-
le profecto, inquit. Immo ne gestare quidem id potuissem.
At tanto minus laboris perferre te posse, quam puer possit
tuus, qui tibi esse viri videtur exercitati? Quoties autem ali-
quibus ad cœnam conuenientibus, alij parum obsonij,

multum alij adferrent: iubebat Socrates, vt puer parum il-
lud obsonij vel in cõmune adponeret, vel de eo partem ali-
quam in singulos distribueret. Quo fiebat, vt eos, qui mul-
tum adtulerant, non eius participes fieri puderet, quod es-
set in medio propositum omnibus, ac non obsonium suum
ibidem collocare. Itaq; suum etiam in commune adpone-
bant, & quia nihilo plus habebant, quam illi, qui parum ad-
ferebant; a magno in emendis obsoniis sumtu abstinebãt.
Idem quum animaduerteret quemdam ex iis, qui vna cœ-
nabant, panem quidẽ comedere desiisse, sed obsonio tamẽ
789 adhuc mero vesci, haberetur que sermo de nominibus, qui-
bus illa rebus singula essent indita: Possumusne dicere, ait,
o viri, quamobrẽ aliquis obsophagus, hoc est, obsonij hel-
luo, adpelletur? Quippe nemo nõ ad panem obsonium ad-
hibet, quum adest: verum, mea sententia, non eam ob caus-
sam aliqui obsophagi vocantur. Minime scilicet, subiecit
quidam ex iis, qui aderant. Quid? inquit, si quis absq; pane
comedat obsonium, non condimenti, sed voluptatis caus-
sa, vtrum obsonij helluo esse videtur, an non? Vix alius, ait,
magis obsonij helluo dici merebitur. Tum alius quidam
illorum, qui aderant: At vero qui cum exiguo pane, inquit,
multum obsonij comedit? Is etiam mihi, subiecit Socrates,
merito dici obsonij helluo videtur. Quumque votis con-
ceptis homines ceteri a diis fructuum poscent copiam, par
fuerit illum obsonij copiam poscere. Atque his a Socrate
prolatis, existimans is adulescens, in se illa esse dicta, non il-
le quidem obsonio vesci desinebat, sed panem tamen adhi-
bebat. Quod Socrates vt animaduertit: Obseruate vos hũc,
ait, qui ei propius adsidetis, num pane pro obsonio, an ob-
sonio pro pane vtatur. Quum itidem aliquando vidisset ali-
um ex conuiuis, ad vnum panis frustum obsonia plura de-
gustantem: Num fuerit, ait, sumtuosior obsonij cõfectio, ea
quæ magis obsonia corrumpit, an quæ ab illo instituitur,
qui multa simul comedit, ac varia simul condimenta in os
ingerit? Qui certe plura commiscet, quam instructores ob-
soniorum, sumtuosiora facit: qui vero commiscet ea, quæ
illi tamquam sibi inuicem non congruentia, minime com-
miscent; siquidem recte illi faciunt, peccat, & artem ipso-
rum euertit. Atqui quo pacto nõ ridiculum fuerit, aliquem
sibi structores obsoniorũ comparare, qui artẽ eam optimo
tene-

teneant, atque ipsum interim, artis eius cognitionem sibi non tribuentem, ab illis confecta immutare? Quinetiam aliud quiddam accidit ei, qui multa simul vorare consueuit. Nam vbi parum adest, minus habere se puta, quippe qui consueta desideret. At qui se consuefecit, vt vnum panis frustum vni obsonij frusto comitis instar adiungat; is quum multa non adsunt, sine molestia potest vno illo vti. Aiebat etiam verbum *εὐωχεῖσθαι Atheniensium lingua edendi significationem habere. Additam vero esse vocem εὖ, vt ea comedantur, quæcumque nec animum, nec corpus lædant, nec inuentu difficilia sint. Itaque verbum etiam hoc εὐωχεῖσθαι victu decenter vtentibus tribuebat.

*quo vtũtur Græci pro epulari, præsertim publice, vt scripsit Pollux.

LIB. IIII.

Argumentum.

1. Ex Socratis consuetudine, colloquiisque quantam omnes homines vtilitatem perciperent. 2. Bonæ indolis indicia vnde colligi possint. 3. Varia mortalium ingenia varia ratione tractanda. 4. Quantum sit educationis bonæ momentum. 5. Animos propter opus efferre cur non debeamus. 6. Socratis colloquiũ cum Euthydemo habitum, quo demonstratur propter sapientiæ dotes, quas nobis adesse credimus, minime superbiendũ. 7. Nõ satis esse multa poetarum, oratorũ, historicorũ, ac philosophorum volumina posside re, nisi ea legamus, voluamus, perpendamus, intelligamus, & præclara præcepta discamus, quæ vitam formare, melioremque reddere possunt. 8. Quæ ignoramus, ab aliis sunt discenda, nec turpe ducendum discere velle: sed ignarum esse, nec discendi studio tenere, hoc vero turpe. 9. Silentio multos opinionem sapientiæ captare, ne si loquantur, suam rerum imperitiam, ac stultitiam prodant. 10. Qui discendi sunt cupidi, quos doctores adire, quomodo in his adeundis, ac præclaris disciplinis ediscendis gerere se debeant, vt celebres euadant. 11. Quomodo interdum mendaciis, fraudibus, ac maleficiis vti liceat. 12. Virtutes an disci possint, & an earum sit aliqua scientia. 13. Seruiles homines quinam, & cur ita vocentur. 14. Sententia Delphica, NOSCE te ipsum, de quib. dicatur, & quomodo sit intelligẽda. 15. Sui ipsius ignoratio quantũ vnicuiq; noceat. 16. Bona, & mala quænam vulgi iudicio cẽseantur. 17. Boni, maliq; voces nõ simpliciter: sed habita ratione alterius

dicuntur, quod sint ex relatorum numero. 18. *Bonum & malum ex usu, & fine sic iudicandum.* 19. *Sapientia, cæteræque virtutes quomodo suis cultoribus, atque possessoribus interdum nocere videantur. Exẽpla.* 20. *Quid populus, quid popularis dominatus, quid pauperes, quid diuites.* 21. *Principatum in aliqua ciuitate affectanti quæ virtutes sint necessariæ.* 22. *Quid primum in suis familiaribus Socrates requireret, & quomodo in iis docendis se gereret.* 23. *Socratis cum Euthydemo de diuina prouidentia colloquium.* 24. *Deum, licet eius forma nulla sub mortales oculos cadat, ex pulcherrimis tamen, & admiratione dignißimis operibus, quæ in totius mundi fabrica, & hominis creatione demonstrauit, ab hominibus cognosci posse.* 25. *Animi humani excellentia.* 26. *Diuinum numen qua ratione placandum.* 27. *Socratis pietas, religio, constantia, fortitudo, quam ad extremum vsque vitæ spiritum demonstrauit.* 28. *Socratis cum Hippia Eleo de Iustitia colloquium.* 29. *Quid lex, quid legibus consentaneum, quis legũ obseruans dicatur.* 30. *Obedientiæ quanta sint bona.* 31. *Concordiæ bona.* 32. *Leges non scriptæ quæ dicantur, & a quibus latæ fuerint.* 33. *De liberorum ex usu nostro legitime procreandorum præcepta.* 34. *Quomodo Socrates ad omne virtutis genus homines, quibuscum colloquebatur, impellere consueuisset.* 35. *Intemperantiæ vituperatio.* 36. *Temperantiæ encomium.* 37. *Quomodo Socrates dicendi, disserendique peritiores redderet suos familiares.* 38. *Quid pietas. Quis pius dicatur.* 39. *Quid iustitia. Quis iustus appelletur.* 40. *Quid sapientia. Quis sapiens.* 41. *Bonum, & vtile quid, & quomodo nobis accipiendum.* 42. *Pulchrũ quid, & quomodo pulchrũ censeatur.* 43. *Fortitudo quid. Fortes quinã.* 44. *Regni, tyrãnidisq; discrimen.* 45. *Aristocratia, Plutocratia, Democratia quid.* 46. *Boni ciuis officium.* 47. *Qua ratione Socrates in suis disputationibus aduersarios sibi manus dare cogeret.* 48. *Quo vsque suis familiaribus in præclaris disciplinis ediscendis progrediendum censeret.* 49. *Cur cælestium rerum arcana curiosius non inquirenda.* 50. *Anaxagoræ de sole, & igne sententia non solum falsa: sed etiam inepta. Cur.* 51. *Bonæ valetudini cur studendum.* 52. *Socratis pietas, & fortitudo in morte æquo animo ferenda, quam iniquo iudicio damnatus obiit.* 53. *Socratis encomium.* 54. *Sapienti mortem non esse formidandam, præsertim iniuste damnato.* 55. *Vita longior cur homini sana mente prædito non sit expetenda.* 56. *Repetito Socratis encomio liber iste clauditur.*

Alte-

Alterum eiuſdem libri breuius argumentum.

In hoc libro varia Socratis colloquia cum variis hominibus variis de rebus habita continentur, quæ nos docent quidnam ſentiret Socrates de Deo, de eius omnipotẽtia, omnipræſentia, ſapientia, prouidentia. Quid de rebus cæleſtibus, quid de humanis, & earum ſtudiis. Quid de vitiis, quid de virtutibus. Quomodo cum erga Deum, tum erga mortales ipſe ſe gereret, & cæteros exemplo ſuo a vitiis auocaret, & ad virtutes incitaret. Præterea pulcherrimum Socratis encomium hic habetur, cuius partes in altero argumento fuſius explicantur.

XENOPHONTIS MEMORABILIVM LIBER QVARTVS. 79



AM vero Socrates vtilis erat in negotio quouis, atque omni modo, vt cuiuis hoc conſideranti, etiamſi vel parum quid intelligat, perſpicuum ſit; nihil fuiſſe vtilius, quam Socrate familiariter vti, & cum eo vbiuis locorum, & quauis de re diſſerente, verſari. Nam eius etiam abſentis recordari, non parum proderat illis, qui ei familiares erant, & qui probabant eum. Quippe non minus ludens, quam ſerio quid agens, familiaribus ſuis proderat. Etenim ſæpenumero amare ſe aliquem aiebat, ſed re ipſa declarabat ſe non illos, quorum corpora ad pulchritudinem, ſed quorum animi ad virtutem a natura comparati eſſent, expetere. Indicia vero bonæ in eis indolis colligebat ex eo, ſi celeriter diſcerent illa, quibus animum adiicerent; quæque didiciſſent, memoria tenerent; omnesque artes expeterent, quibus & domus, & ciuitas præclare gubernari poſſet; ac ad ſummam, per quas tum ipſis hominibus, tum rebus humanis recte vti liceret. Nam ſi tales inſtituerentur, exi-

stimabat non ipsos modo beatos esse, suasque domos re-
cte gubernare: sed eosdem posse tum ceteros etiam homi-
nes tum ciuitates beare. Non eodem vero modo ad omnes
accedebat, sed eos, qui natura se bonos esse arbitrarentur,
doctrinam autem contemnerent, docere solebat, illas na-
turas, quæ viderentur esse præstātissimæ, in primis institu-
tione indigere: quum quidem ostenderet equos generosis-
simos, qui & animosi & acres sunt, si ab ineūte ætate domē-
tur, vtilissimos ac præstantissimos fieri: sin relinquantur in-
domiti, effrænatissimos ac prauissimos: & canes a natura
optimos, qui laboriosi sint, & feras adgrediantur, si recte
79[1] educentur, optimos fieri, ac ad venationes aptissimos: sin
absit educatio, ineptos reddi, ac furiosos, & contumacissi-
mos. Itidem aiebat homines optimæ indolis, qui & animis
essent firmissimis, & in efficiundis iis, quæ molirentur, effi-
cacissimi: si quidem instituti essent, & quæ agenda sint di-
dicissent, præstantissimos atq; vtilissimos fieri, quod & plu-
rima & maxima bona cōficerent: at si tū institutiones, tum
doctrinæ expertes manerent, fieri pessimos ac nocentissi-
mos. Nam quū diiudicare non possint, quæ sint faciūda, sæ-
penumero praua moliuntur: quumq; magnifici, ac vehe-
mentibus animis præditi sint, difficulter cōtineri ac abdu-
ci ab instituto possunt. Quo fiat, vt plurima maximaq; ma-
la committant. Quod si qui ob diuitias elatis essent animis
ac se nihil institutionis egere ducerent, quippe qui opes sibi
suffecturas putarent ad impetrandum, quæ vellent, & ad
consequendū honores ab hominibus, eos ita sanā ad men-
tem reuocabat, vt diceret: stultum esse, si quis existimet pos-
se se absque doctrina tum vtiles tum noxias res discernere:
itemque stultum esse, qui discrimen horum ignorans, ac
propter opes quidquid velit sibi comparās, posse se putet
agere, quę ex vsu sint: stolidū item, qui quum nequeat age-
re, quæ sint ex vsu, nihilo minus prospere se agere putet ac
res ad vitam omnes vel recte sibi, vel idonee comparatas
esse: stolidum deniq;, qui quum nihil sciat, ob diuitias fore
se putet hominum opinione bonum: vel quum bonus non
sit, nihilominus in existimatione futurum. Quod si qui ex-
istimarent se optime institutos esse ac ob doctrinam mag-
nos animos gererent: cum iis quo modo soleret agere, iam
commemorabo. Nam quum bonum illum Euthydemum
intel-

intellexisset multa poetarum & professorum sapientiæ clarissimorum scripta collegisse, iamque arbitrari, se sapientia suos æquales vincere, ac magna esse in spe, futurum, vt omnes & dicendo & rebus gerendis excelleret: primum animaduertens eum propter ætatem necdum in concionem prodire, ac si quid efficere vellet, collocare se quamdam in officinā opificis frænorū, haud procul a foro; eamdem & ipse cum quibusdam familiaribus suis ingressus est. Hinc quodam interrogante, vtrum Themistocles ex consuetudine cum aliquo sapienti viro, an vero natura tantum ciuibus suis præstitisset, vt oculos in eum ciuitas coniiceret, si quando magna virtute viri opera sibi opus esse intelligeret: Socrates, qui mouere vellet Euthydemum, stultum esse dixit existimare, exigui quidem momenti artes absq; magistris idoneis percipi a studiosis haud posse; cum imperio autem ciuitati præesse fortuito posse homines, quod quidem opus sit omnium maximum. Rursus quum adesset aliquando Euthydemus, quia videbat eum a consessu secedere, cauentem scilicet, ne Socratem admirari ob sapientiam videretur: Euthydemum hunc, inquit, ciues, posteaquam adoleuerit, ciuitate de re quapiam consultationem proponente, minime a consilio dando sibi temperaturum, satis ex ipsius studiis manifestum est. Et videtur mihi præclarum iam orationum pro concione recitandarum exordium parasse, qui caueat scilicet, ne videatur abs quoquam aliquid discere. Nimirū vbi dicendi volet initium facere, hoc quodam modo exordietur: Equidē, ciues, a nullo vmquam quidquam didici, & quum audirem esse quosdam dicendi agendique peritos, non tamen vt eos cōuenirem, operam dedi; neque curam adhibui, vt hominem aliquem doctum mihi magistrum adiungerem: sed econtrario, semper fugi non solum, ne quid ab aliquo discerem, verumetiam ne discere viderer. Nihilominus id consilij vobis dabo, quodcumq; fortuito mihi ad animum acciderit. Eodem vti exordio conueniret etiam iis, qui medendi munus a republica impetrare cuperent. Nam illis ex vsu fuerit, hinc orationē ordiri: Equidē a nemine, ciues medendi artē didici, neque quemquam medicorum quæsiui, quo magistro vterer. Semper enim caui non solum ne a medicis aliquid discerem; sed etiam ne viderer artem hanc didicisse.

Socratis cū Euthydemo colloquia. 792.

Fictitium Euthydemi proœmium.

" Nihilominus velim medendi munus mihi mandetis. Nam " enitar equidem, in vobis periculum faciendo, eam discere. " Ad hoc exordium arrisum est ab omnibus, qui aderant. Ceterum vbi iam adpareret Euthydemum iis, quæ a Socrate dicerentur, animum adtendere; quamquam ipse, ne quid proloqueretur, caueret; seque per silentium arbitraretur modestiæ laudem consequuturum: tum vero Socrates, qui vellet eum ab hoc instituto auocare: Mirum est, ait, quamobrem illi, qui cithara canere, vel tibia cupiunt, vel equitādi artem discere, vel ad aliud eiusmodi quidpiam ido-
793 nei fieri, non conentur hoc sane quam negligenter agere, in quo valere volunt; neque marte suo, sed apud eos, qui præstare ceteris videntur: omnia tum agant, tum sustineant, ne quid absq; illorum iudicio faciant, quasi alia ratione *dignum aliquid opera consequuturi non sint: quum plerique, qui facultatem dicendi, gerendique publicas res adipisci volunt, existiment se absque præparatione ac studio, casu quodam, & subito idoneos ad ea præstanda futuros. Atqui tantum hæc illis effectu difficiliora sunt, quanto in his plures operam ponunt, ac pauciores id, quod moliuntur, conficiunt. De quo patet, ab eis & studium maius requiri, & contentius, qui hæc concupiscunt, quam* qui illa. Huiusmodi quædam Euthydemo audiēte Socrates initio proferebat. Quum autem animaduerteret, Euthydemum iam promtius eius disputationes tolerare, atque alacrius eas audire, solus ad officinam habenarum opificis accessit. Quumque consedisset propter ipsum Euthydemus: Dic mihi mi Euthydeme, ait, an reuera, quemadmodum audio, multa eorum scripta collegisti, qui viri sapientes fuisse dicuntur? Est ita profecto mi Socrates, inquit, atque etiam modo colligo, donec comparauero mihi quam fieri poterit plurima. Suspicio te profecto, ait Socrates, quod nec auri nec argenti thesauros tibi comparare malueris, quam sapientiæ. Etenim ex hoc patet, quod existimes argētum & aurum homines nihilo meliores efficere; sed sapientū iudicia & sententias virtutis opes illis largiri, qui eas adquisiuerint. Hæc quum audiret Euthydemus, gaudebat; vt qui existimaret videri Socrati, recte sapientiam ab ipso inquiri. At Socrates, animaduerso, hominē ea laudatione delectatum: In quo vero, mi Euthydeme, bonus ac peritus euadere desiderans,

**al. rat. celebres, clariq; nō sint euasuri. Æ P.*

**quam ab illis, qui illa. Æ.P.*

derans, hæc ſcripta colligis? Quumque taceret Euthydemus, ſecum ipſe, quid reſponderet, diſpiciens, rurſum Socrates: Num vt medicus fias? Nam multa etiam medicorum ſcripta ſunt. Minime equidem, ait Euthydemus. An architectus fieri cogitas? Nam id quoque magni iudicij hominem requirit. Nolo, inquit. At geometra bonus fieri cupis, vt Theodorus? Ne geometra quidē. At aſtrologus fieri vis? Quum hoc quoque negaſſet: Num carminum recitator? ait. Nā te Homeri verſus omnes habere dicūt. Minime profecto, inquit. Nam recitatores verſuum ſcio accurate 794
quidem illos tenere verſus ipſos, verum homines eſſe ſtolidos. Et Socrates: Num fortaſſis illam expetis virtutem, ait, mi Euthydeme, per quam homines rerum ciuilium & adminiſtrationis domeſticæ periti fiunt, & ad imperandum idonei, & vtiles quum ceteris hominibus, tum ſibimetipſis? Heic Euthydemus: Vehementer, inquit, hac virtute mihi, mi Socrates, opus eſt. Ergo tu, ait Socrates, virtutem profecto pulcherrimam artemque maximam expetis. Nam regum hæc propria eſt, ac regia vocatur. Sed an conſideraſti, ait, num is, qui iuſtus non eſt, fieri poſſit in rebus huiuſmodi bonus? Maxime vero, inquit. Nec enim fieri poteſt, vt aliquis abſque iuſticia ciuis bonus exiſtat. Quid igitur? ait, tune hoc vt eſſes, perfeciſti? Arbitror equidem mi Socrates, inquit, me nemine minus videri * iuſtum. Ergone iuſtorum *viſum iri. Æ.P.
hominum opera quædam ſunt, vti fabrorum? Sunt, inquit. Num igitur perinde ac fabri opera ſua demōſtrare poſſunt, ſic & iuſti ſua poſſunt exponere? Egone ſubiecit Euthydemus, opera iuſticiæ non poſſim exponere? Quin & iniuſticiæ profecto. Nam eiuſmodi non pauca cottidie tum cernere, tum audire eſt. Vis igitur, ait Socrates, heic quidē D, iſtic vero A ſcribamus, ac deinde quodcumque nobis eſſe opus iuſticiæ videbitur, id ad D collocemus: quod autem iniuſticiæ, ad A? Facito vero hæc, ait, ſi quid horum requiri tibi videtur. Et Socrates poſteaquam hæc ita, vti dixerat, ſcripſiſſet: Ergo, inquit, inter homines eſt mendacium? Eſt, ait Euthydemus. Vtra in parte hoc collocabimus? Etiā hoc perſpicuum eſt, inquit, nimirum ad iniuſticiam. Num & inter homines eſt fallere? Omnino, ait, Vtrubi vero id collocabimus? Etiam hoc palam eſt, inquit, ad iniuſticiam eſſe referendum. Quid damno adficere? Eodem, inquit. Quid

in seruitutem redigere? Eodem. Ad iusticiam vero, mi Eu-
thydeme, nihil horum a nobis collocabitur? Mirum sane id
esset ait. Quid autem, si quis imperator lectus iniustam &
infestam vrbem in seritutem redigat, hunccine quidpiam
in hoc iniusti perpetrare dicemus? Nequaquam, ait. At iu-
ste agere dicem⁹? Omnino, inquit. Quid si decipiat eos, dũ
bellum aduersus illos gerit? Hoc quoque iustum est in-
795 quit. At si furtim adimat, ac rapiat ipsorum res non iuste a-
get? Omnino, ait. At ego primũ arbitrabar hæc te, quãtum
ad amicos adtineat, solummodo interrogare. Quæcumq;
igitur ad iniusticiam retuleram⁹, ea sunt omnia ad iustici-
am quoque referenda? Sic videtur, ait. Vis igitur, his ita posi
tis, iterum definiamus, aduersus hostes quidem iustũ esse
facere quædam huiusmodi; sed iniustum, aduersus amicos,
omninoq; erga hos quã simplicissimos esse oportere? Vo-
lo, inquit Euthydem⁹. Quid igitur? subiecit Socrates, si quis
imperator deiectis animis esse copias suas videat, & confi-
cto mendacio dicat aduentare socios, atque hoc mendacio
militibus animi deiectionẽ adimat, quanã ex parte frau-
dem hanc collocabimus? Videtur mihi ad iusticiam, inquit
referenda. Si quis autem filium suum indigentẽ vsu phar-
macorũ, & pharmacum respuẽtem, ita deceperit, vt phar-
macum ei det loco cibi, eoque vsus mendacio, valetudini
eum restituat; hæc item fraus vbi erit collocãdã? Videtur,
inquit, ea quoque mihi eodem referenda. Quid autem, si
quis amicum habeat, qui magno sit in mærore, metuens
ne manus ille sibi adferat, suffuretur aut eripiat gladium,
vel quid eiusmodi, vtro id quoque loco ponendum? Nimi-
rum ad iusticiam, inquit. Ergo tu dicis, ait non debere
nos etiã erga amicos in omnibus nosmet simplices exhi-
bere. Non profecto, ait; immo quæ dixi retracto, si quidem
licet. Atqui, subiecit Socrates, multo magis hoc licere de-
bet, quã nõ recte aliquid cõstituere. Ceterũ ex iis, qui ami-
cos nocendi caussa decipiunt, vt ne id quidẽ haud conside-
ratũ relinquamus, vter iniustior est, qui volens hoc, an qui
facit inuitus? Ego vero, mi Socrates, non amplius eis fidem
habeo, quæ respondeo. Nam quæ diximus antehac omnia
nunc aliter se habere mihi videntur, quam ego tum puta-
rem. Sed tamen dictum sane a me esto, qui volens fallat, il-
lo iniustiorem esse, qui fallat nolens. Num vero tibi, quod
iustum

iustum est, disci posse, atque etiam esse scientia quædam iusti videtur, quemadmodum est litterarũ? Mihi quidem, ait. Vtrum vero magis esse litteratum iudicas, eumne qui volens non recte scribat & legat, an qui nolens? Qui volens scilicet. Nam poterat is, vbi volet, etiam recte vtrumq; facere. Qui ergo volens non recte scribit, litteratus scilicet erit; qui vero nolens illiteratus? Cur non? Vtrum vero is, qui volẽs mẽtitur ac decipit, quæ iusta sunt nouit, an qui nolẽs? Nimirum is, qui volens. Ergo litteratiorem illũ, qui literas nouit, eo putas esse, qui has ignorat? Ita est. Et qui iusta scit, eo iustiorem qui nescit? *Videtur id ita esse. Atque hæc ipsa nescio qui mihi dicere videor. Quid autẽ, si quis verum dicere velit, ac numquam de iisdem eadẽ dicat, sed de eadem via loquens, modo quidem hanc versus orientem solem, modo versus occidentem dicat tendere, & rationes easdem reddẽs, modo plures, modo pauciores exhibeat, de hoc homine quid tibi videtur? Patet, inquit, eum, quæ scire se putabat, nescire. An autem nosti quosdam, qui seruiles homines adpellantur? Noui equidem. Num ita vocantur ob scientiam, an propter inscitiam? Haud dubie propter inscitiam. Ergone propter ignorationem opificij ærariorum nomen hoc consequuntur? Minime. An quod operas fabriles non teneant? Ne hac quidem de caussa. An quod sutoriam nesciant? Ob nihil horum. immo vero ratione contraria se res habet. Nam maxima ex parte qui tenent huiusmodi opificia, seruiles sunt. Ergo nomen hoc iis competit, qui quæ honesta, & bona, & iusta sunt, ignorant? Ita mihi videtur, inquit. Contentis itaque viribus omni modo fugere oportet, ne mãcipia simus. Ego vero mi Socrates, ait, omnino me illi philosophiæ vacare putabam, ita me Dij ament, per quam maxime futurum existimabã, vt in iis instituerer, quæ homini honesti virtutisq; studioso conuenirent. Numquam mæsto me esse putas animo, quum videam me per ea, quæ antehac laborando consequutus sum, ne respondere quidem de iis posse, quæ in primis sciẽda sunt; ac via nulla restet, qua pergens, euadam melior? Tum Socrates: Dic mihi mi Euthydeme, ait, Delphosne profectus aliquando es? Immo bis, inquit. An animaduertisti ad templum alicubi scriptum esse, Nosce teipsum: Sane, inquit. Vtrum igitur id ita scriptum nihili fecisti, an aduertisti animum, ac temet

796

**Lectio marginis.*

De sententia Delphica, Nosce teipsum.

conſiderare conatus es, qui ſis? Minime factum hoc à me profecto, inquit. Nam prorſus id me putabam iam ſcire. Nec enim facile aliquid aliud ſcirem, ſi ne meipſum quidem noſſem. Vtrum verò tibi videtur is ſemet noſſe, qui nomen tantum ſuum nouit, an qui equos ementium more, non prius equum ſe noſſe putantium, quem noſſe volunt, quam inſpexerint, vtrum ſit tractabilis, necne; vtrum robuſtus, an debilis; vtrum celer, an tardus, itemque in ceteris, quæ vel equo conueniunt, vel non conueniunt, quomodo adfectus ſit; ita & ipſe conſiderans ſemet, qualis ſit ad vſum humanũ, vires ſuas nouit? Sane mihi videtur is, ait, qui vires ſuas non nouerit, ſeipſum non noſſe. An vero non perſpicuum eſt, inquit, ex eo, quod ſe nouerint, maxima homines bona percipere; quũ a ſeipſis aberrando, mala plurima ſentiant? Nã qui ſeipſos norunt, quæ ſibi cõmoda ſint, ſciunt; & quæ vel poſſint, vel nequeant, dignoſcunt: præterea iis agẽdis, quę ſciũt, cõparant ſibi neceſſaria, felicesq; ſunt: ab aliis autẽ abſtinendo, quæ neſciunt, non delinquunt, & quo minus infelices ſint, vitãt. Itaq; ceteros quoq; mortales quum explorarę poſſint, etiam ex aliorum vſu bona ſibi cõparant, & a malis ſibi cauent. Quotquot vero per ignorantiam falluntur in æſtimatione virium ſuarum, illi ad homines ceteros resq; humanas alias eodem modo adfecti ſunt; nec quibus opus ſibi ſit, norunt, nec quid agant, nec quibus vtãtur: ſed ab omnibus his aberrantes, vt bonis fruſtrantur, ſic in mala incidunt. Præterea qui, quũ ſciant, quid faciant, actionum ſuarum finem conſequuntur; ij magnam & gloriam & honorem adipiſcuntur, vtunturque illis perlubenter alij, qui ſimiles eis ſunt; & qui fruſtrantur inſtituto ſuo, cupiunt hos ſibi conſiliis ſubuenire, ſibique præeſſe, ac ſpem ſuam in eis collocãt, & propter hæc omnia maxime ipſos diligũt. Qui vero neſciunt, quæ agunt, & eligunt male, poſteaquam inſtituto ſuo fruſtrantur, non ea dumtaxat ratione damno quodã ac pœna multãtur, ſed etiam inglorij & ridiculi fiunt, & ſpreti, dedecoreq; notati viuũt. Vides etiam ciuitates, quotquot ignorãtes vires ſuas bellum aduerſus potentiores ſuſcipiunt, partim prorſus euerti; partim ex liberis in ſeruitutem redigi. Tum Euthydemus: Velim ſcias, inquit, mi Socrates, verbum hoc, Noſce teipſum, prorſus magni mihi æſtimandum videri. Verum vnde cognoſcendi ſui ſit

sit faciundum initium, an exponere mihi velis, id equidem oculis in te defixis exspecto. Nosti tu omnino, inquit Socrates, qualia sint tum quæ bona, tum quæ mala sunt. Noui profecto ait. Vel ipsis enim mancipiis vilior essem, si hæc ignorarem. Age vero, mihi quoque illa exponito. Id quidẽ difficile non est, inquit Euthydemus. Primo, ipsum recte valere, bonum esse arbitror: morbo autem laborare, malum. Deinde quæ horum vtriusque caussæ sunt, potus, cibi, studia, si qua rectam ad valetudinem pertinent, bona sunt: quæ vero ad ægrotationem, mala. Ergo, inquit Socrates, tum recte valere, tum ægrotare, quum quidem boni alicuius caussa sunt, bona fuerint scilicet: quũ vero mali, mala. At quando, ait Euthydemus, recte quidem valere mali alicuius caussa esse possit, ægrotare vero boni? Tum profecto, inquit, quum ij, qui vel militiæ turpi, vel nauigationi damnosæ, vel aliis plerisque talibus interesse roboris integri caussa potuere, pereunt: alij vero, qui propter imbecillitatem absunt, incolumes euadunt. Vere dicis. Sed vides, inquit, etiam nonnullos ob robur vtilibus interesse, quum alij propter imbecillitatem absint. Ergo hæc, ait, quũ nonnumquam ex vsu sint, nonnumquam noceant; non magis bona, quam mala sunt. Non profecto adparet, ait, secundũ hanc quidem rationem. Sed tamen sapientia, mi Socrates, haud dubie bonum est. Nam quale tamdem negotium nõ melius efficiat, si quis sapiens sit, quam si rudis? Quid vero? subiecit Socrates, non audisti Dædalum a Minoe propter sapientiam captum, seruitutem seruire coactum fuisse, tum patria, tum libertate orbatum: quumque aufugere cum filio conaretur, filium amisisse, ac ne ipsum quidem saluum elabi potuisse; sed ad barbaros delatum, rursus ibidem seruiisse? Dicuntur illa sane, inquit. At Palamedis calamitates non audisti? Hunc enim prædicant omnes ob sapientiam, Vlyssis inuidia, periisse. Id etiam fertur, ait. Quot item alios existimas, inquit, ob sapientiam abreptos ad regem Persicum esse, atque istic seruire? Videtur mi Socrates, ait, felicitas bonum esse, de quo minime dubitari possit. Nisi quis, inquit, mi Euthydeme, de dubiis eam bonis componat. Quid autem, subiecit ille, dubiũ esse possit inter illa, quæ ad felicitatem pertinent? Nihil, inquit, modo non addamus ei pulchritudinem formæ, vel robur, vel o-

798

Dædalus à Minoe captus.

pes,vel gloriam,vel quid aliud eiuſmodi. At vero ait, hæc
addemus ei profecto. Nam qui poſſit abſque his beatus a-
liquis eſſe? Addamus illa ſane, reſpondit Socrates, ob quæ
multa,eaque grauia hominibus accidunt. Multi enim vio-
799 lantur ob venuſtatem formæ ab iis, qui erga elegantes a-
more incitantur: multi propter robur ſuum maiora quæ-
dam adgreſſi opera, non exiguas in calamitates incidunt:
multi propter opes emolliti deliciis, ac inſidiis petiti, pere-
unt: multi ob gloriam potentiamque in republica, magna
ſunt mala perpeſſi. Enimuero, ait Euthydemus, ſi nec feli-
citatem ipſam laudans, recte dico: fateor me ne id quidem,
quod precibus petendum a Diis ſit, noſſe. Fortaſſe tu hæc,
ſubiecit Socrates, ne conſideraſti quidem propterea, quod
omnino ſcire te illa crederes. Quia vero te paras, vt ciuita-
ti, quæ dominationi populari ſubiecta eſt, præſis: haud du-
bie quid imperium populare ſit, noſti. Omnino, ait. Ergo-
ne putas ſcire te, quid populi ſit dominatus, ſi neſcias, quid
populus ſit? Minime, inquit. Et quid putas eſſe populum?
Equidem hoc nomine ciues pauperes accipio. Et pauperes
igitur noſti? Cur non? Ergo etiam noſti diuites? Nihilomi-
nus, quam pauperes. Quales autem pauperes, & quales ad-
pellas diuites? Pauperes, inquit, arbitror eſſe, quibus non
ſuppetit ſumtus, quem facere neceſſe eſt: at quibus etiam
plus, quã ſatis ſit, ſuppetit; eos adpello diuites. Ergone vm-
quam animaduertiſti, nonnullis qui admodum pauca poſ-
ſident, non ſolum ea ipſa ſufficere, ſed alia quoque de his
adquirere: quum aliis etiam admodum multa non ſuffici-
ant? Ita eſt profecto, ait Euthydemus. Nã recte me mones.
Etenim quoſdam tyrannos quoque noui, qui ob inopiam
perinde, ac maxime egeni, aliis iniuriam inferre cogũtur.
Ergo ſi hæc, inquit Socrates, ita ſe habent, tyrannos ad po-
pulum: alios, qui pauca poſſident, ſi quidem rei familiaris
adminiſtrandæ periti fuerint, inter opulentos referemus.
Etiam id fateri me, ait Euthydemus, ſtupiditas mea cogit:
adeoq; iam cogito, optimumne fuerit, me ſilere. Nam ſim-
pliciter metuo, ne nihil ſciam. Itaq; vehemente cum animi
dolore diſceſſit, quum quidem & contemneret ſeipſum, &
reabſe mancipium eſſe crederet. Ac multi quidẽ hoc mo-
do habiti a Socrate, non amplius eum conueniebant, quos
etiam ſtolidiores eſſe putabat: verum Euthydemus nõ alia
ſe ra-

se ratione hominem * frugi posse fieri arbitrabatur, quam si cum Socrate frequentissime versaretur: neque amplius 800 ab ipso poterat abesse, nisi quid rei necessariæ impediret. Quinetiam quædam ipsius instituta imitabatur. Itaq; Socrates, qui sic adfectũ esse animaduerteret, minime ipsum perturbabat: sed quam simplicissime & clarissime exponebat, quæ putabat eum scire debere, & quibus operam dari ducebat esse optimum. Non ille quidem in hoc studiose incumbebat, vt familiares suos dicendi, agendi, ingeniose machinandi aliquid peritos efficeret: sed prius existimabat oportere moderationem ipsis indi. Nam quibus ita facultas hæc adesset, vt interim modestiam negligerent: eos & iniustiores, & ad nocendum magis instructos esse arbitrabatur. Primum autem enitebatur familiares suos tales efficere, qui erga Deos modeste se gererẽt. Et alij quidem, quum aliis ipsius ad amicos sermonibus interessent, eos exposuerunt: ego vero aderam, quum ad Euthydemum huiusmodi quædam dissereret. Dic mihi mi Euthydeme, ait, cogitarene tibi aliquando subiit, quam diligenter Dij parauerint ea, quibus homines indigent? Minime profecto, inquit Euthydemus. At nosti, ait, primum nos lucis egere, quam Dij nobis suppeditant? Noui, inquit, atq; hanc nisi haberemus, oculos sane quod adtinet, cæcis essemus similes. Nihilominus requietis caussa, qua egemus, noctem nobis largiuntur, longe commodissimum quiescendi tempus. Hoc etiam, inquit, omnino gratiarum actionẽ meretur. Quia vero sol lucidus est, ac nobis horas diei, aliaq; clare demonstrat, nox autẽ propter tenebras est obscurior: astrorum lucem noctu protulerũt, quæ noctis horas nobis indicarent; quo fit, vt multa tum, quæ necesse sit, perficiamus. Ita est, inquit. Enimuero luna non solum noctis, sed etiam mensis partes nobis patefacit. Omnino ait. Quid autem? quũ nutrimento egeamus, quod illud e terra nobis producant, & ad hoc anni tempora cõuenientia tribuant, quæ nobis non modo magna copia necessaria præparant, sed ea quoq;, de quibus delectationẽ capimus? Etiã hæc, inquit, magnæ sunt deorũ erga homines benignitatis & clemẽtiæ. Quod itẽ nobis aquã largiantur, rẽ adeo preciosam, vt & producat & augeat vna cũ terra & cũ anni temporib. omnia, quæ nobis vsui sunt, simulq; nos etiã alat, ac

*celebrẽ, clarumq; euasurum arb. Æ. P.

De prouidentia diuina.

LL 2

nutrimentis nostris omnibus admista faciat, vt & confici
ea facilius possint, & vsui nostro magis sint accommodata,
801 & suauiora? Quodque maxima nobis eamdem copia lar-
giantur, quum illa plurimum egeamus? Hoc quoque, ait,
prouidentiæ opus est. Quod item nobis ignem dederint,
qui nobis opem aduersus frigus, & aduersus caliginem fer-
ret, nosque in omnibus opificiis, rebusque ceteris, quas vti-
litatis caussa suscipiunt homines, adiuuaret? Nam vt sum-
matim dicam, nihil homines, quod operæpretium sit, abs-
que igne rerum ad vitam vtilium parare possunt. Etiā hoc
benignitatis est eximiæ. Quod item sol posteaquam in
hyeme se conuertit, accedendo partim succrescere quædā
facit, partim exsiccat, quorum scilicet tempus præteriit; ac
posteaquam id perfecit, non accedit propius, sed auertit se-
se cauens, ne supra modum nos calefaciendo lædat: deinde
quum recedens eo peruenit, vbi animaduertimus ipsi fu-
turum, vt frigore congelasceremus, si quidem abiret lon-
gius, ad eam cæli partem reuertitur, vbi nobis plurimum
prodest? Profecto, ait, etiam hæc omnino videntur homi-
num caussa fieri. Quod item, quum manifestum sit, non
posse nos nec æstum, nec frigus tolerare, si repente illa exi-
sterent, sol ita paullatim accedat, atque ita paullatim abs-
cedat, vt ipsimet ad vtraque vehementissima nos peruenis-
se ignoremus? Ego quidē hoc ipsum, ait Euthydemus, mo-
do considero, aliane quapiam re Dij occupentur, quam vt
commodis hominum inseruiāt. Nam illud solum mihi est
impedimento, quod hæc animalibus etiam ceteris cum
homine communia sint. An vero non perspicuum est, ait
Socrates, etiam animalia hominum caussa nasci ac nutri-
ri? Quod enim aliud animal tot commodis fruitur ex ca-
pris, suibus, equis, bobus, asinis, animalibus ceteris, quot
homines? Ego quidem certe plura de his homines perci-
pere puto, quam de plantis. Nam & aluntur, & rem faciunt
nō minus de animalibus, quam plantis. Etiam magna pars
hominum nascentibus e terra non vtitur ad cibum, sed pe-
cudum lacte, caseo, carnibus pro nutrimento vtentes vi-
uunt. Præterea cicuratis ac domitis vtilibus animalibus, o-
mnes ad bellum, aliaque multa vtuntur, veluti adiutori-
bus. In hoc etiam adsentior tibi, ait. Nam inter ea video
quædam longe nos superare viribus, quæ tamen adeo se
homini-

hominibus subiiciant: vt eis quamcumque ad rem velint, 802
vtantur. Quod item Dij hominibus, quum multa sint pulchra & vtilia, sed inter se diuersa, sensus addiderint ad singula congruentes, per quos bonis omnibus fruimur. Item, quod rationem nobis a natura concesserint, qua de rebus sensilibus ratiocinando & reminiscendo discimus, ad quæ singula conducant; multaq; molimur, per quæ bonis fruamur, & mala depellamus. Quid? quod eloquendi facultatem nobis largiti sint, per quam inuicem omnia bona inter nos docẽdo communicamus, & leges ferimus, & rempublicam administramus? Omnino videntur, mi Socrates, valde Dij de hominibus esse solliciti. Quid? quum nobis in futurum vtilia prospicere nõ possumus, quod ita nos iuuent, vt per diuinationem cõsulentibus se de futurorum euentu respondeant, & quo pacto fiant optime, doceant? Te quidem, ait, mi Socrates, etiam familiarius vti videntur, quam ceteris: quando tibi, ne quidem interrogati abs te, significant; quid vel faciundum, vel non faciundum sit. At verum me dicere, etiam tu intelliges, si non exspectaueris, donec deorum formas intuearis: sed suffecerit inspicienti eorum opera, tum venerari, tum honore prosequi Deos. Velim etiam cogites, Deos ipsos ita se nobis ostendere. Nam & Dij ceteri, quum bona nobis largiantur, nihil tamen horum ita largiuntur, vt in apertum prodeant: & is, qui * mundum vniuersum composuit & continet, quo pulchra & bona omnia comprehenduntur, quique vtentibus eo semper expertem detrimenti, & morbi, & senectutis exhibet, atque etiam cogitatione celerius obsequentem sine vllo errore: is inquam maxima quæque facere conspicitur, atque hæc gubernans, nihilominus cerni non potest. Etiam consideres velim, quod sol, quum omnibus esse conspicuus videatur, nõ permittat hominibus, vt se accurate adspiciant: sed si quis impudenter eum spectare conetur, videndi facultatem * amittat. Præterea Deorum quoque ministros conspici non posse reperies. Nam fulmẽ de loco quidem superiore demitti patet, & omnia, in quæ incidit, vincere: non tamen vel quum accedit, vel quum ferit, vel quum recedit, cernitur. Nec venti videntur, quamquam eorum effecta nobis conspicua sint, & accedentes
sentiamus. Quinetiam si quid rerum humanarum aliud, a- 803

** aliter in margine: qui mundũ vniuersitatis huius composuit.*

** illi adimat. Æ. P.*

nimus hominis certe quiddã cum natura diuina commune habet. Patet enim hunc in nobis imperare, quamquam non cernatur. Quæ considerantem te nequaquam ea, quæ cerni nequeunt, contemnere decet: sed de iis, quæ accidũt, eorum potestate animaduersa, numen ipsum honore prosequi. Scio equidem me, ait Euthydemus, ne minima quidem in parte numen, mi Socrates, neglecturum. Verum id mihi molestum est, quod nemo mihi hominũ beneficia diuina gratiis rependere meritis videatur. Tibi vero mi Euthydeme, ait, molestum hoc ne sit. Vides etenim Delphicũ Deum interrogatũ, quo pacto quis gratificari Diis possit, respondere: ex ciuitatis instituto ac more. Est autem institutum hoc vbiq;, vt pro facultatibus Dij sacrificiis placentur. Qui ergo possit aliquis rectius & religiosius Deos honore adficere, quam si ita agat, vt ipsimet iubent? Sed tamẽ de facultatibus minime aliquid remittere oportet. Nam quum aliquis hoc facit, non se Deos honore prosequi declarat. Itaq; nihil intermittẽtem adficere Deos honore pro viribus oportet, & confidenter bona maxima sperare. Nemo enim mentis compos ab aliis maiora sperare potest, quam ab iis, qui plurimũ prodesse possunt: nec alia potius ratione, quã si eis placeat. Et quo pacto magis placere possit, quam si maxime ipsis obtemperet? Hæc tum dicẽs, tum ipse faciens, & religiosiores & modestiores reddebat familiares suos. Ne de iustitia quidem sententiam animi sui occultabat, sed eam reipsa declarabat, quum priuatim ac publice erga omnes ex legum præscripto & vtiliter sese gereret, ac magistratibus in iis, quę lex mandat, adeo tum domi tum militiæ pareret: vt supra ciues ceteros eũ se recte atq; ordine gerere palam esset. Quinetiam quo tempore præses comitiorum factus est, non permisit plebi, vt præter leges suffragiis sententias ferret: sed cum legibus tanto impetui plebis aduersatus est, quem non puto vllum aliũ hominem toleraturũ fuisse. Quoties etiam Trigintauiri contra leges aliquid ei præciperent, non obtemperabat. Nam quum edixissent, ne ad iuuenes dissereret, ac mandassent tum ipsi, tum aliis quibusdam ciuibus, vt quemdam adducerent, qui morte multandus esset: solus non paruit propterea, quod contra leges mandaretur. Quum itidem accusante Melito reus ageretur, quamquam aliis in more sit,
apud

apud tribunalia iudicum in gratiam multa dicere, adulari, rogare præter leges, quibus sane artib. multi multoties a iudicibus absoluũtur: Socrates nihil horum vsu receptorũ apud tribunal præter leges facere voluit, sed tametsi facillime absolui potuisset, si vel modice horũ aliquid fecisset, perstare tamẽ in legibus maluit, ac mori, quam præter leges aliquid designãdo viuere. Atq; huiusmodi quædam ad alios sæpenumero dixit, & ipse memini eum aliquando de iustitia quoq; disserere ad Hippiam Eleum in hanc sententiam. Quippe quum longo ex interuallo Athenas venisset Hippias, forte Socrati aderat dicẽti ad quosdã, mirum esse, quod si quis sutorem aliquem, vel fabrum, vel artificem ęrarium, vel equitem docendum locare velit, nõ desint loca, ad quæ illo ire iusso, possit hoc impetrare: (aiunt quidẽ aliqui, si equum ac bouẽ * quis recte velit institui, omnia plena iis esse, qui hos docere velint) ac si quis vel ipse iustitiam discere cupiat, vel filiũ domesticumve doceri, non esse, quo accedere possit, vt cõsequatur. Quæ quũ audiisset Hippias, tanquam irridens Socratẽ ait: Num adhuc tu, mi Socrates, illa ipsa dicis, quæ ego de te iam olim audiui? Et Socrates: Immo quod hoc etiã grauius est, inquit, mi Hippia, nõ modo semper eadem dico; sed etiã de iisdem. Tu vero fortasse, quod doctrinæ magnam copiam habes, de iisdẽ numquã eadẽ dicis. Certe inquit, semper aliquid noui proferre conor. Num & de iis, ait Socrates, quę scis? verbi gratia, de litteris; si quis te roget, quot & quales sint litterę vocabuli Socratis, antehac alia, itidemq; nũc alia dicere conaris? vel de numeris si qui rogent, an bis quinq; sint decem, nõ eadem nunc, quæ & prius, respõdes? De his, ait, mi Socrates, perinde ac tu quoq;, semper eadem dico. Ceterũ de eo, quod iustũ est, nunc me dicere posse omnino arbitror, ad quæ neq; tu, neq; quisquam alius respõdere queat. Magnũ profecto, ait, bonum reperisse te refers, si quidem iudices diuersa statuere desinent, & ciues de iis, quæ iusta sint, disceptare, experiri iure, dissidere: deniq; ciuitates ipsæ discordes esse de iis, quæ æqua sint, bellaq; gerere desinent. Atq; equidẽ quo pacto discedere abs te possim prius, quã te, qui tantũ bonũ inueneris, audierim, non video. At tu profecto, inquit, non audies prius, quam ipse pronũtiaris, quid esse iustũ statuas. Nam sufficit tibi alios irridere, interroganti & cõuincenti

Hippiæ ac Socratis colloquiũ.

**In Græco si quis iustos efficere velit, hoc est ad operas suas idoneos.*

omnes: quum ipſe nemini rationem reddere velis, neque ſentētiam tuam vlla de re proferre. Quid vero mi Hippia? inquit, an neſcis me illa, quæ iuſta putem, numquam non indicare? Et cuiuſmodi ea, inquit, oratio tua eſt? At ſi non oratione, ait, ſaltim reipſa demonſtro, non tibi res ipſa videtur fide dignior eſſe, quam ſit oratio? Multo magis profecto, ait. Nam plerique quum iuſta dicant, iniuſta patrant: at qui iuſta facit, iniuſtus eſſe nequit. Senſiſtine vero vmquam, me vel falſum teſtimonium perhibuiſſe, vel calumniatum quemquam, vel amicos aut rempublicam in diſſenſiones impuliſſe, vel aliud quidpiam iniuſti deſignaſſe? Minime equidem, ait. Ab iniuſtis autem abſtinere, non iuſtum eſſe arbitraris? Patet, ait, mi Socrates, etiam nunc id operam te dare, vt quo minus ſententiam de iuſtitia tuam proferas, declines. Non enim ea dicis, quæ iuſti faciunt: ſed ea quæ non faciunt. Ego vero, ait Socrates, ſatis idoneum eſſe iuſtitiæ ſpecimen arbitrabar, nolle quid iniuſte deſignare. Quod ſi hoc tibi non videtur, conſidera, num magis hoc tibi placeat. Nam equidem aio id, quod legib. ſit conſentaneum, eſſe iuſtum. Tune, mi Socrates, quod legibus eſt cōſentaneum, idem cum iuſto eſſe dicis? Dico equidem, ait. Non enim animaduerto, quid legibus conſentaneum, quid iuſtum dicas. An ciuitatis leges, inquit, noſti? Noui, ait. Et quas putas illas eſſe? Quæ nimirum, inquit, ciues de agendis, vel non agendis, compoſita conſcripſerunt. Ergo legibus conſentaneus erit, ait, qui ſecundum hæc in republica ſeſe gerit: alienus autē a legibus, qui in ea delinquit. Omnino, inquit. Igitur etiam ille, qui his obtemperat, iuſta facit: iniuſta vero, qui non obtemperat? Omnino. Ergo qui iuſta facit, iuſtus: qui iniuſta, iniuſtus eſt? Cur non? Itaque legibus conſentaneus, iuſtus eſt: qui vero alienus eſt a legibus, iniuſtus. Tum Hippias: Quo pacto aliquis, ait, mi Socrates, vel leges, vel obœdientiam in ſeruandis legibus, rem magni faciendam putare poſſit, quum eas auctores ipſi ſæpenumero improbatas mutent? Non enim bellum, inquit Socrates, ſæpenumero ciuitates ſuſcipiunt, ac rurſus pacem faciunt? Omnino, ait. Ergone quid aliud facere te
806 putas, inquit, quum legibus obtemperātes vituperas propterea, quod antiquari poſſint; atque ſi hoſtes recte ac decore ſe gerētes reprehendas propterea, quod pax fieri poſſit?

sit? Num & illos, qui alacriter in bellis succurrunt patriæ, vituperas? Minime equidem, ait. An non Lycurgum Lacedæmonium, ait Socrates, non animaduertisti alia re nulla Spartam a rebuspublicis ceteris diuersam reddidisse, quã quod in ea maxime perfecerit, vt legibus ciues pareant? An item nescis magistratus in rebuspublicis optimos esse, qui maxime sunt auctores ciuibus, vt legibus obtemperent? Etiam ciuitas, in qua maxime legibus parẽt ciues, tum pace recte constituta est, tum bello inexpugnabilis. Quinetiam concordia maximum rebuspublicis bonum esse videtur, & vt plurimum in eis Senatus ac optimi quiq; ciues; vti concordes sint, hortantur: & vbiq; in Græcia moribus & vsu receptum est, vt iurent ciues, velle se concordiam colere: quod etiam sacramentum vbique præstatur. Existimo autem sic illud fieri, non vt de iisdem choris ciues iudicent, non vt tibicines eosdem laudent, non vt eosdem poetas deligant, non vt eisdem delectentur: sed vt legibus pareant. Nam si ciues in his persistant, vrbes potentissimæ beatissimæque fiunt. At sine concordia nec ciuitas recte gubernari poterit, nec domus recte administrari. Priuatim vero qui possit aliquis vel minus a republica multari, vel magis honorari, quam si legibus obtemperet? quo pacto minus pro tribunalib. vinci possit? quo pacto magis vincere? cui quis potius fidem habeat, vt apud eum vel pecunias, vel filios, vel filias deponat? quemnam ciuitas vniuersa fide digniorem putare possit, quam eum, qui legibus se conformem præstet? A quo vel parentes, vel propinqui, vel domestici, vel amici, vel ciues, vel hospites magis id impetrare possint quod æquũ est? Cui potius hostes vel inducias, vel fœdera, vel conuenta de pace credant? cum quo potius societatem coeant, quam cum homine legum studioso? Cui potius socij vel ducis munus, vel prẹsidiorum magisterium, vel ciuitates credant? A quo potius aliquis bene promerendo gratiam se initurum existimet, quam a legum studioso? Aut de quo potius bene promereatur aliquis, quam a quo se gratiam reportaturum arbitretur? Cui quis vel magis amicus 807
esse velit, vel minus hostis, quam homini tali? Cui quis velit minus bellum facere, quam cui esse cupiat amicissimus, ac minime hostis, & cuius amicitiam societatemq; plurimi expetant, inimicitiam vero paucissimi? Equidem, mi

Hippia, demonstro idem esse, quod legitimum sit, & quod iustum. Tu si contrarium sentis, velim me doceas. Ego vero, subiecit Hippias, non profecto videor iis contraria sentire de iusto, quæ tu, mi Socrates, protulisti. An vero quasdam mi Hippia, inquit, non scriptas leges esse nosti? Eas, ait, quæ vbiuis locorum eodem modo obseruantur. Hasne dicere potes, ait, ab hominibus esse conditas? Qui possim? inquit, quum homines vniuersi conuenire non possint, nec eodem sermone vtantur. Quosnam igitur, ait, leges has condidisse arbitraris? Equidem, ait, has leges hominibus a

*latas esse. Æ.P. Diis * ferri existimo. Nam apud homines vniuersos hoc primum lege receptum est, Deos esse colendos. An non & parentes vbiq; locorum receptum est honore prosequendos esse? Etiam hoc, ait. Non & illud, quod neque parentes cum liberis, neque liberi cum parentibus consuescere debeant? Illa mihi lex, ait, mi Socrates, non iam amplius esse Dei videtur. Quamobrem? inquit. Quod animaduertam, nonnullos hanc non obseruare. At enim, ait Socrates, etiam alia multa contra leges committunt. Verum qui leges diuinitus conditas violant, pœnas dant, quas homo nulla ratione potest effugere, quemadmodum nonnulli leges latas ab hominibus transgredientes, quo minus pœnas dent, vel latendo, vel vim adhibendo effugiunt. Et quam ait Hippias, pœnam effugere, mi Socrates, non possunt tum parentes, si cum liberis, tum liberi si cum parentibus misceantur? Maximam profecto, ait. Nam quid hominibus liberos procreantibus accidere maius possit, quam si male procreent? Quo vero pacto, inquit, male procreant hi, quos nihil vetat bonos ipsos ex bonis liberos suscipere? Quia non tantum, ait, bonos esse necesse est, qui ex se inuicem procreant: sed etiam corporibus vegetis. Num tibi semina illorum, qui ætate sunt vegeta, seminibus eorum esse similia videntur, qui ad ætatem vegetam necdum accesserunt, vel iam prætergressi sunt eam? Nequaquam, ait, esse similia videntur. Vtra igitur sunt meliora? Perspicuum est, inquit, illorum meliora esse, qui sint ætate vegeta. Ergo

808 illorum, qui hac ætate non sunt, corpora minime probantur. Ita videtur, inquit. Ergo sic procreandum non est. Nequaquam, ait. Ergo hi dum liberos procreant, ita procreant, vt minime decebat. Mihi sic sane videtur, ait. Quinam igitur

tur

tur alij male gignunt, si nõ hi? Sentio tecum, inquit, hac et-
iam in parte. Quid autem? de bene nobis facientibus vicis-
sim bene merendum esse, an non vbiuis gentium legibus
cõsentaneum est? Est, inquit. Et committitur etiam aduer-
sus hoc. Quo fit, vt & illi, qui in hoc delinquũt, pœnas dent,
ab amicis bonis deserti, & coacti eos quærere, quibus odio
sunt. An nõ qui benefaciunt illis, qui opera ipsorum vtun-
tur, amici boni sunt; at qui vicissim de illis bene non pro-
merentur, licet ob ingratitudinem suam eis se odio esse sci-
ant, tamen quod horum operã in primis vtilem sibi videãt,
eosdem studiose quæritant? Profecto, inquit, mi Socrates,
hæc omnia diuina esse videntur. Nã leges ipsas delinquen-
tum pœnas continere, id vero mihi cuiusdam esse præstan-
tioris legislatoris videtur, quam vt in hominẽ cadat. Num
igitur existimas, mi Hippia, Deos iusta præscribere legi-
bus, an vero a iustis aliena? Nequaquam a iustis aliena, in-
quit. Non enim facile quis alius extra Deum iusta sancire
potest. Ergo etiam Diis, mi Hippia, placet idem & iustum
esse, & legitimum. Huiusmodi quędam quum & diceret, &
faceret, reddebat illos, qui conueniebant ipsum, iustiores.
Ceterum quo pacto familiares suos magis ad agendum i-
doneos efficiebat, nunc dicã. Nam quum existimaret, tem-
perantiam esse bonum ei, qui præclarum aliquid gesturus
esset: primum ipse ad familiares suos hominum omnium
se maxime exercitatum in hoc esse declarabat. Deinde dis-
serendo omnium maxime familiares suos ad temperantiã
impellebat. Itaq; semper & ipse meminerat illorũ, quæ ad
virtutẽ conducerent, & familiares suos omnes cõmonefa-
ciebat. Equidẽ scio ipsum aliquando ad Euthydemum de
temperantia quoq; huiusmodi quædã disseruisse. Dic mihi
Euthydeme, ait, num pulchrã & amplã tum viro tũ reipub.
possessionem esse putas libertatẽ? Maximam, inquit ille.
Qui ergo a voluptatib. quæ corpore percipiũtur, vincitur;
ac per eas, quę optima sunt, facere nequit: eũ ne tu hominẽ
esse liberũ putas? Minime, ait. Fortassis enim hoc tibi vide-
tur esse ingenuũ, facere nimirũ optima. Ergo quosdã habe- 809
re, qui vetẽt, quo minus agas talia, putas esse alienũ a liber-
tate? Omnib. sane modis, ait. Igitur intẽperãtes tibi modis
omnib. esse videntur illiberales? Videntur profecto, inquit, &
merito quidẽ. Vtrum vero videntur homines intẽperantes

tibi tantum impediri, quo minus longe pulcherrima perficiant, an etiam cogi ad designandum turpissima? Nihilo mihi minus, inquit, ad hæc cogi videntur, quam in illis impediri. At quosnam illos esse putas dominos, qui optima quidem impediunt, ad pessima vero cogunt? Longe pessimos, ait. Et quam esse pessimam seruitutē arbitraris? Eam, ait, quæ apud dominos pessimos seruiatur. Ergone homines intemperantes seruitutem pessimam seruiunt? Ita mihi videtur, inquit. An non etiam videtur tibi ab hominibus sapientiam, bonum longe maximum, arcere intemperantia, & in contrarium eos coniicere? Non videtur tibi prohibere, quo minus aliquis rebus ex vsu futuris animum adtendat, easque discat, dum pertrahit nos ad res voluptarias, ac sæpenumero bona malaq; sentientes percellens facit, vt loco melioris id, quod peius est, eligamus? Fit hoc, inquit. Ceterum prudentiam mi Euthydeme, cui minus conuenire dicemus, quam intemperanti? Nam prudētiæ ac intemperantiæ opera sibimet aduersantur. Id etiam fateor, ait. An autē putas aliquid esse, quod magis nos impediat, quo minus studiis rerum honestarū dediti simus, quam intemperantia? Minime, inquit. An quid homini putas esse nocentius, quam quod efficiat, vt noxia præferat vtilibus; ac illis quidem operam impendere, hæc vero negligere suadeat: deniq; cogat illis nos contraria facere, quę solent homines prudentes? Nihil, ait. Ergo temperantiam consentaneum est hominibus esse caussam contrariorum illis, ad quæ intemperantia nos impellit? Omnino, ait. Igitur etiam caussam hanc contrariorum consentaneum est optimam esse? Est sane, inquit. Ergo videtur, mi Euthydeme, temperantia quiddam esse homini optimum. Et merito quidem, ait, o Socrates. Illud autem, mi Euthydeme, num tibi ad animum aliquādo accidit? Qualenam id est? inquit. Quod ad ea, quæ iucūda sunt, ad quæ quidem sola nos perducere videtur intemperantia, minime nos illa possit deducere; sed quod ipsa temperantia longe maxima voluptatis sit caussa. Qui hoc? ait. Quoniam intemperantia non ferens, vt tolerentur fames, sitis, rei venereæ cupiditas, vi-
810 giliæ, (per quæ tātum suauiter comedere, bibere, venerem exercere possumus, itemq; suauiter quiescere ac dormire, exspectantes ac sustinentes, donec illa quam iucundissime fiant)

fiant) quo minus maxime necessariis & continuis voluptatibus egregie fruamur, impedit: temperãtia vero, dum sola facit, vt quæ diximus, toleremus; etiam sola voluptatem memoratu dignam excitat in iis, quę recensuimus. Omnino vera dicis, ait. Quinetiam ex disciplina rerum honestarum & egregiarum, & ex eorum studio, quibus aliquis recte corpus suum moderetur, ac familiã recte administret, & amicis patrięque prosit, & hostes superet, de quibus maximæ non vtilitates modo, sed etiam voluptates existunt, sane fructum percipiunt temperantes, dum ea faciunt; quũ intemperantes nullius horum participes fiant. Nam cui dicere possimus hæc minus conuenire, quam qui ea minime facit, occupatus quærendis voluptatibus maxime obuiis? Tum Euthydemus: Dicere mihi, ait, videris mi Socrates, omnino virtutem ad eum, qui a corporeis voluptatib. superetur, non pertinere. Nam quid interest, ait, mi Euthydeme, inter hominem intemperantem, & *rudissimam belluam? Nam qui non considerat optima, & omnino facere quærit ea, quæ iucundissima sunt, quid ille differt ab insipientissimis pecudibus? Soli temperantes res optimas considerare possunt, easque tum verbis tum reipsa secundum genera secernere; ac bonas quidem eligere, a malis autem abstinere. Atq; hoc modo dicebat viros præstantissimos ac felicissimos effici, maximeq; ad differendum idoneos. Aiebat etiam *διαλέγεσθαι ex eo dictum esse, quod conuenientes communiter consultent, dum res secundum genera *discernunt. Itaq; enitẽdum esse, vt ad hoc se quam paratissimum quisque reddat, eique rei maxime studeat. Nam ex eo fieri homines præstantissimos, & imperio dignissimos, & differendi peritissimos. Quo autem modo familiares suos etiam ratiocinando differendi peritiores effecerit, iam exponere conabor. Etenim putabat Socrates eos, qui scirent, quid essent res singulæ, posse aliis etiam eas explicare: qui vero nescirent, eos & falli, & alios quoq; secum in errorem abripere, non mirum esse dicebat. Ideoq; numquam suis cum familiaribus considerare desinebat, 811
quid res quælibet esset. Et quo quidem modo definiret omnia, operosum fuerit percensere. Quapropter illa, quæ rationem ac modum considerationis huius indicatura puto, dicam. Primum de pietate hoc modo considerabat. Dic

*al. intemperantissimam.

*al. differere.

*διαλέγουσι.

mihi, mi Euthydeme, quale quiddam eſſe putas pietatem? Et ille: Pulcherrimum profecto, ait. Poteſne igitur dicere, qualis ſit homo pius? Is, ait, eſſe mihi videtur pius, qui deos honore adficit. An autem licet eo modo deos honore adficere, quo quiſq; vult? Non, ſed leges quædam ſunt, ſecundũ quas id faciundum eſt. Ergo qui ſecundum leges illas facit, is ſcire poſſit, quo pacto dij ſint adficiendi honore? Sic arbitror, ait. Ergo qui deos honore nouit adficere, non aliter id faciundum putat, quã vti ſcit? Non aliter, inquit. An vero deos aliquis aliter adficit honore, quam vti putat adfici debere? Non arbitror. Ergo qui nouit ea, quæ legitima ſunt erga deos, is legitime deos honore adfecerit. Omnino, ait. Qui igitur legitime ipſos honore adficit, is ita honorat eos, vt fieri oportet? Cur non? Qui vero ſic, vt oportet, honorat, an pius eſt? Omnino, inquit. Ergo qui legitima nouit erga deos, eum recte pium definiuerimus. Ita mihi videtur, ait. An vero licet hominibus ſic vti, quemadmodum aliquis vult? Non, ſed apud hos etiam qui nouit legitima, ſecundum quæ debemus vti conſuetudine mutua, legitimus ſcilicet erit. Ergo qui hoc modo ſe gerunt erga ſe inuicem, illi hominibus vt decet vtuntur? Cur non? Num vero qui ſic eis vtuntur, vt oportet, recte vtuntur? Omnino, ait. Ergo qui recte vtũtur hominibus, illi etiam res humanas recte agunt? Ita vero conſentaneum eſt, inquit. Num igitur qui legibus parent, iuſta faciũt? Omnino, inquit. Scis autem qualianam iuſta dicantur? Quæ leges iubent, ait. Ergo qui faciunt a legib. præſcripta, tum iuſta faciunt, tum quæ fieri debent. Cur non? An vero iuſti ſunt, qui iuſta faciunt? Sic arbitror, inquit. Ergone putas legibus aliquos parere, qui neſciant, quæ leges iubent? Non puto, ait. At qui ſciant quid faciundum ſit, eoſne putas arbitrari, faciũdum id non eſſe? Non puto, inquit. An aliquos noſti, qui alia faciant, quam quæ fieri debere putant? Minime, inquit. Ergo qui ſciunt, quæ legitima ſunt erga homines, iuſta faciunt? Omnino, ait. Qui igitur iuſta faciunt, iuſti ſunt? Qui
812 tandem alij? ait. Ergo recte definiemus, ſi eos eſſe iuſtos definiuerimus, qui ſciunt, quæ legitima ſint erga homines? Sic mihi videtur, ait. Quid vero dicere poſſimus ſapiẽtiam eſſe? Reſponde mihi, vtrum tibi ſapientes in iis, quæ norũt, ſapientes eſſe videantur; an aliqui ſint in iis ſapientes, quæ neſciunt?

nesciunt? Nimirum in illis sapientes sunt, quæ sciunt. Nam qui possit aliquis esse sapiens in illis, quæ nescit? Num igitur illi, qui sapientes sunt, scientia sunt sapientes? Quanam alia re sapiens aliquis fuerit, si nō scientia? Num vero putas quiddam aliud esse sapiētiam, quam quo homines sapientes sunt? Non puto. Ergo sapientia est scientia? Ita mihi videtur, ait. Ergone tibi videtur, hominē res omnes scire posse? Immo nec partem profecto rerum aliquātulam. Homo igitur in omnibus nequit esse sapiens? Nequit. Ergo in eo quis est sapiēs, quod scit? Videtur, ait. Num & de bono, Euthydeme, sic quærendum erit? Quomodo? ait. Num idem tibi videtur omnibus esse vtile? Non. Quid? An quod vtile est alij, non tibi videtur esse nonnumquam alteri noxium? Omnino, ait. Num quid aliud potes dicere bonū esse, quā quod sit vtile? Non possum, inquit. Ergo quod est vtile, bonum est illi, cui vtile fuerit? Ita videtur. An vero quod pulchrum est, aliter adpellare possimus, quam vti dicimus aut pulchrum corpus, aut vas, aut aliud quiddam, quod scis esse ad omnia pulchrum? Non aliter profecto, inquit. Ergo ad quod vtile quidq; fuerit, ad id cuique pulchrum est eo vti? Omnino, ait. Num autem quæuis res ad aliud quiddā pulchra est, quam cuius vsui singula pulchre adplicantur? Ad nihil aliud, ait. Ergo quod est vtile, pulchrum est, ad quod vtile fuerit? Ita mihi videtur, inquit. An vero fortitudinem, mi Euthydeme, inter pulchra esse censes? Immo eam esse pulcherrimam arbitror. Ergo tu fortitudinem non ad minima vtilem esse statuis? Certe vtilē ad maxima existimo. Nū igitur tibi vtile esse ad terribilia & periculosa videtur, ea ipsa ignorare? Minime, inquit. Ergo qui eiusmodi non metuunt propterea, quod nesciant, quid sint, non sunt fortes? Non sunt profecto, ait. Nam ceteroqui multi homines insani & timidi fortes essent. Quid autem illi, qui non terribilia metuunt? Multo minus, inquit. Qui ergo boni sunt ad terribilia & periculosa, hos fortes esse putas; qui vero mali, timidos? Omnino, inquit. An vero putas ad talia 813
quosdam alios etiā bonos esse, quam qui eis vti recte possint? Non, ait, sed hos ipsos. Malos autē, qui his male vtantur? Et quos alios putem? inquit. Ergone vtuntur singuli, vt oportere se arbitrantur? Qui aliter? inquit. Sciuntne qui nō possunt recte vti, quo pacto vtendum sit? Nequaquam.

Igitur qui norunt vt sit vtendum, illi etiam possunt? Immò
soli possunt, ait. Quid? si qui non aberrauerunt ab eorum
vsu, num male his vtuntur? Non arbitror, inquit. Ergo qui
male vtuntur, aberrant? Consentaneum est, ait. Qui igitur
& terribilibus & periculosis recte vti sciunt, sunt fortes; qui
vero ab hoc aberrant, timidi sunt? Mihi quidem esse viden-
tur, inquit. Ceterum & regnum, & tyrannidem, vtrumque
iudicabat esse quidem ille imperium; verũ inter se differre
statuebat. Nam regnum esse putabat in homines volentes,
secundum ciuitatum leges, imperium; at in homines no-
lentes illegitimum imperium, quodque ex arbitrio prin-
cipis penderet, esse tyrannidem. Atque vbi magistratus ex
iis constituerentur, qui legibus consentanea perficiunt, eã
reipublicæ formam existimabat esse, in qua optimates do-
minarentur: vbi ex censibus, locupletum imperium: vbi ex
vniuersis, statum popularem. Quod si quis ipsi aliqua in re
aduersaretur, qui nihil certi, quod diceret, haberet; ac sine
demonstratione, vel sapientiorem esse prædicaret illum,
cuius ipse mentionem faceret, vel ciuilis administrationis
peritiorem, vel fortiorẽ, vel quid aliud eiusmodi: hoc quo-
dam modo orationem omnem ad rem propositam redu-
cebat: Tune ciuem esse meliorem ais, quem ipse prædicas,
an quem ego? Aio, inquit ille. Quid ergo? An non id pri-
mum considerabimus, quod boni ciuis sit officium? Facia-
mus id sane. Ergo in opum administratione potior illius e-
rit ratio, qui rempublicam opulẽtiorem reddit? Omnino,
ait. At in bello, qui rempublicam hostium victricem effi-
cit? Qui non? At in legatione, qui amicos ex hostibus effi-
cit? Ita fuerit sane. Ergo etiam in concionibus ad plebem,
qui seditiones compescuerit, & auctor concordiæ fuerit? I-
ta mihi videtur. Hoc modo quum sermo reduceretur, et-
iam illis ipsis, qui contradicebant, veritas elucescebat. Ce-
terum quum ipse aliquid enarrabat, per ea progredieba-
tur, quæ maxime essent in confesso; quod esse hanc ora-
814 tionis certitudinem arbitraretur. Itaque quum aliquid di-
cebat, longe omnium maxime ex iis, quos equidem noui,
auditores suos, vt aliquid faterentur, adducebat. Aiebat &
Homerum id Vlyssi propterea tribuisse, quod esset orator
cautus, quia per ea, quæ hominibus viderentur, orationes
suas deducere posset. Itaq; perspicuum esse de iis, quæ dixi-
mus, ar-

mus, arbitror; Socratem ad colloquentes secum sentētiam suam simpliciter protulisse. Iam quod etiam operam dederit, vt in agendis iis, quæ ipsis conuenirent, satis essent idonei, exponam. Etenim maxime Socrati omniū, quos equidem noui, curę erat, vt sciret, qua in re suorum familiarium quisque peritus esset. Quæ vero virum honestum & egregium scire conueniret, eorum nihil non, quod quidem esset ipsi cognitum, longe cupidissime docebat. Sin esset aliqua in re minus ipse peritus, ad peritos eos deducebat. Prętereа docebat, quousq; hominem recte institutum cuiusq; rei peritum esse conueniat. Primum geometriam eo vsque discendam aiebat, donec quis posset, si vsus ita ferret, terrā vel recta metiendi ratione accipere, vel tradere, vel distribuere, vel opus designare. Atq; hoc tam posse disci facile, vt qui animum ad dimensionem aduertat, is & scire possit, quanta sit ipsa terra, & cognita metiendi ratione discedat. Verum in geometria discenda progressum ad descriptiones vsque intellectu difficiles, improbabat. Nec enim, quid eæ res vsus haberent, videre se dicebat, licet illarum minime rudis esset: posse vero aiebat ęas omnem hominis vitam absumere, ac ab aliis multis vtilibusque disciplinis auocare. Hortabatur etiam, vt in astrorum doctrina se exercerent eo vsque, donec & noctis, & mensis, & anni tempora cognoscere possent, tum itineris ac nauigationis caussa, tū excubiarum, aliarumq; rerum, quæcumq; vel per noctem, vel in mense, vel in anno geruntur; vt ad ea certis indiciis vti possent, quibus illorum, quæ commemorauimus, tempora dignoscerent. Atq; hæc aiebat disci facile ab iis posse, qui noctu feras venantur, & a nauium gubernatoribus, aliisque multis, quibus est curæ, vt hæc sciant. At vero in astronomia discenda eo progredi, donec & illa cognoscantur, quæ in eodem non sunt ambitu, & errantia vagaq; sidera, & ipsorum a terra interualla, & circuitus, eorumque caussas inquirendo diu se macerare; id vero ne facerent, vehementer dehortabatur. Quippe nec in his quidem vllam se vtilitatem videre dicebat, quamquam eorum rudis non esset; atq; etiam addebat, etiam hæc absumere posse vitam hominis, & a multis ac vtilibus eum arcere. Deniq; in vniuersum dehortabatur, ne quis studium & operam in res cęlestes impēderet, quo scilicet artificio Deus omnia molia-

tur. Nec enim illa posse ab hominib. inueniri putabat, nec
Diis eum rem facere gratam arbitrabatur, qui quę illi ma-
nifesta esse noluissent, inquireret. Addebat esse periculum,
ne qui rebus his sollicite peruestigãdis occuparetur, ad in-
saniam nihilo minus, quam Anaxagoras, redigeretur; qui
maxime fuisset elatus propterea, quod Deorum machinas
enarrasset. Nimirum ille, dum ait ignem ac solem idem es-
se, ignorabat ab hominib. ignem cerni facile posse, quum
solem aduersum intueri non possint: quodque illi, qui a so-
le collustrantur, colore reddantur nigriores, quum id ab i-
gne non fiat. Ignorabat etiam, quod nihil eorum, quæ ter-
ra nascuntur, absq; solis splendore possit augescere; quum
omnia, quæ ab igne calefiunt, pereant. Idem quum solem
esse lapidem ignitum diceret, etiam ignorabat lapidem,
qui sit in igne, neque lucere, neque diu perdurare: quum
sol per omne tempus splendidior rebus omnibus maneat.
Hortabatur etiam, vt numerandi rationem discerent, & in
hac perinde atque in aliis monebat, vt ab inani occupatio-
ne sibi cauerent: atque adeo tum ipse hanc eatenus perue-
stigabat, quatenus esset vtilis, tum vna cum familiaribus
perquirebat. Vehementer etiam familiares suos hortaba-
tur, vt valetudinis curam haberent; ac partim a peritis, quę
possent, discerent; partim singuli per omnem vitam sei-
psos obseruarent, quinam cibus, qui potus, qui labor eis
conduceret, & quo pacto his vtendo quam optima valetu-
dine frui possent. Nam si quis ita sui rationem haberet, dif-
ficile aiebat esse, vt medicum aliquis inueniret, qui ad va-
letudinem conducentia * magis ipso diiudicaret. Si quis
maiora, quam pro sapientia humana, vellet adsequi; ei da-
bat hoc consilij, vt diuinationi operam daret. Etenim aie-
bat eum, qui sciret, quibus indiciis Dij hominibus aliquid
significent, numquam a consilio diuino destitui posse.
816 Quod si quis propterea, quod a numine dicens sibi de-
nuntiari, quæ facienda, quæ omittenda essent, a iudicibus
morte multatus sit, existimat ipsum mendacij de numine
conuictum fuisse: primum velim cõsideret, Socratem tum
eo ætatis prouectum fuisse, vt si non id temporis, certe nõ
multo post vitam cum morte commutaturus fuerit: dein-
de, quod partem vitę molestissimam, & qua in omnibus fit
mentis quædam imminutio, reiecerit; ac illius loco de-
monstrata

*facilius, meliusq; quam ipse. Æ.P.

monstrata fortitudine animi gloriam consequutus sit, quum quidem caussam suam supra mortales ceteros longe verissime, ac inprimis ingenue, iustissimeque dixisset, & condemnationem ad mortem mitissime, maximeque viriliter tulisset. Est enim in confesso, neminem hominum vmquam, de quibus nos acceperimus, mortem pertulisse præclarius. Nam cogebatur a condemnatione dies adhuc xxx viuere, quod in illum mensem Delia incidissent, ac lex vetaret, quemquã publice prius interfici, * quã Theororum cœtus ex insula Delo rediisset. Hoc toto tempore familiaribus ipsius vniuersis compertum fuit, nihil eum de viuendi ratione pristina immutasse. Atqui maximæ admirationi fuerat supra ceteros superiorũ temporum mortales vniuersos, quod magna cum animi tranquillitate facilitateque viueret. Qui possit aliquis honestius, quam hoc modo mori? quæ mors esse possit pulchrior, quam quæ ab aliquo pulcherrime obitur? quæ mors possit esse felicior, quam quæ pulcherrima sit? quæ Diis acceptior, quam felicissima? Commemorabo etiam illa, quæ ex Hermogene, Hipponici filio, de ipso accepi. Nam aiebat se, posteaquam Melitus Socratem accusasset, atq; is quiduis potius, quam quæ ad caussam pertinerẽt, diceret; monuisse, considerandum ipsi esse, quidnam sui defendendi caussa proferre vellet. Ad ea primum respondisse Socratem: An non tibi videor in hac meditatione vitam omnem consumsisse? Illo vero quærente, Quo pacto? dixisse Socratem: Nihil aliud perpetuo se egisse, quam quod, quæ iusta, quæque iniusta essent, considerasset: ac iusta quidem egisset, ab iniustis autem abstinuisset; quam sane meditationem purgandi sui pulcherrimam duceret. Tum rursus Hermogenem subiecisse: Nõ autem vides, mi Socrates, iudices Athenis multos interfecisse, qui nihil iniuste perpetrassent, dumtaxat oratione offensos; & ex aduerso multos scelerũ reos absoluisse? At profecto, respondisse Socratem, quum modo conarer, mi Hermogenes, meditari defensionem ad iudices, numen aduersatum est mihi. Tum dixisse Hermogenem: Mira sane refers. Ad ea Socratem: Tune vero miraris, subiecisse, Deo videri potius esse, hoc me tẽpore viuendi finem facere? An nescis me ad hoc vsq; tempus nemini hominum concessisse, quod vel melius, vel iucundius me vixisset?

* De his Plutarch. in Camillo, Demetrio, alibi.

817

Nam optime quidē arbitror illos viuere, qui maxime dant operam, vt quam optimi fiant: iucundissime vero, qui maxime fieri se meliores sentiunt. Quæ sane hactenus euenire mihi animaduerti, ac partim alios homines conueniēs, partim meipsum ad alios collatum inspiciens, sic de me semper statui. Neque tantum ego, sed amici etiam mei de me constanter ita iudicant: non illi quidem propterea, quod me ament, quando qui alios amant, ita suos in amicos adfecti esse solent: sed quod seipsos etiam ex consuetu-

ἐπιδώσειν. Æ.P. dine mea quam optimos existimēt euadere. Quod si diutius viuam, fortasse necessarium erit ea confiteri, quæ in senectutem cadunt, & me minus audire, minus cernere, minus intelligentia valere, ineptiorem ad discendum reddi, magisque obliuiosum, in iis deniq; deteriorem, in quibus antehac præstiterim. Atqui si hæc aliquis non sentiat, non est cur optet viuere: sin quis sentiat, qui fieri potest, vt non & peius, & iniucundius viuat? Enimuero si interficiat iniuste, turpitudo ea in auctores mortis meę redundabit. Nam si turpis est iniuria, quomodo non turpe sit aliquid iniuste facere, quidquid tamdem id fuerit? Qui vero mihi esse turpe possit, quod alij de me iuste cognoscere nequeant, neq; se iuste erga me gerere? Video vero superiorum tēporum homines, qui vel iniuste se gesserunt, vel iniurias passi sunt, non eamdem posteris opinionem de se reliquisse. Studia quoque hominum, tametsi iam neci tradar, erga me futura scio plane alia, quam erga interfectores meos. Semper enim testimonio mihi futuros scio, quod nullum vmquam hominum lęserim, neq; deteriorem reddiderim; sed potius operam perpetuo dederim, vt familiares meos meliores efficerem. Huiusmodi tum ad Hermogenem a So-

818 crate, tum ad alios dicta fuerunt. Quotquot autem ex iis, qui virtutis studiosi sunt, nouere Socratem, etiam nunc eū maximo desiderio exoptant, vt qui ad virtutis studium vtilissimus fuerit. Mihi quidē, quum talis esset, qualem commemoraui, nimirum adeo religiosus, vt sine Deûm consilio nihil ageret; adeo iustus, vt nemine ne quidem exigua in re noceret, prodesset autem iis maxime, qui eo vterentur; adeo temperans, vt numquam id, quod iucundius esset, meliori anteponeret; adeo prudens vt in melioribus ac peioribus diiudicandis non erraret, neq; alterius ad hoc o-

pera

pera egeret, sed ipse sibi ad cognitionem horum sufficeret, & oratione proferre ac definire huiusmodi posset, atq; etiam alios explorare, delinquentes arguere, ad virtutem ac honestatem hortari: eiusmodi vir esse visus est, qualis esse possit optimus & felicissimus. Quod si hoc alicui non probatur, velim comparatis aliorum ad hæc moribus, ita deinde iudicium faciat.

LIB. V.

Argumentum.

1. *Oeconomia sitne alicuius scientiæ nomen.* 2. *Oeconomi munus.* 3. *Domus, & domicilium an idem sit.* 4. *Possessionis appellatione quid intelligendum.* 5. *Pecuniæ, & facultates quæ dicantur.* 6. *Rerum vtilitas ex vsu spectanda.* 7. *Fœdas voluptates quæ mala comitentur.* 8. *Diuites quinam sint censendi, qui vero pauperes.* 9. *Rerum imperitia, & negligentia quantorum damnorum causa.* 10. *Ordo rebus in omnibus cur accurate seruandus.* 11. *Boni patrisfamilias munus, si rem facere, factam augere, tueriquè velit.* 12. *Bonæ matrisfamilias officium.* 13. *Artes sordidæ cur infames habeātur, ac apud plerasq; ciuitates nullo sint in pretio.* 14. *Quænam artes habeantur nō solum pulchræ: sed etiam maxime necessariæ.* 15. *Quomodo Rex Persarum suos in officio contineat. Quibus artibus idem eos operam dare cogat. Quibus præmiis diligentes, & fidos homines ornet. Quibus pœnis negligentes, ac infidos multet.* 16. *Cyri iunioris encomium.* 17. *Agriculturæ præstantia.* 18. *Terra quanto cum fœnore beneficium suis cultoribus reddat.* 19. *Cur agricultura, cæterarum artium mater, & nutrix appelletur.* 20. *Dei potentia, & prouidentia quam late pateat.* 21. *Boni, honestiq; viri nomen quibus tribuatur. Atque hac de re colloquium Socratis cum Ischomacho habitū, quod Ischomachus ab omnibus vir bonus, & honestus appellaretur, vt demonstretur cur hanc præclaram appellationem esset adeptus.* 22. *Quomodo maritus vxorem docere, quomodo vxor erga maritum, & domesticos se gerere debeat, ac vtriusq; munus.* 23. *Coniugij a Deo instituti causæ.* 24. *Quænam vtriq; coniugi opera vel domi, vel foris sint facienda.* 25. *Causæ.* 26. *Collatio bonæ matrisfamilias cum illa, quæ cæterarum apum est dux, vt ipsius officium indicetur.* 27. *Reperitur ordinis vtilitas, pulchritudo, necessitas.* 28. *Confusionis vituperatio.* 29. *Ædium ædificandarū ratio.* 30. *Promæ munus.* 31. *Patres, matresq; familias quātam*

rerum suarum curam gerere debeant, & cur. 32. Pudicas mulieres ab omni fuco abstinere debere, forma diuinitus data cōtentas. caussæ. 33. Quomodo fucus agnoscatur, ac deprehendatur in illis, qui fuco solent vti. 34. Bonæ matrisfamilias munus, & exercitia minime seruilia, & commoda, quæ hinc percipiuntur. 35. Paupertas non impedit quominus aliquis sit bonus, ac generosus. 36. Humana felicitas ex diuina beneuolentia & beneficentia pendet. 37. Quare pietas colenda, diuiniq; numinis auxilium perpetuis precibus implorandum, vt nostras cogitationes, dicta, actionesq; sancta sui spiritus vi regat, & ad felicem finem perducat. 38. Præcepta de valetudine secunda accurate tuenda. 39. Aliorum beneuolentia quanam ratione nobis conciliare possimus. 40. Diligētia quomodo doceri, disciq; possit. 41. Quinam, a quibus, & quomodo diligentes effici queant. 42. Obedientia quibus rationibus parari possit. 43. Boni, præmiis, mali, pœnis in officio continendi. 44. Honoris cupidus a lucri cupido quomodo differat. 45. Agriculturæ encomiū superiore maius repetitur. 46. Agriculturæ scientia quā facile parari possit. 47. Agriculturæ præcepta, quæ bonū agricolā tenere, ac diligenter obseruare oportet. 48. Agriculturæ partes ordine descriptæ. 49. Caussæ cur non omnes ex agricultura fructus, quos optant, percipiant. 50. Diligentiæ encomium. Negligentiæ vituperatio. 51. Terra, prout vel bene, vel male culta fuerit, hominum studia, diligentiam, aut negligentiam facile prodit. 52. Incultos, quam cultos agros cur emere præstet. 53. Boni, maliq; ducis discrimen.

Alterum eiusdem libri breuius argumentum.

In hoc libro docetur quid sit œconomia, quid œconomus, quid domus, quid domicilium, quid pecunia, quid possessio. Coniugij diuinitus instituti, caussæ demonstrantur. Boni patris, matrisq; familias officium, & partes fuse recensentur. De paupertate, de diuitiis, & horum caussis verba fiunt. Item de bonorum, ac malorum in officio continendorum diuersa ratione. De diuina prouidentia, & potentia. Agriculturæ præcepta, commoda, & præstātia pluribus declaratur. Boni, malique ducis discrimen indicatur. Pietas, obedientia, diligentia, cæteræq; virtutes hinc pendentes laudantur, & vitia his contraria vituperantur. Virtutis, vitiiq; præmia nobis proponuntur,

ponuntur, vt pro virili vitia quidem fugiamus, virtutes vero sectemur.

XENOPHONTIS MEMORABILIVM LIBER QVINTVS, SIVE DE ADMINIstratione domestica.



VDIVI etiam Socratem aliquãdo de administratione rei familiaris huiusmodi quædam disserẽtem. Dic mihi, mi Critobule, inquit, est ne rei familiaris administratio sciẽtiæ alicuius nomen, vt ars medendi, vt ęrariorum, vt fabrilis? Mihi quidem esse videtur, ait Critobulus. An etiã vt de his artib. singulis dicere possumus, quod sit opus cuiusq;, sic etiam quod domesticæ administrationis opus sit, indicare possimus? Videtur ei⁹, ait Critobulus, qui rationẽ administrãdæ rei domesticæ bene teneat, opus esse, domũ suã recte * colere. An non etiã alterius domũ, inquit Socrates, si quis hanc ei cõmittat, & velit ipse, recte colere perinde possit, vt suam? Nam qui artem fabrilẽ tenet, etiam alij possit elaborare, quod sibi; idemq; de administrationis familiaris perito dici potest. Ita mihi mi Socrates, inquit, videtur. Ergone peritus aliquis artis huius, etiamsi facultates ipse nullas habeat, domum alterius administrando, perinde vt ędificando, pro mercede operam suam locare potest? Ita certe, ait Critobulus: adeoq; mercedem amplam accipere potest, si domum sibi traditam perficiendo, qua parte sic poscit vsus, vbere rerum augere copia queat. Et quid tibi videtur esse domus? num idem quod domicilium, an vero etiam illa omnia, quæ extra ædes suas quis possidet, domus adpellatione veniũt? Mihi sic videtur, ait Critobulus, omnia domo comprehendi, quæ possidet aliquis, etiamsi non sint in eadem ciuitate, in qua possessor. An non etiam hostes aliqui habent? Etiam multos profecto nonnulli, ait. Num igitur etiam hostes in bonis eorum esse dicemus? Ridiculum fuerit, inquit Critobulus, si quis hostes augendo, præterea mercedem eo nomine accipiat.

Interpretatio perquam accurata.

** regere administrare. Æ. P.*

At nobis videbatur, idem esse domum alicuius, & possessionem. Quidquid scilicet, ait Critobulus, boni quis possidet. Nec enim ego quod malum est, possessionem & facultates adpello. Videris ea facultates adpellare, quæ cuique sint vsui. Omnino, ait. Nam quæ nocent, magis esse detrimentum arbitror, quam facultates. At si quis equũ emens, vti eo nesciat, sed ab eo delapsus damnum accipiat, non facultates ei sunt hic equus? Non, siquidẽ facultates esse bonum aliquid necesse est. Ergo ne solum quidem ei facultates sunt, qui suo cum detrimento solum colit. Itidem solum esse facultates nego, si, quum debeat alere; vt esuriamus, efficit. Ergo idem de ouibus statuendum, si quis propterea, quod ouibus vti nesciat, damnum accipiat, ne oues quidẽ ei facultates esse? Mihi sane non videntur esse, inquit. Ergo tu, quemadmodum videtur, ea quæ vtilitatem habent, facultates esse ducis: quæ vero noceant, minime. Sic est. Eadem igitur illi, qui vsum eorũ teneat, facultates sunt: eumdem ignoranti, nõ sunt facultates. Quemadmodum tibiæ illi, qui canere tibiis egregie norit, facultates sunt: qui vero nesciat, nihilo magis, quam inutilia saxa, nisi eas vendiderit.
820 rit. Rursus scilicet videntur nobis tibiæ, si quidem vendantur, facultates esse: si non vendantur, sed retineantur ab illis, qui vsum earum ignorant, haudquaquam. Sane consentanea ratione, mi Socrates, nostra progreditur oratio, quando dictum est ea, quę vtilia sint, facultates esse. Nam si tibiæ non vendantur, non sunt facultates, quippe quæ nullam ad rem vtiles sint: venditæ vero, sunt facultates. Ad quę Socrates: si quidem, ait, etiam vendere quis sciat. Si vero vendat ei, qui vti nequeat; ne venditæ quidem facultates sunt, vti tu ais. Videris dicere, mi Socrates, ne argentũ quidem esse facultates, nisi quis vti eo norit. Tu quoq; mecum fateri videris, eas res facultates esse, de quibus vtilitatem aliquis capere possit Ergo si quis argento sic vtatur, vt verbi gratia, scortum emat, propter quod minus bene adfecto sit corpore atq; animo, & domus etiam peius administretur, quo pacto possit huic argentum esse vsui? Nequaquam, nisi si & * hyoscyamum, quam vocant herbam, inter facultates quis recenseat, qua qui vescuntur, * apud sese non sunt. Argentum quidem certe, mi Critobule, nisi quis vti eo norit, adeo procul amoueatur, vt nec in bonis habeatur. Quid vero

fabam suillam. *insani, dementes, mente perculsi sunt.* ÆP.

vero amicos esse dicemus, si quis ita sciat eis vti, vt fructum aliquem ex ipsis percipiat? Facultates profecto, ait Critobulus, ac multo quidem magis, quam boues; si quidem vtilitates maiores adferant, quam boues. Ergo etiam hostes, tua quidem sentẽtia, facultates sunt ei, qui capere fructum aliquem ex hostibus potest. Ita mihi quidem videtur, inquit. Est igitur boni administratoris rei domesticæ, hostibus etiam vti scire, quo fructum ex ipsis capiat. Maxime vero. Nam vides certe, mi Critobule, quot priuatorum hominum domus bello auctæ sint, quot a tyrannis. Sed enim hæc, mi Socrates, præclare mihi dici videntur, inquit Critobulus: illud autem quam speciem habet, quod nonnullos videmus scientia quidem illos ac facultatibus instructos, quibus faciendo quæstum augere domos possent; verum id eos facere nolle animaduertimus, ac propterea scientias ipsis vsui nulli esse cernimus? Num quid est aliud, quam his scientias illas neq; facultates esse, neq; possessiones? De seruis, mi Critobule, disserere instituis? Minime 821
vero, ait, sed sunt nonnulli, qui valde videntur esse bono loco nati, quorum alios video rerum bellicarum, alios pacis artium peritos esse, quas tamen exercere nolint eam ipsam ob caussam, mea quidem sententia, quod dominos nõ habeant. Qui dominis carere possint, ait Socrates, quum felicitatem adipisci cupientes, eaq; gerere, de quibus capere fructus vtiles possint, in hoc conatu ab illis impediantur, qui eis imperant? Et quinam illi sunt, ait Critobulus, qui quamquam non cernantur, eis tamẽ imperant? Immo, inquit Socrates, obscuri non sunt, sed conspici manifesto possunt. Ac improbissimos quidem esse, ne te quidem latet, siquidem ignauiam, & mollitiem animi, & negligentiam esse putas improbitatem. Sunt & aliæ fraudulentæ quædã dominæ, quæ se pro voluptatibus venditant, aleæ lusus, & inutiles hominum inter se conuersationes, quæ temporis progressu manifesto deprehendunt etiam illi, qui decepti sunt, dolores esse implicatos vndiq; voluptatibus. Atq; hæ potestatem in ipsos nanctę, ab operibus vtilibus impediendo auocant. At enim alij, subiecit Socrates, ab his non impediuntur, quo minus quæstum faciant, sed ad eum faciundum excogitandosq; prouentus vehementer incitati sunt. Nihilominus & rem familiarem adterunt, & rerum

inopia conflictantur. Nimirum & illi serui sunt, ait Socrates, ac per profecto molestos habent dominos, alij luxum, alij libidines, alij temulētiam, alij stultas quasdam & sumtuosas ambitiones, quæ quidem adeo grauiter in eos homines, quos occupauerint, imperium exercēt: vt quamdiu cernunt eos adhuc vegetos esse, quæstumque facere posse, quidquid lucri fecerint ad se deferre cogant, ac suas in cupiditates impēdere. Verum posteaquam animaduerterint eos propter senectutem nihil amplius comparare posse, relinquunt eos misere senectutem exacturos, atq; aliis vti seruis instituunt. Oportet autem, mi Critobule, non minus de libertate aduersus hęc dimicare, quam aduersus eos, qui armati nos in seruitutem redigere conantur. Etenim hostes virtute præstantes quum in seruitutem aliquos redigunt, castigando multos meliores fieri cogunt, atq; etiam efficiunt, vt* facilius deinceps viuāt. At huiusmodi dominę corpora hominum, & animos, & rem familiarē fœde perdere non desinunt, donec imperium in eos consequantur. Secundum hæc Critobulus huiusmodi quædam dicebat: Ego vero de his satis audiisse mihi videor abs te dicta, & ipse meipsum explorans, in huiusmodi rebus egregie mihi videor meimet esse compos. Itaq; si consilium mihi dederis, quo pacto rem domesticam augere possim, non existimo futurum, vt illæ me dominæ, quas ita tu vocas, impediant. Tu quidem confidenter impertire mihi consilium bonum, quodcumq; tamdem habes. An vero satis esse nos, mi Socrates, ab opibus instructos putas, nec facultatibus aliis egere? Equidem, ait Socrates, si de me quoque loquaris, nullis indigere præterea me opibus puto, sed satis esse locupletem. Tu vero, mi Critobule, valde mihi pauper esse videris, ac profecto nonnumquam valde tui me miseret. Tum ridens Critobulus: Quæso te per deos immortales, inquit, quantum te de tuis facultatibus venditis redemturum, quantum me existimas? Arbitror ego, ait Socrates, si emtor mihi bonus contingat, facile me de cunctis facultatibus meis, cum domo, minas quinque coacturum. De tuis vero sat scio redemturum te centies plura. Itane vero, quum hoc scias, tibi nullis opus esse opibus censes, mei autem ob paupertatē te miseret? Nimirū mea, inquit, abunde

mihi

[Margin notes: Voluptates dominæ sunt. 822 — * trāquillius. Æ. P. — Opes Socratis]

mihi suppeditare possunt ea, quæ mihi sufficiãt: ad eam vero speciem, qua tu indutus es, & tuam ad existimationem, ne si triplo quidem plura tibi accederẽt iis, quæ modo possides, satis tibi fore puto. Quinam istuc? ait Critobulus. Et Socrates hoc declarans: Primum, inquit, video tibi necessitatem impositam, vt multa & ampla sacrificia instituas: ceteroqui nec deos nec homines te laturos. Deinde necesse est hospites multos domo tua excipias, eosque magnifice. Præterea ciues multi cœnis excipiendi tibi sunt, ac beneficiis demulcendi, nisi ab opitulatoribus destitui velis. Animaduerto etiam a ciuitate nostra nunc quoque magnas expensas imperari tibi, nimirum vt equos alas, vt choros exhibeas, vt gymnasiis præsis, vt patrocinia suscipias: & 823
bellum si oriatur, tantos illam sumtus imperaturam tibi scio triremium in præfecturis, tantasq; collationes, quantis tu non facile subsistes. Quod si non ita gerere videberis aliquid vti debebat geri: sat scio, non minus Athenienses te multaturos, quam si te in peculatu deprehendissent. Præter hæc video te hanc de temetipso concepisse opinionem, quod diues sis, & negligenter in excogitandis parandæ pecuniæ rationibus versari, & amoribus ita esse occupatum, atque si id tibi liceret. Quas ob caussas miseret me tui, ne quod insanabile malum accidat tibi, & magnam ad inopiã redigaris. Ac mihi quidem, etiamsi aliquid etiam deesset, scio habere te perspectum, esse qui suppeditare possint tantum, vt modicis admodum sumministratis, abundantia quadam victus mei rationem inundent. Tui vero amici, quum rerum te copia superent, nihilominus ad te respiciunt, quasi abs te nonnihil vtilitatis exspectantes. Tum Critobulus: Non possum, inquit, his aduersari, mi Socrates. Ceterum tempus est, vt mihi patronus fias, ne reabse miserabilis euadam. Quæ quum audiisset Socrates: An non mirum est, inquit, hoc te aduersus temetipsum committere, mi Critobule, quod quum paullo ante me diuitem memetipsum prædicantem irriseris, quasi qui* nesciret, quid sint diuitiæ, neque prius destiteris, quam me conuicisses, & ad fatendum adegisses, ne centesimam quidem partem tuarum me facultatum possidere: nunc me patronum tibi expetas, vtque dem operam hortegis, ne vere pauper omnino fias? Nimirum te video mi

*fortasse melius, qui nescirem. Æ.P.

Socrates, inquit, vnũ hoc opus intelligere, quod ad parandas diuitias pertinet, qui rerum copiam efficere possis. Itaque illum, qui de exiguis aliquam copiam parare possit, spero de multis facillime magnam effecturum abundantiam. Non autem tu meministi, te modo in eo, quem habuimus sermone, quum ne hiscendi quidem potestatẽ mihi concederes, dicere; non equos illi facultates esse, qui vti eis nesciret, nec solum, nec oues, nec argentum, nec quidquam aliud, quo quis vti nesciret. Sunt autem fructus aliqui ex huiusmodi rebus. Et quo pacto me putas horum aliquo vti scire, quum ab initio nihil eorum habuerim? At enim videbatur nobis, etiamsi quis facultates nullas haberet, tamen esse in ipso administrationis domesticæ scien-
824 tiam posse. Quid igitur obstat, quo minus tu quoque hanc teneas? Hoc ipsum, ait, quod etiam impedire potest, quo minus tibia quis norit canere, si videlicet neq; tibias vmquam ipse habuerit, neq; alius ei concesserit suas, vt in eis artem disceret. Eadem in administratione domestica mea est ratio. Nam opes, quæ instrumenta sunt, numquam habui, quibus eam discerem: neq; sua mihi alius quispiam administranda tradidit, extra te vnum, qui tua tradere mihi vis. Enimuero qui primum cithara canere discũt, etiam lyras ipsas corrumpunt. Atq; equidem si tua in domo rei familiaris administrationem discere instituerem, fortassis illam plane corrumperem. Ad ea Critobulus: Studiose mi Socrates, inquit, elabi velle videris, ne mihi quid adiumenti adferas, vt rerum necessariarũ onera facilius feram. Minime profecto, ait Socrates, sed valde lubens exponam tibi, quæ scio. Arbitror autem te, si ignis petendi caussa venires ad me, atq; illo equidem carerem: non reprehensurum si alio te ducerem, vnde petere posses. Itidem si te aquam a me poscente, apud me illa non esset, alio te ad eam quoque ducerem; sat scio * ne id quidem te iniquo laturum animo. Itidem Musicam discere a me volenti si longe me peritiores Musicæ commonstrarem, atq; etiam tibi gratiam habituros, quod ab eis hanc discere cuperes; quid esset, quod in hoc meo instituto posses culpare? Nihil quidem merito, mi Socrates. Quamobrem ego tibi, Critobule, ostendam alios eorum, quæ tu discere studiose cupis ex me, longe peritiores. Fateor autem curæ mihi fuisse, vt quinam rerum hae

*ne hoc quidem te mihi vitio versurum. vel, in me reprehẽsurum. Æ. P.

hac in ciuitate quarumcumque peritiſſimi ſint, cognoſce-
rem. Nam quum aliquando animaduerterem, iiſdem ope-
ribus faciundis alios quidem inopes admodum eſſe, alios
opulentos: fuit ea res mihi admirationi, adeoq; digna viſa,
de qua, quid eſſet, diſpiceretur. Itaq; conſiderans ipſe me-
cum reperi, per illa conuenienter fieri. Nam qui agerent
ea temere, ſuo cum damno factitare videbam: at qui con-
tento animo curam adhiberent, eos tum celerius faciliuſ-
que, tum maiori cum lucro ſua facere animaduertebam.
A quibus te quoq; arbitror, ſi velis, & ſi Deus non aduerſe-
tur, diſcere poſſe; vt rei faciundæ peritiſſimus fias. Ea quum
Critobulus audiiſſet: Nunc ego te mi Socrates, ait, nõ miſ-
ſum faciam prius, quã mihi quod pollicitus es horum in a- 825
micorum præſentia, demonſtres. Quid ergo mi Critobu-
le, ſubiecit Socrates, ſi demonſtrabo tibi primum quoſdam
ędes inutiles ingenti pecunia, quoſdam longe minore do-
mos eiuſmodi exſtruere, quæ ab omnibus inſtructæ ſint; a
quibus eſſe debent; an non videbor tibi vnum aliquod o-
pus ex iis, quæ ad domeſticam admiſtrationem pertinent,
oſtendere? Omnino, ait Critobulus. Quid autem, ſi, quod
conſequens huius eſt, deinceps commonſtrem tibi? nimi-
rum quoſdam, qui ſupellectilem multam ac variam poſſi-
deant, nec ea, quum opus eſt, vti poſſe, neq; ſcire, an omnia
ſint eis integra, eaſq; ob cauſſas magna moleſtia tũ ſe, tum
familiam adficere: quoſdã vero, qui non his ampliorẽ, ſed
tenuiorem etiam poſſideant, ad vſum omnia parata habe-
re, quum eis opus eſt. Quæ vero cauſſa ſit alia, mi Socrates,
niſi quod illis quidem fortuito proiecta ſingula, his ordine
collocata iacẽt? Ita profecto eſt, ait Socrates. Immo ne for-
tuito quidem in loco, ſed eo diſtributa ſingula ſunt, quo ſi-
ta eſſe par erat. Videris mihi hoc quoque proferre, ſubiecit
Critobulus, vnũ ex iis, quæ ad rem domeſticam pertinent.
Quid autem, ſi & famulos demonſtrem tibi iſtic quidem
vinctos, vt ita dicam, ac nihilominus frequenter aufugien-
tes; heic vero ſolutos, non tamen inuite vel laborantes, vel
manentes, an non illud etiam opus conſideratu dignum in
adminiſtratione domeſtica tibi oſtendere videbor? Maxi-
me quidem certe, ait Critobulus. Quid ſi diuerſos cõſimili
ratione colentes agrum, quorum alij ſe per agriculturam
perditos dicant, & inopes ſint; alij abunde commodeq; o-

mnia necessaria ex eadem agricultura habeant? Ita est, in-
quit Critobulus. Nam fortassis impensas faciunt non in ea
modo, in quæ fieri par est; sed etiam in alia, quæ tum ipsis,
tum familiæ damnum adferant. Sunt fortasse nonnulli ta-
les, ait Socrates, verum ego nõ de his loquor: sed de iis, qui
quum agriculturam exercere se fateantur, non tamen ne
quidem in res necessarias sumtum facere possunt. Et quæ-
nam, inquit, eius rei fuerit caussa, mi Socrates? Deducam
ego te, ait Socrates, ad hos quoque: tu eos contemplatus,
rem animaduertes. Profecto si quidem possim, inquit. Ne-
cesse est igitur periculum tui contemplando facias, an in-
telligere possis. Memini vero te ad spectandos comœdia-
rum actores admodum aliquando mane surrexisse, ac val-
826 de longam viam confecisse, mihique auctorem fuisse, vt v-
na tecum spectator esse non recusarem. Verum ad rem
quamdam huiusmodi numquam me es cohortatus. Ergo-
ne tibi, mi Socrates, ridiculus esse videor? Immo tibimet
profecto multo magis ridiculus. Quid autem, si tibi quos-
dam commonstrem, qui ex re equestri ad rerum necessa-
riarum inopiam redacti sint; itemque alios qui per eam-
dem rem equestrem magnam rerum copiam parauerint,
atque de hoc lucro mirificam voluptatem capiant? Eos ve-
ro ipse quoq; video, & vtrosq; noui, quamquam nihilo sim
magis eorum in numero, qui lucrum faciunt. Nimirum sic
eos spectas, vt tragœdiarum & comœdiarum actores, non
illos quidem, mea sententia, vt poeta fias: sed vt videndo
atque audiendo nonnihil, voluptatem capias. Ac fortassis
id quidem recte. Nec enim poeta vis fieri. Quum autem
necessario rem equestrem tractare cogaris, non te stul-
tum existimas esse, si non consideres, quo pacto ea in re
minime rudis sis, præsertim quum eadem heic ad vsum
commoda sint, & ad vendendum fructuosa? Pullos equo-
rum domare me iubes Socrates? Nihilo magis, ait, quam
emere quos a pueris ad colendum agrum præpares. Sed
quædam mihi tam equorum, quam hominum ætates
esse videntur, quæ statim vtiles sint, & in melius profi-
ciant. Possum etiam commonstrare quosdam, qui nu-
ptas sibi vxores ita tractant, vt earum adiumento rem fa-
miliarem augeant: alios, vt damna maxima accipiant. Hac
etiam in parte, mi Socrates, virone, an vxori tribuenda cul-
pa est?

pa est?

pa est? Si pecus, ait Socrates, male adfectum sit, plerumque pastorem accusamus: si equus lædat aliquem, plerumque crimen in equitem confertur. Vxor a marito si recte instituta male se gerit, merito culpam ipsa sustinet: at si vir ea, quæ honesta & laudabilia sunt, non docuerit illam, atq; ita horum ignara vtatur, an nō in virum merito ea culpa conferri debeat? Omnino mi Critobule, inquit, (sumus enim amici, quotquot heic adsumus) verum nobis dicito. Est ne aliquis alius, cui plus rerum seriarum committas, quam vxori? Nemini, ait. Est ne vero quispiam, cum quo minus colloquare, quam cum illa? Si minus, inquit, cum nemine; saltim cum non multis. An vero eam puellam admodum duxisti, aut saltim quæ, quam fieri potuit, minime multa tum vidisset, tum audiuisset? Maxime. Multo igitur magis mirum erit, si, quid dicendum faciundumve sit, sciat; quam si peccet. Quibus autem bonas tu dicis vxores esse, mi Socrates, num illi eas sic instituerunt? Nihil vetat, id a nobis considerari. Atque equidem etiam Aspasiæ te commendabo, quæ multo peritius hæc omnia tibi ostendet. Existimo autem vxorem, quæ in domo bona sit socia, tantumdem habere momenti ad vtriusque vtilitatem, quantum vir habeat. Nam plerumque viri opera facultates in domum veniunt, & maxima pars earum vxore promente consumitur. Quæ quidem si recte fiant, amplificantur domus: sin autem, deminuuntur. Arbitror autem me posse tibi aliarum etiam artium opifices, qui singulas egregie faciant, commonstrare; siquidem id desideres. Et Critobulus: Quid vero necesse sit, ait, mi Socrates, vniuersas ostendere? Nec enim facile possunt parari, qui artes omnes recte exerceant, nec illarum peritus aliquis fieri potest. Saltim mihi velim ostendas tum quæ pulcherrimæ videantur, ac me decere maxime, si operam in eis ponam, tum eos, qui has exerceant. Quinetiam ipse aliquid adiumenti, si potes, ad hoc mihi docendo adfert. Recte dicis, ait, mi Critobule. Nam quæ artes infimæ notæ sunt, & adpellantur sordidæ, infames sunt, & merito in ciuitatibus non magni fiunt. Etenim corpora illorum, qui vel eas exercent, vel curant, corrumpunt: dum sedere illos cogunt, & in vmbra viuere, totosque dies in nonnullarum operis ad ignem esse. Iam si cor-

827

pora effœminētur, etiam animi longe debiliores reddun-
tur. Eædem illiberales artes tantas habent occupationes,
vt amicis & reipublicæ dari opera non possit. Quo fit, vt e-
iusmodi homines nec amicorum vsui videantur esse com-
modi, nec tueri patriam possint. Etiam nonnullis in vrbi-
bus, maxime quæ bellis occupantur, ne quidem licet cui-
quam ciuium sordidas hasce artes exercere. Nobis vero,
Socrates, quibus vtendum esse consulis? Ne nos pudeat, in-
quit, Persarum regem imitari. Nam illum aiūt, quod agri-
culturam, & bellicæ rei artem, pulcherrimas & maxime
228 necessarias existimet, vtramq; maximo studio colere. Qui-
bus auditis Critobulus: Tune vero, mi Socrates, inquit,
Persarum regem inter alia agriculturæ operam aliquam
dare credis? Si hoc modo, ait Socrates, rem consideraueri-
mus, fortassis intelligemus, Critobule, num inter alia et-
iam agriculturæ det operam. Etenim rerū bellicarum ma-
xime studiosum esse fatemur idcirco, quod in omnibus na-
tionibus, quæ tributum ei pendunt, constitutum sit cuique
prætori, quot equites, sagittarij, funditores, scutati stipen-
diis ali debeant; qui ad continendum in officio subiectos
ipsius imperio sufficiant, & si hostes inuadant ipsius regnū,
tueri illud possint. Præter hos, alit in arcibus præsidiarios,
& annonam dat præsidiariis istis præfectus is, cui datum
est hoc negotij: rex autem in annos singulos & stipendia-
rios & alios lustrat, quibus iniunctum est, vt sint in armis;
omnesq; in vnum cogit, exceptis iis, qui arces custodiunt,
ad eum locum, quo cōuentus indicitur. Qui vicini sunt lo-
cis iis, in quibus degit, eos ipse inspicit: ad eos autem, qui
procul habitāt, fidos quosdam homines mittit, qui eos in-
spiciant. Ac magistri quidem præsidiorum, & tribuni, & sa-
trapæ, qui numerum constitutum habere se integrum pa-
tam ostendunt, militesque bonis equis & armis instructos
exhibent: a rege honoribus augentur, & ingentibus donis
collocupletantur. Quos vero prætores vel negligere præ-
sidiorum magistros, vel quęstum suum facere compererit:
eos grauiter punit, ademtoque ipsis imperio, alios eorum
loco rerum suarum curatores constituit. Atq; hæc quia fa-
cit, haud dubie nobis aliquid bellicis in rebus studij pone-
re videtur. Præterea quantum regionis suæ peragrans ipse
inspicit, in eo etiam omnia ipse explorat; quātum vero ipse
non

non inspicit, id missis fidis hominibus inuisit. Et quos quidem prætores animaduertit egregie habitatam terram exhibere, solumq; cultum, & arboribus, pro cuiusque soli natura, fructibusq; plenum: eis alium etiam agrum adtribuit, & muneribus cohonestat, & locis in consessu honoratis ornat. Quorum vero terram incultam esse videt, ac a paucis habitatam, vel propter ipsorum asperitatem, vel petulantiam, vel negligentiam: iis multatis, & magistratu deiectis, alios eorum loco prætores constituit. Hæc dum facit, an tibi minus curare videtur, vt terra colatur ab incolis, quam vt à præsidiis recte custodiatur? Et sunt ei sane prætores ad vtrumque constituti, non iidem: sed alij præsunt incolis, & operas facientibus, deque his vectigalia colligunt, alij præsidiis armatis præsunt. Ac si quidem præsidij magister regionem non satis defenderit, incolarum prætor, & is, qui operum faciundorum curam gerit, accusat ipsum: quod ob negligentiam custodiæ exerceri opera nō possint. Sin præsidij magistro pacem operibus faciundis præstante, prætor regionem a paucis habitatam, & incultam exhibeat: vicissim ille a præsidij magistro accusatur. Nam fere illi, qui terram male colunt, neque præsidiarios alunt, neque tributa possunt pendere. Vbi vero satrapa constitutus est, is curam horum vtriusque habet. Secundum ea Critobulus: Quod si, mi Socrates, inquit, hæc facit rex; nihilo mihi videtur minus agriculturæ, quam operum rei bellicæ curam gerere. Præter hæc, ait Socrates, quascumque regiones incolit, & quocumque se confert, studiose dat operam, vt horti sint, quos paradisos vocant, omnibus referti, quæcumque pulchra & bona enasci de terra possunt. Atq; in his ipse magna ex parte versatur, quum anni tempus id fieri non prohibet. Profecto igitur, inquit Critobulus, curari necesse est illic, mi Socrates, vbi rex versatur, vt pulcherrime instructi sint paradisi tum arboribus, tum aliis rebus e terra nascentibus. Proditur etiam a nōnullis, mi Critobule, ait Socrates, quoties rex munera largiatur, primum eos arcessi ad ipsum, qui præclare se in bello gesserint; quod multū arare, nihil prosit, nisi sint, qui arantes defendant: deinde, qui regiones suas quam optimas præstant, & cultas reddunt. Etenim dicere regem, ne viuere quidē posse viros fortes, nisi sint, qui terram colant. Et Cyrum aiunt, maxima gloria regem, dixisse

aliquando ad eos, qui ad accipienda munera vocati essent: merito sibi vtraq; dona deberi. Nam se regionem optime posse instruere, & quæ iam instructa sint, defendere. Cyrus ergo, mi Socrates, subiecit Critobulus, si hoc dixit, non mi-
830 nus gloriabatur eo, quod regiones cultas efficere posset, atque instruere: quã quod rei militaris peritus esset. Ac profecto, subiecit Socrates, si vixisset Cyrus, longe præstantissimus in imperio futurus fuisse videtur. Eius rei quum alia fuerunt argumenta, tum illud etiam, quod quum de regno manum cum fratre conserturus proficisceretur, nullus ab ipso ad regem trãsiisse feratur: multis millibus hominum a rege ad ipsum deficientibus. Equidẽ magnũ esse argumentum virtutis in imperatore statuo, si homines eum iubẽter sequantur, ac manere apud ipsum in periculis velint. Cyro autem, dum viueret, & in prœlio amici aderãt, & quum interfectus esset, omnes circum mortuum pugnantes cũ ipso occubuerunt, extra vnum Ariæum, qui læuo in cornu collocatus fuerat. Atq; hic Cyrus perhibetur Lysandro, quũ a sociis dona ferens ad eum venisset, inter alias comitatis & beneuolentiæ significationes, quemadmodum aliquando Lysander ipse cuidam hospiti suo Megaris narrauit, etiam hortum, qui Sardibus est, ipsemet ostẽdisse. Hunc Lysander quum admiraretur ob arborum pulchritudinem, & quod *æqualiter essent omnia consita, quod ordines arborũ recti, quod angulis accurate factis ornata omnia, ꝙ odores multi ac suaues obambulantes ipsos comitarentur, hæc inquam ille quũ admiraretur: Equidem, ait, admiror horum omnium pulchritudinẽ, Cyre: multo tamen magis eum suspicio, qui singula tibi sic & dimẽsus est, & disposuit. Quæ vt Cyrus audiisset, delectatũ eis dixisse: Atqui omnia hæc, mi Lysander, ego dimensus sum ac disposui. Nonnulla sunt etiam, quæ ipsemet conseui. Tum Lysander se Cyrũ intuentem, conspecta vestium ipsius pulchritudine, & odore percepto, torquiũ deniq;, armillarumq; animaduersa elegantia, ceteriq; ornatus, quem habebat, dixisse commemorabat: Quid ais, Cyre? Tune manibus tuis aliquid horũ conseuisti? Respondisse vero Cyrum: Hoccine tibi admirationi est, mi Lysander? Mithren iuratus testor, numquam me, quum recte valeo, cibum capere prius, quam vel ex bellicis, vel rusticæ rei exercitiis, vel alia quapiam studiosa contentione

*pari intervallo. Æ.P.

tentione sudauerim. Atq; his auditis Lysander ipse aiebat, manum se Cyri comprehēdisse, ac dixisse: Iure mihi beatus 831
esse videris, Cyre. Nam simul & vir egregius, & fortunatus es. Hæc tibi ego commemoro, Critobule, inquit Socrates, vt scias, ne felicissimos quidē homines ab agricultura posse abstinere. Nam videtur eius studium simul & voluptatem quamdam habere, & rei familiaris amplificationem, & exercitationem corporum, vt ad ea perficienda robur habeant, quæ ingenuis hominibus conueniunt. Primum enim fert terra se colentibus ea, quę hominibus ad victum necessaria sunt: atq; etiam illa fert, de quibus voluptatem capiunt. Deinde suppeditat omnia suauissimis cum odoribus, & gratissima specie, quæcumque homines ad aras, & signa deorum, atq; etiam ad seipsos ornandos adhibent. Præterea multa obsonia partim producit, partim nutrit. Etenim ars pecuaria cum agricultura cōiuncta est. Quo fit vt multa suppetant, quibus sacrificandis tum placare deos, tum ipsimet vti possimus. Quumq; copiosissime bona suppeditat, non sinit ea cum mollitie capi, sed ad hyemis frigora, & æstatis calores tolerādos consuefacit. Eadē illos, qui manibus suis laborant, exercendo magis robustos efficit: alios vero, qui cura sua colunt agrum, strenuos reddit, dum mane ipsos excitat, acriterq; pergere cogit. Etenim & ruri, & in vrbe semper quouis anni tempore quędā actiones sunt opportunissimæ. Deinde siue quis eques opē ciuitati suæ ferre velit, agricultura maxime alēdo equo sufficit: siue pedes, acre corpus reddit. Etiam terra venationis ad studiū nonnihil adiumenti præstat, quod & per eam facile canes ali possint, & feræ nutriri. Et quia canes quoq; cum equis ex agricultura commodum aliquod percipiunt, vicissim & ipsi ruri prosunt: equus, dum mane portat rei rusticæ curatorem, ac sero redeundi potestatem facit: canes autem, dum feras abigunt, ne fructibus pecudibusve noceant, ac solitudini securitatem præstant. Incitat etiam terra nonnihil agricolas ad defendendum armis agrum, quum fructus in medio propositos educet, qui victori cedant. Et quæ tamdem ars homines magis ad currendum, ad iaculandum, ad saltandum idoneos reddit quam agricultura? quæ ars se exercentibus vice versa plura largitur? quænam sui studiosum suauius excipit, porrigens accedenti quod 832

ſumat ex animi arbitratu? quænam maiori cum rerum copia hoſpites excipit? Vbinam facilius copioſo igne, calidiſque lauacris per hiemem vti licet, quã ruri? Vbi quis aquarum, auræ, vmbrarumque cauſſa iucundius traducere poſſit æſtatem, quam ruri? Quænam ars alia primitias ſuppeditat diis rectius conuenientes, vel feſtos dies abundantiori cum copia rerum exhibet? quænam domeſticis gratior eſt, vxori iucundior, liberis optatior, erga amicos benignior? Mihi quidem mirum videatur, poſſe hominem ingenuum vel poſſeſſionem aliquam acceptiorem hac ducere, vel ſtudium aliquod hoc tum iucundius, tum ad vitam vtilius reperire. Præterea tellus, quæ quidem* dea eſt, iuſticiã quoq; docet illos, qui animaduertere poſſunt. Nam ſtudioſiſſime ſe colentibus maximam bonorum copiam viciſſim largitur. Quod ſi aliquando ij, qui in agricultura verſantur, & tum ad alacritatem, tum fortitudinem condocefacti ſunt, a magnis copiis hoſtium ab operis ſuis arceãtur: poſſunt certe, niſi Deus prohibeat, præſertim quum & animis & corporibus egregie inſtructi ſint, * inuaſis eorum finibus, a quibus impediuntur, quo minus operas ſuas faciant, indidem capere, vnde ſe alant. Ac ſæpe in bello etiam tutius eſt armis victum quærere, quam inſtrumentis ruſticis. Inſtituit etiam nos agricultura, vt mutuo noſmet iuuemus. Nã aduerſus hoſtes cũ hominũ copiis pergendũ eſt, & hominũ opera terra eſt colenda. Itaq; neceſſe eſt eũ, qui recte agriculturã exercere velit, operas ſuas ſic inſtruere; vt ſint alacres, & ad parendũ promtæ. Eadẽ moliatur oportet, qui copias aduerſus hoſtes ductur⁹ ſit, vt eos, qui faciũt, quod viros fortes decet, muneribus ornet; ac non recte atque ordine munus ſuum obeũtes plectat. Etiam neceſſe eſt agricolam non minus interdũ operas ſuas cohortando excitare, quam imperatorem milites. Neque ſeruis minus ſpe bona, quam ingenuis hominib. opus eſt: immo veró magis, vt manere velint. Etiam is recte dixit, qui agriculturam aliarum artiũ matrem & nutricem eſſe perhibuit. Nam quum agricultura proſpere ſuccedit, etiam artes ceteræ omnes vigent: at vbi terra neceſſitate aliqua inculta manet, etiam artes ceteræ fere terra marique extinguuntur. Quibus auditis Critobulus: Enimuero, inquit, hæc mihi dicere præclare videris,

*Lectio marginis altera.

*inuadentes in eorũ fines. Æ.P.

833

ris, mi Socrates. Sed plurima sunt in agricultura, quæ prouideri ab homine non possunt. Quippe nonnunquam grādines, pruinæ, æstus, imbres immensi, rubigines, alia, pulchre cogitata & elaborata tollunt. Etiam oues interdum educatas egregie morbus aliquis inuadens miserrime perimit. Quę quūm audiisset Socrates: Ego vero mi Critobule, ait, scire te arbitrabar, penes deos nihilo minus potestatem rusticis in operibus summam esse, quā in bellicis. Vides autem eos, opinor, qui re militari occupātur, ante bellicas actiones Deos placare, ac tum per sacrificia, tum auguria inquirere, quid faciundum, quid omittendum sit. Et in actionibus rei rusticæ minus tibi laborādum putas, vt deos propitios reddas? Omnino scire debes, homines, qui quidem sapiāt, humidorum & siccorum fructuū, boum, equorum, ouium, omnium denique fortunarum suarum caussa deos colere. Dicis tu præclare mi Socrates, ait, qui me iubeas operam dare, vt opus omne non sine diis ordiar: quippe quorum in potestate sint tam ea, quæ pace, quam quæ bello suscipiuntur. Itaque studebimus hęc ita facere. Tu vero nobis enitere istuc redeundo, vbi de administratione domestica dicere desiisti, quæ porro sequuntur absoluere. Videor enim mihi, posteaquam audiui abs te dicta, magis perspicere quid, vt comode viuam, faciundum sit. Quid igitur? ait Socrates, placetne vt redeamus ad illa, quæcumque sic percurrimus, vt de iis inter nos conueniret: quo, si fieri possit, ita deinde reliqua percurrere conemur, vt inter nos conueniat? Iucundum sane est, inquit Critobulus, quemadmodū solent ij, quibus pecuniæ communes sunt, eas sine controuersia percensere, sic etiam nos, qui sermones inter nos cōmunicamus, omnia percurrere, de quibus colloquimur, vt consentiamus. Visum est igitur nobis, inquit Socrates, administratio domestica nomen esse sciētiæ: atq; hæc ipsa scientia definiebatur ea esse, qua domos amplificare homines possint. Domus autem esse definiebatur idem, quod facultates vniuersæ. Facultates autē esse dicebamus id, quod cuique ad vitam sit vtile. Omnia vero vtilia esse reperiebamus, quibuscumq; vti aliquis sciret. Ac scientias quidem vniuersas non posse disci videbatur nobis, & itidem vt nonnullis ciuitatibus, artes improbandas esse, quæ sordidæ adpellentur; quod & corpora lædere videantur, & animos frangant.

Eius rei argumentum fore clarissimum dicimus, si hostibus agrum inuadentibus, agricolas aliquis & opifices diuersis locis constitutos, seorsum vtrosque interroget, vtrum esse defendenda regio videatur, an agro cedendum, ac deinde custodienda mœnia. Nam ea ratione futurum arbitramur, vt qui exercendo solo occupantur, defendendum esse agrum decernant: opifices autem, dimicandum non esse, sed prout ipsi instituuntur, desidendum; nullo neque labore, neque periculo adito. Comprobauimus etiam, agriculturam viro bono & honesto exercitationem & scientiam esse longe præstantissimam, qua homines necessariorum sibi copiam parent. Atque videbatur eadem disci facillime posse, ac summa cum voluptate exerceri, & corpora longe pulcherrima robustissimaq; efficere, animis denique negotij nihil exhibere, quo minus cura sua tum amicos, tum respublicas complectantur. Videbatur etiam agricultura nobis excitare animos ad fortitudinem, quod extra munitiones ad victũ necessaria producat, iisq; alat homines se exercentes. Itaq; rationem hãc vitæ ab vrbibus quoq; maximam mereri prædicationem, quippe quæ ciues præstantissimos, maximeque reipublicæ studiosos suppeditare videatur. Tum Critobulus: Pulcherrimum esse, mi Socrates, inquit, & optimũ, iucũdissimumque, victum sibi ex agricultura parare, satis esse mihi persuasum arbitror. Ceterum quod aiebas animaduertisse te, quæ caussæ sint, quamobrem alij sic agriculturam exerceant, vt ex ea percipiãt abunde omnia, quibus est ipsis opus, alij sic in ea laborent, vt nullo ipsis vsui sit: eas equidem lubenter auditurus ex te videor vtrasq;, vt quæ bona sunt faciamus, omissis iis, quæ cum detrimento sunt coniuncta. Quid igitur, ait Socrates, mi Critobule, si tibi a principio narrem, quo pacto conuenerim hominẽ aliquando quemdam, qui reabse mihi de illorum esse numero videbatur, * quibus merito nomen illud tribuitur, quo quis vir bonus & honestus adpellatur? Id equidem, ait Critobulus, vehemẽter audire velim, quippe qui & ipse dignus haberi eo nomine cupiam. Dicam igitur, inquit Socrates, quomodo ad

Cicero sic, auctore Prisciano: Qui apud nos hoc nomine dignantur.

835 inuisendum hominẽ illum accesserim. Nam ad bonorũ fabrûm, bonorum ærariorum, pictorum bonorum, itemque statuariorum, & huiusmodi aliorum opera, quæ præclara

iudicentur, obeũda ſpectandaq;, per mihi temporis exiguũ quiddã ſufficiebat. Verum vt cõſiderarem, quidnam agendo illi, qui nomen hoc boni & honeſti viri ſane pleni grauitatis obtinerent, hoc ipſo digni iudicarentur: vehemẽter animus meus aliquẽ ipſorum cõuenire cupiebat. Ac primo quidem, quod honeſti nomen ad bonũ adiiceretur: quemcumq; honeſta facie cernerem, eum adibam, ac dabã operam, vt intelligerẽ, anne videre poſſem alicubi bonũ cum honeſto cõiunctum. Verũ aliter ſe res habebat, quod nonnullos videbar animaduertere, forma quidem illos perquã honeſta præditos, ſed animis prauis. Itaq; viſum fuit, omiſſa vultus honeſta ſpecie, quemdam eorũ accedere, qui honeſti & boni adpellarentur. Quũ igitur audirem, Iſchomachum ab omnibus, viris, mulieribus, exteris, ciuibus, honeſtum ac bonum virũ nominari: viſum eſt operã mihi dandam, vt eum conuenirem. Ergo vbi aliquando cõſpexiſſem eum, in Iouis Liberalis porticu ſedentẽ; quod otioſum eſſe putarẽ, acceſſi, ac propter ipſum adſidẽs: Quid tu Iſchomache, dixi, deſides heic, qui non admodũ otiari conſueuiſti? Nam maxima ex parte vel agere te aliquid video, vel ſaltim otioſum in foro non verſari. Ne nunc quidẽ, ſubiecit Iſchomachus, me conſpiceres, Socrates, niſi ex conuento quoſdã heic hoſpites præſtolarer. At quum nihil eiuſmodi agis, inquam ego, quæſo per te deos, vbinam tempus teris, & quid facis? Nam quærere de te quiddam omnino cupio, quid agas ſcilicet, quod vir bonus & honeſtus adpelleris: quando domi tempus non teris, neque corporis tui habitus talis adparet. Tum Iſchomachus ad ea verba, *Quid agas, quod vir bonus & honeſtus adpelleris*, arridens, eiſque, vt mihi videbatur, delectatus: Equidem, ait, an me hoc nomine adpellent aliqui, quum tecum de me colloquuntur, neſcio. Non enim certe, quum me vocant ad compenſationem vel præfecturæ triremium, vel muneris choragi, quiſquam virum illum bonum & honeſtum quærit: ſed perſpicue me Iſchomachum, nomine patris, adpellatũ arceſſunt. Tu quidem, mi Socrates, quod de me quærebas, domi ego tempus non admodum tero. Nam ad res domeſticas adminiſtrandas vxor ipſa ſatis eſt idonea. Quin hoc quoq;, inquam ego, mi Iſchomache, perlubenter de te quærerem, num vxorem ipſe talem inſtituendo effeceris, qualem eſſe oportet, an a

Iſchomachi cũ Socrate colloquium.

836 *Hinc Ciceronis Oeconomicon è Xenophõte libri primi*

præcipua pars, dans præcepta matrifamilias, quæ domi agere debea: Sermius.

patre matreq; acceperis peritam earum rerum administrandarum, quæ ad ipsius officium pertinent. Et quid mi Socrates, inquit, scire poterat, quum eam ducerē, quæ necdum annos nata x v ad me venerit, ac superiore tempore magna cura adseruata vixerit vt quamminimum cerneret, quamminimum audiret, quam minimum sciscitaretur? An non autem boni consulendum tibi videtur, quod saltim venerit perita cōficiendi accepta lana vestem, ac animaduersa ratione pensi ancillis dandi? Nam quod gulam adtinet, hac in parte mi Socrates, recte admodum instituta venit: quæ quidem mihi disciplina tum in viro, tum fœmina videtur esse maxima. Ceterane, inquam ego, mi Ischomache, vxorem tuam instituendo ipse docuisti, vt curandis iis, quæ ad munus ipsius, pertinent, sufficiat? Non prius profecto, inquit Ischomachus, quam rem sacram fecissem, & precatus essem, vt quæ vtrique nostrum essent optima, tum ipse docerem, tum ex me illa disceret. Ergo, inquam ego, etiam vxor rem sacram tecum faciebat, & vna tecum hæc precabatur? Omnino, ait Ischomachus, & quidem multum diis testibus promittens, fore se talem, qualem esse oportet: nec obscurum erat, minimè in iis, quæ doceretur, negligētem futuram. * Quæso te per deos, inquam ego, mi Ischomache, narra mihi, quid eam primum docere ceperis. Nam iucundius id mihi fuerit ex te narrante audire, quam si vel gymnicum, vel equestre mihi certamen longe pulcherrimum narres. Et Ischomachus respondens; Quid vero, inquit, mi Socrates? posteaquam mansueta iam, & cicur fieret, ita vt colloqueremur: hoc quodam, inquit, modo ipsam interrogabam; Dic mihi, mea vxor, iamne animaduertisti, qua tandem de caussa tum ego te duxerim, tum tui parentes mihi te tradiderint? Non enim copiam nobis alterius nullā fuisse, qui cum cubaremus, te ipsam perspicere scio. Quum autem ego quidem de me, parentes vero tui de te consultaremus, quemnam consortem optimum domus & liberum caperemus: ego te delegi, & parentes tui me, quēadmodum videtur, ex iis, quos poterant. Quod si liberos Deus aliquando nobis dederit, tum de illis consultabimus, quo pacto eos quā optime possimus instituere. Nā & illud bonum vtrique nostrum erit commune, vt & socios, & eos, qui nos in senectute alant, longe optimos consequamur. Nunc

Cicero sic: Quid igitur, pro Deūm immortalū, priū eam docebas, quæso.

837

Nunc domus hæc nobis communis est. Nam & ego cuncta, quæ mea sunt, in medium exhibeo: & tu quæcumque adtulisti, omnia in commune deposuisti. Neq; iam eius habenda est ratio vter nostrum numero plura contulerit: sed sciendum est, eum res maioris pretii conferre, qui se hac in societate rectius gesserit. Ad ea, mi Socrates, vxor mihi respondebat: In quonam ego tibi esse adiumento possim? quæ mea facultas est? In te omnia sita sunt. Mei muneris esse mater aiebat, vt frugi sim. Profecto, inquam ego, mea vxor etiam hoc meum esse dicebat pater. Verum frugi hominum munus est, siue quis vir sit, siue mulier, ita se gerere vt & facultates, quæ adsunt, optimo sint loco, & aliȩ quamplurimȩ honestis iustisq; rationibus accedant. Et quidnam tu vides, inquit vxor, quo efficiundo possim ego tecum domum nostram augere? Enitere profecto, inquam, vt illa quā optime efficias, quæ a natura tibi dij tribuerūt, vt posses, & quæ lex comprobat. Ea vero quid sunt? ait illa. Meo quidem iudicio, inquam ego, non minimi momenti, nisi etiam apum illa dux in alueari minimi momenti operibus præesse iussa est. Nam mihi, dixisse se aiebat, videntur dij, mea vxor, maxima cōsideratione par hoc cōiunxisse, quod mas & femina vocatur, vt ad societatē mutuā plurimū sibi cōduceret. Primū enim, ne animantū genera deficerent, par hoc coniūctū liberos procreat. Deinde facultas hominib. cōceditur, vt ex hac coniūctione adquirerē sibi possint eos, qui senes alant. Præterea non sub dio iumentorū instar homines viuunt, sed tectis scilicet indigent. Quamobrem necesse est ij, qui consequi volunt, quod sub tectum importent, habeant aliquos, qui operas obeundas sub dio suscipiant. Nā & aruorum renouatio, seminū sparsio, & consitio, & pascēdi opera eiusmodi sunt, quæ omnia sub dio curentur: & ex eis necessaria comparantur. Requiritur autem, posteaquā hæc intra tectum illata fuerint, eius etiam opera, qui hæc seruet; & qui ea conficiat opera, quæ non nisi sub tectis fieri possunt. Requirit vero tecta liberum recens natorum e- 838
ducatio puerilis, & cibi ex illata segete confectio tecta requirit: ac similiter etiam vestis ex lanis elaboratio. Et quoniam hæc vtraque tum interiora, tum externa, labores & curam requirunt: idcirco etiam Deus, dixisse se perhibebat, statim naturam præparauit feminæ quidē, ad opera & cu-

rationes interiores: viri autem, ad opera & curationes externas. Nam viri corpus & animum sic condidit, vt magis & frigora, & calores, & itinera, & expeditiones militares tolerare posset. quo factum, vt opera illi externa iniungeret. Mulieri vero quia minus ad hæc firmum corpus a natura largitus esset, idcirco illi opera interiora, dixisse se aiebat, mandasse mihi Deus videtur. Et quia sciebat, quod & a natura indidisset, & mandasset fœminæ, vt ea recens natos liberos educaret: idcirco maiorem etiam amorem erga modo natos liberos ei, quam viro tribuit. Quia item illata custodiendi curam mãdauit fœminę, idcirco Deus, qui sciret animum timidum ad custodiam minime deteriorem esse, maiorem etiam metus partẽ fœminæ, quã viro impertiuit. Quod sciret opus esse defensione, si quis opera foris facientem lædat, rursus huic audaciæ plus tribuit. Quod vtrosque tum expendere, tum recipere necesse sit; idcirco memoriam & diligentiam vtrisque in medium posuit. Itaque non facile possis discernere, vtrum fœmineum, an virile genus hac in parte excellat. Etiã Deus in medio posuit ambobus abstinentiam a rebus iis, a quib. abstinendum est; & potestatem eis fecit, vter foret melior, siue vir, siue mulier, is vt huius boni partem maiorem consequeretur. Quia vero natura vtriusque non esset ad hæc omnia recte cõparata, * idcirco etiam alter alteri⁹ magis indiget, fitq; par hoc sibi ipsi vtilius, quũ alterius in potestate sint ea, quibus alterum destituitur. Hæc, dicebam ad eam, quum sciamus, mea vxor, nimirum quæ vtrique nostrum a Deo sint imperata: enixe operam dare debemus, vt vterque nostrum ea, quæ sui officij ratio postulat, quam rectissime præstemus. Etiam lex, dixisse se aiebat, hæc adprobat, marem ac fœminam copulans. atque vti Deus liberum societatis inter ipsos auctor est, ita lex domus societatem eis instituit. Præterea lex ea pulchra esse demonstrat, quæ naturæ Deus indidit, vt præstare possit vterque rectius. Est enim fœminæ pulchrius, intra ædes eam se continere, quam foris agere: viro autem turpius, intus manere, quam res exteras curare. Quod si quis aliud agit, quam quod ipsius naturæ Deus indidit: fortassis occultũ esse Deo non potest, ordinem ab ipso perturbari, adeoq; pœnas dat, siue quis opera sibi conuenientia negligit, siue muliebria facit.

Cicero: Idcirco alterum alterius indigere voluit, quoniã quod alteri deest, præsto plerumq; est alteri.

839

facit. Ac mihi quidem videtur, inquam, etiam apis illa, quæ ceterarum dux est, sibi diuinitus præscripta constanter elaborare. Quænam vero, ait hæc apum illa dux opera tractat, illis actionibus consimilia, quæ mihi conueniunt? Quod illa, inquam, in alueari manens otiosas esse apes non patitur: sed quas foris laborare oportet, eas ad opus emittit, ac quidquid adtulerint singulę, nouit & accipit, tamque diu seruat, donec eo sit vtendum. Id vero tempus vbi iam adest, iustam cuique partem tribuit. Præest etiam fauis, qui intus texuntur, vti recte celeriterq; texantur: & fœtus, qui nascitur, educandi curam habet. Is posteaquam educatus est, iamq; operi faciundo idoneæ sunt apiculæ; coloniã ex eis deducit, adiuncta ipsis quadam quasi nepotum duce. Num igitur me quoq;, ait vxor, hæc facere necesse erit? Erit, inquã ego, necesse domi vt maneas ac emittere famulos, quibus foris est laborandum: quib. autem intus faciundũ opus, eis præesse debes; & quæ inferuntur, recipere. Præterea distribuẽdum erit tibi, quidquid eorum expendendum est: queq; superare debebunt, de iis prudenter prospiciendum tibi erit, & cauendum, ne sumtus in annũ reconditus vno mense absumatur. Quum lanæ in domum illatæ fuerint, adhibenda cura, vt vestes illis parentur, quib. confici debent. Curãdum item, vt frumentum aridum idoneum ad vescendum fiat. Vna, inquam, curatio ex iis, quæ tui sunt muneris, fortassis ingratior esse videbitur; quod famulorũ omnium cura tibi suscipienda erit, vt si quis ex iis ægrotet, curetur. Illud profecto, ait vxor, longe gratissimum fuerit, si quidem curati gratiam habituri sint, animoque erga me magis beneuolo futuri, quam prius. Quam ipsius respõsionem, aiebat Ischomachus, admiratus equidem: An non, inquam, mea vxor, propterea quod apum illa dux in alueari sic earum cõmodis prospicit, ea est vicissim aliarum apũ erga hãc adfectio:
vt alueum si deserat, nulla se abesse putet ab illa debere, sed 840
omnes sequantur? Tũ illa mihi respondens: Mihi vero mirũ videatur, ait, nõ potius ad te ducis officiũ pertinere, quã ad me. Nã mea rerum, quæ intus sunt, custodia & distributio, ridiculam speciem habuerit; ni tu curã adhibeas, vt extrinsecus aliquid inferatur. Mea quoque, inquam ego, ridicula videbitur illatio, nisi sit, qui illata seruet. Non vides, inquã, quo pacto illorum homines miserari cõsueuerunt, qui

pertusum in dolium aliquid haurire dicuntur, idque propterea, quod laborare frustra putentur? Video certe, ait vxor, ac sunt sane miseri, si hoc faciunt. Sunt & aliæ, inquam ego, curationes proprie tuæ, mea vxor, futuræ nõ iniucundæ: vt quum imperitam lanificij nancta, peritam efficies, atque ea tibi deinde duplo pluris erit: quum imperitã condendi promendique, & ministrandi nancta, talem efficies, quæ & horũ perita, & fida, & in ministrando prompta, quantiuis tibi sit pretij: quum tibi modestos, ac domui tuæ vtiles adficere beneficio licebit, ac si quis improbus esse videatur, punies. Quod deniq; omniũ iucundissimum est, quum me esse melior videberis, meque famulum tuum effeceris, neque verendum tibi sit, vt ne ætate procedente minus in domo tibi honoris exhibeatur: sed persuasum habueris, te ætate prouectiori tanto maiore futuram in honore, quanto tum mihi consors, tum liberis custos domus melior exstiteris. Nam honestorum egregiorumq; dignitas nõ propter elegantiam formæ, sed propter virtutes in vita mortalium incrementa sumunt. Huiusmodi quædam me, mi Socrates, primum cum ipsa colloquutum esse, meminisse videor. Tum ego: An etiam intellexisti, inquam, nonnihil ex his eam commotam ad diligentiam? Intellexi profecto, inquit Ischomachus, atq; etiam memini, quum valde morderetur & erubesceret propterea, quod me quiddam eorum poscente, quæ a me illata fuerant, dare id non posset. Quod ego quum eam grauiter & ægre tulisse vidissem: Ne sit hoc, inquam, animo tuo molestum, mea mulier, quod dare non potes id, quod ego nunc forte abs te posco. Nam certa paupertas est, quum alicuius indigeas, vti eo non posse. Verum minus est in hac penuria molestiæ, quũ quid inueniri quærendo non potest, quam si ab initio non quæras; non ignorans scilicet, illud abesse. Enimuero hæc ad te culpa nõ per-
841 tinet, sed ad me; qui non omnia tibi tradiderim designato singulis loco, quo ea collocari deberent, vt tu scires, vbi ea
„ reponenda, & vnde rursus essent promẽda. Nihil est autem,
„ mea vxor, in rebus humanis vel vtilius, vel pulchrius ordi-
„ ne. Nam & chorus ex hominibus constat. Verum vbi quisque quod temere visum est, facit; turbæ cuiusdam species se exhibet, ac spectatu quiddam iniucũdum. At quum omnia recte atque ordine proferunt & agunt, eadem opera faciũt,

vt & ſpectatu, & auditu digni eſſe videantur. Iridem exercitus, inquam, mea vxor, dum necdum in ordines digeſtus eſt, longe quiddam eſt turbulentiſſimum; ac hoſtium quidem victoriæ maxime expoſitum, ſuis autem ſpectatu fœdiſſimum, & ad vſum minime accommodatum: vbi ſimul ſunt, aſinus, grauis armaturæ pedes, lixa, veles, eques, plauſtrum. Nam quo pacto progredi poterunt, ſi quidem in hac perturbatione mutuo ſeſe impedient, gradatim incedens, currentem; currens, ſtantem; plauſtrum, equitem; aſinus, plauſtrum; lixa, grauis armaturæ peditem? Quod ſi etiam dimicandum ſit, quomodo tali omnium perturbatione dimicare poſſint? Nam qui neceſſario inuadentibus terga dare coguntur, illi dum fugiunt, proterere milites etiā armatos poſſunt. At inſtructa recte acies quiddā eſt ſuis ſpectatu pulcherrimum, hoſtibus vero grauiſſimum. Nam cui ſuorum non volupe ſit multos videre grauis armaturæ pedites inſtructis ordinibus incedentes? quis non admiretur equites, qui ordines inter equitandum obſeruent? quis hoſtium metu non percellatur, ſi recte diſpoſitos grauis armaturæ pedites, equites, cetratos, ſagittarios, funditores viderit, eoſdemque ſuos imperatores compoſite ſequentes? Immo etiamſi multa millia ſint, tamen quamdiu ſic incedunt, vt ordines ſeruent, pergunt omnes placide non aliter, atque ſinguli progrediuntur, ſuccedentib. ſemper vacuum in locum illis, qui a tergo ſunt. Etiam triremis hominibus onuſta quam aliam ob cauſſam vel hoſtibus eſt terrori, vel amicis iucunda ſpectatu, niſi ob nauigationem celerem? Quam aliam ob cauſſam moleſti ſibi mutuo non ſunt vectores, niſi quod ordine ſedeant, ordine propendendo in remos incumbant, ordine ſe retro flectant, ordine tum ingrediantur, tum egrediantur? Ordinis autem perturbatio quiddam mihi ſimile videtur eſſe, ac ſi agricola eodem loco coniiciat hordeum, triticum, legumina. Deinde ſi vel offa, vel pane, vel obſonio ſit opus, neceſſe ſit eum ſingula 842
ſeligere pro eo, quod iam ſecreta ſumere ad vſum debebat. Itaque tu etiam, mea vxor, vt hoc modo te conturbari neceſſe non ſit, & vt ſtudeas ſcire adminiſtrandi facultates noſtras rationem, ac ſine difficultate ſumas id, quo vtendū ſit, mihique ſi quid popoſcero ſic tradas, vt gratam mihi rem facias: inquiramus ſane locum ſinguliſ conuenientem, eoq;

posita re quauis moneamus ancillã, vt inde sumat, ac rursus ibidem collocet. Ita nimirum sciemus, quæ nobis supersint, quæ sint amissa. Nam locus ipse quod abest, requiret: quodq; curandũ erit, adspect⁹ ipse arguet: deniq; quod sciamus, vbi quodq; sit, id ipsum singula nobis exhibebit, vt ad vsum nihil desideraturi sim⁹. Atq; equidẽ, mi Socrates, pulcherrimũ aliquando, longeq; accuratissimũ instrumentorum ordinẽ inspicere mihi visus sum, quũ spectandi caussa ingentem illã nauim Punicam ingressus essem. Armamẽta namq; plurima separatim collocata exiguo in receptaculo contẽplabar. Etenim nauis multis ligneis & intortis instrumentis in portũ deducitur, ac vicissim soluit: multorũ adiumento, quę pensilia vocant, impellitur: multis machinamẽtis aduersus hostiles naues armatur: multa etiã hominũ arma vehit: omnia vasa, quib. in domo vtuntur homines, pro quolibet vna victitantiũ contubernio vehit: deniq; præter hæc omnia referta est oneribus, quæ nauiculator quæstus caussa secũ vehit. Atq; hæc omnia, quę dico, non multo ampliori loco sita erant, quam sit conclaue decẽ lectulorũ mediocriter capax. Animaduerti autem sic omnia fuisse condita, vt nihil alteri esset impedimento, neq; vestigatore egeret, nec imparatũ esset, nec solutu difficile, quo morã adferret, vbi subito esset aliquo vtendum. Ministrum autem gubernatoris, quẽ proretam in naui vocant, ita cuiusq; loci gnarũ reperi: vt vel absens dicere posset, vbi singula sita essent, & quã essent multa; non minus atq; is, qui litteras norit, quot in Socratis nomine litteræ sint dicere possit, & vbi singulæ sunt collocatę. Eumdẽ etiam vidi, ait Ischomachus, per otiũ omnia lustrantẽ, quib. vtendũ in naui esset. Quumque hanc eius inspectionẽ admiratus essem, quærerem quid ageret? Respondebat ille: Inspicio, mi hospes, si forte quid accidat, quo pacto sita sint omnia in naui, ac nũ quid absit, vel inconcinne collocatũ sit. Nec enim vbi tempestatẽ De-
843 us in mari excitat, spatij quidquã reliquũ est vel inquirendi, quocumq; tamdem opus sit, vel tradendi, quod inconditè collocatum sit. Nã minis terrere De⁹ & punire stolidos homines solet, ac si quidẽ illos, qui nihil perperam agunt, saltim non perdit, bene cum eis agitur. Quod si etiam rectissime omnia administrantes seruat, magna Dijs habenda est gratia. Quamobrem quum collocationem ego tam accu-

ratam

ratam inspexissem, dicebam vxori, admodum in nobis stolidum fore, si isti in nauigiis, quæ exigua sunt, loca tamē inuenirent; magnis tempestatib. iactati, nihilominus ordinē seruarēt; ingenti metu perculsi, nihilominus ea, quæ sumere necesse sit, reperirent: nos quum cellas habeamus in ędibus amplas, easq; singillatim distinctas, & in ædium pauimento sitas, non singulis aptum & inuentu facilem locum reperire: quonā modo nō magna sit istæc inscitia? Dictum hactenus, quam vtile sit ordine collocatā esse vasorum supellectilem, quamq; sit facile singulis inuenire locū, quo in ædib. reponātur. Quā vero pulchra species est calceamēta, qualiacumq; sint, ordine collocata esse: pulchrū, vestimenta seorsum condita videre, qualiacumq; sint: pulchrū, idem in stragulis, in vasis æreis, in iis, quæ ad mensam pertinent: pulchrum etiam, licet maxime ridiculum sit non homini graui, sed faceto, quod illas quoq; concinnitatis quamdam habere speciem, si distincte collocatæ sint, aiunt. Iam cetera quoq; deinceps pulchriorem speciem exhibent, decēter reposita. Nā singula quidē quasi chorus vasorum esse vidētur. Quin etiā quod medio loco est interiectum, pulchrū est, remotis inde ceteris; quemadmodum chorus circularis non ipse modo pulchrum spectaculum est, sed etiam id, quod in eius est medio, pulchrum purumq; cernitur. An autē hæc a me vere dicantur, licet mea vxor, inquā, periculū faciamus nullo cum nostro neq; detrimento, neq; labore magno. Ne hoc quidē, inquam molestū animo nostro esse debet, vxor, quod sit difficile reperire aliquē, qui loca cognosceredi scat, & meminerit singula suo loco reponere. Scimus enim, hac ciuitate decies millies amplius cōtineri, quam apud nos: & nihilominus, quēcumq; famulorum iusseris e foro emtum aliquid adferre, nemo dubitabit; sed quemuis scire adparebit quo ire debeat, atq; vnde singula petere. Cuius rei nulla est alia caussa, inquam ego, quam quod certo sita loco sint. At si hominem quęras, qui quidem nonnumquam vicissim & ipse te quærat; sæpenumero citius re desperata desines, 844
quam ipsum inuenias. Atq; eius etiam alia nulla caussa est, quam quod constitutum non sit, vbi quemque exspectare oporteat. Ac de ordine quidem vasorum, ac vsu, cum ea me huiusmodi quædam colloquutum esse meminisse videor. Quid autem? num vxor, inquā ego, mi Ischomache, visa ti-

bi est adtendere iis, quæ tu docere cupiebas? Quid aliud,
quam quod policeretur, diligentiam se adhibituram, ac præ
se ferret, quasi maximam voluptatem caperet, vti quæ ma-
gna ex inopia insignem copiam rerum inuenisset? Etiam
me rogabat, vti quamprimum eo, quem explicassem, mo-
do singula ordine disponerem. Et qui tandem mi Ischo-
mache, inquam ego, disposuisti? Qui aliter, quam quod in-
itio ipsi ostendendum arbitrarer, quæ domus esset nostræ
commoditas? Nec enim variis ea picturis est ornata, mi
Socrates, sed omnes cellæ tali consideratione sunt exstru-
ctæ, vt quam commodissima sint iis receptacula, quæ in eis
collocanda sunt. Itaque tunc ipsæmet sibi conuenientiā ve-
lut arcessebant. Nā penetralia loco sita munito, vestes stra-
gulas vasaq; maximi pretij sibi deposcebant: quæ vero par-
tes ædificij siccæ sunt, frumentum; quæ frigidæ, vinum; quę
plena lucis, opera & vasa maxime lumen requirentia. Præ-
terea demonstrabam ei loca hominum vsui & habitationi
destinata, eaq; perpulchre ornata, vt per æstatem essent fri-
gida, per hiemem calida. Adeoq; domū vniuersam ei com-
monstrabam, meridiem versus apertam: de quo obscurum
esse non posset, hieme illam sat habere solis, æstate vmbra-
rum. Et gynæcei fores per balneum a virorum cōtubernio
secretas ei ostēdebam, ne vel foras aliquid efferretur, quod
non deberet; vel famuli absque consensu nostro liberis o-
peram darēt. Nam qui probi sunt, posteaquam liberos pro-
crearunt, plerumq; sunt beneuolentiores: peruersi vero in-
ter se copulati, ad malefaciendum fiunt instructiores. Po-
steaquam hæc percurrissemus, inquit, ita deinde supelle-
ctilem per classes distinximus. Ordiebamur autē primū a
colligendis iis, quib. ad rē sacram vtimur. Secundū id mun-
dum muliebrem, qui feriis conueniret, distinguebamus: i-
temq; vestes viriles tam festorū, quā belli: stragula in gyn-
æceo, stragula virorū in contubernio: calceamenta mulie-
bria, calceamenta virilia. Classis alia armorum, alia instru-
mentorum lanificij, alia necessariorū ad molendū frumen-
345 tum, alia ad conficienda obsonia, alia ad lauationem, alia
vasis pistoriis, alia ad mensas. Atq; hæc omnia locis distin-
ximus, tum quibus semper vtēdum est, tū quæ ad epulatio-
nes festas pertinēt. Seorsum etiā ab aliis auferebamus, quæ
menstruo spatio absumerentur; & seorsum, quæ rationib.
subdu-

ſubductis in annũ eſſent deſtinata, collocabamus. Sic enim minus obſcurũ eſt, qui futurus ſit exitus. Poſteaquã ſuppellectilẽ vniuerſam in claſſes ſecreuimus, ad cõuenientia loca ſingula detulimus. Deinde vaſa omnia, quibuſcumque cottidie famuli vtuntur, verbi gratia, quibus cibi conficiũtur, quibus obſonia, quæ ad lanificium pertinent, & ſi qua ſunt eiuſmodi, tradidimus iis, qui vti his deberent, cõmonſtrato loco vbi ea reponerent: ſimul imperauimus, vt ea nobis integra præſtarent. Quib. autem ad feſtos dies, vel ad hoſpites excipiendos, vel ad negotia quædã rara vtimur, ea tradidimus promæ, lociſq; horũ indicatis, & adnumeratis conſignatiſq; ſingulis; iuſſimus, vt quiduis horũ ei daret, cui dandum eſſet, & cuinam quid daret, memoria cõplecteretur, & vbi quid reciperet, rurſus vnde ſingula ſumſiſſet, reponeret. Minus autẽ promę mandauimus alicui, poſteaquam conſideraſſemus, quæ nobis videretur & gulã quod adtinet, maxime temperans, & in vino, & ſomno, & virorum conſuetudine. Præterea quam memoria plurimum valere iudicaremus, & proſpiciendo, ne ob negligentiam a nobis puniretur, & conſiderãdo, qua ratione gratum aliquid nobis faceret, ac viciſſim ipſa honore a nobis adficeretur. Eamdẽ vt beneuolo eſſet erga nos animo conſuefaciebamus, cõmunicando cũ ea lætitiam noſtrã, quoties læti eſſemus: ac viciſſim, ſi quid accidiſſet triſte, adhoc illã quoq; aduocando. Inſtituebamus itidem, vt cupida & alacris eſſet ad augendam rem noſtrã familiarem, dum quæ illa eſſet, non cælaremus, noſtræq; fortunæ proſperæ participẽ faceremus. Etiã iuſticiæ ſtudiũ excitabamus in ea, dũ maiori iuſtos honore, quã iniuſtos proſequeremur; eoſq; vitam agere tum opulẽtiorem, tum magis liberalem, quam iniuſtos, declararemus. Atq; huic tali locum hunc adtribuebamus. Ceterum pręter hæc omnia mi Socrates, ait, vxori meæ dixi, nullum eſſe horum omnium vſum, niſi ſtudioſe daret operã ipſa, vt hic ordo in ſingulis maneret. Quinetiam docebam illam, in vrbibus præclare conſtitutis non videri ciuib. ſatis eſſe, ſi leges egregiæ ſcribantur: ſed deligi quoque cuſtodes earum, qui omnes inſpiciendo, legibus obtemperantes laudent, & aduerſus eas delinquẽtes puniant. Quamobrem, inquit, hortabar vt exiſtimaret, vxorem domo præfectã eſſe quaſi legum cuſtodem: ac vbi viſum ipſi ſit, luſtrare vaſa debere,

quemadmodum præsidij magister vigulum copias lustrat: eidem explorandum esse, nũ recte habeant omnia, queadmodum senatus equos & equites explorat: etiam laudari ac ornari ab ipsa debere dignos tanquã a regina, pro ea quidẽ copia, quæ adsit, & probris incessi ac puniri eos, quos par esset. Prӕterea docebã, inquit, eã, non esse cur merito moleste ferret, si fortunas quod nostras adtineret, plus ei laboris imponerẽ, quam famulis. Ostendebam enim, seruos herilium facultatum eatenus participes esse, quatenus eas gestẽt, aut curent, aut custodiant: quũ nemini concessus illarũ sit vsus, nisi cui tribuat hoc is, cuius sunt in potestate. Heri autem omnia sunt, ac eiusdem est, vti singulis pro libitu suo. Qui ergo ex conseruatis hisce facultatib. commodum maximum perciperet, & maximũ ex dissipatis detrimentum: ei curam quoq; de his maximã conuenire declarabam. Quid autem, Ischomache? inquam ego, quum audiisset hęc vxor tua, quo pacto tibi obtemperabat? Quid aliud, inquit, nisi quod respondit mihi, mi Socrates, non recte me de ipsa iudicare, si dum eam docerẽ fortunarum nostrarum curam habẽdam esse, molesta me ipsi mandare putarẽ. Nã grauius longe futurũ, dixisse illam aiebat, si pręciperem, suarum vt rerũ esset negligens potius, quã vt bona propria studiose curaret. Sic enim a natura cõparatum esse videtur, inquit, vt queadmodum pudicæ modestæq; mulieri suorum liberũ curam habere facilius est, quã eos negligere: ita etiã fœminæ modestæ curam suscipere fortunarum suarum, quæ quia propriæ sunt, exhilarãt nos, iucundius esse arbitrer, quam easdẽ negligere. Quæ quum vxorẽ ei respondisse, ait Socrates, audiuissem: Ita me Iuno amet, inquam, mi Ischomache, virilem vxoris tuæ animũ esse demonstras. Etiã alia, subiecit Ischomachus, commemorare tibi de ea volo, magno ab animo profecta; quã mihi celeriter, auditis quibusdã ex me, paruerit. Quænam? inquam ego, dic quæso. Nã mihi longe iucundius est viuæ mulieris virtutem cognoscere, quã si mihi Zeuxis formosam fœminã pictura expressam ostendat. Se-
847 cundũ illa Ischomachus: Quum igitur, inquit, aliquando eã conspexissem, mi Socrates, multũ infricasse sibi cerussæ, vt candidior etiã videretur, quã esset; multum item rubricę, vt quã esset reabse, rubicundior adpareret; atq; etiam calceos haberet altos, vt procerior, quã esset à natura, videretur: Dic mihi

mihi mea vxor, inquam, vtro modo me consortem facultatum amore digniorem iudicares: nũ si eas ipsas tibi demonstrarem, ac neq; gloriarer ampliores mihi esse, quã essent, neq; quidquã cælarẽ: an vero si fallere te conarer, narrando plura mihi bona esse, quam essent, ac adulterinum argentũ *ostendendo & monilia, quib. materia subesset lignea, vestesq; purpureas coloris euanidi, veras esse prædicarem? Tũ illa continuo sermonẽ meum excipiens: Bona verba quęso, inquit, ne tu mihi talis sis. Non enim te, si talis esses, ex animo cõplecti possem. Ergone, inquã ego, mea vxor, sic cõuenimus, vt inter nos etiam corporũ esset communicatio? Sic homines aiunt, inquit. Vtro igitur modo, inquã ego, etiam corporis particeps viderer amore dignior, num si corpus meũ conarer tibi studiose curando sanũ ac validum exhibere, ac reipsa bono tibi colore præditus essem: an vero si oblitus minio, & oculis purpurisso sublitis tibi me ostentarem, atq; ita tecum versarer, vt te deciperem, cutisq; loco minium tibi spectandum & adtrectãdum prẹberem? Equidem, respondit illa, neq; minium lubentius adtrectarem, quam te; neq; purpurissi colorem lubentius, quam tuum adspicerem; neq; tuos oculos sublitas intuerer lubentius, quam sanos. Itaq; me etiam putato, dixisse se narrabat Ischomach⁹, mea vxor, neque cerussæ, neq; rubricæ colore magis, quam tuo delectari: sed quemadmodũ dij fecerunt, vt equis equi, bob. boues, oues ouibus gratissimæ sint; ita etiam homines purum hominis corpus esse iucundissimum putant. Atque hæ fraudes possint illæ quidem aliquo modo extraneos sic fallere, vt non conuincãtur: verum eos, qui semper vna versantur, si decipere se mutuo conẽtur, deprehẽdi necesse est. Nam vel quum de lecto surgunt, deprehenduntur ante, quã ornentur, vel coarguũtur a sudore, vel per lacrumas explorantur, vel per lauationẽ prorsus oculis produntur. Quæso te per Deos immortales, inquã ego, quid ad hæc respondit? 848
Quid aliud dicam? ait, nisi quod ex eo tẽpore nihil eiusmodi vmquam instituerit, sed puram ac decenter ornatã conata mihi sit semet exhibere? Quærebat etiam ex me, num quid ei dare consilij possem, vt esset reabse pulchra specie, neque tantum esse videretur. Itaque mi Socrates, inquit, hoc ei cõsilij dedi, ne perpetuo seruiliter sederet, sed cũ ope Deum eniteretur herilem in modum ante telam adstando,

*alij reddunt, ostẽdendo illuderem tibi. Sed videtur δηλοίνυσι nõ esse Xenophonteum, vt H. Steph. monuit. Verbum δηλοίνυβονum est, nec reiiciẽdum. Consule nostras notas. Æ. P.

quidquid aliis recti⁶ sciret, docere: quod autem minus, addiscere: præterea pistorē inspicere: promę aliquid emetienti adsistere: circumeuntem spectare, nū suo quæq; loco sita sint. Hæc enim mihi videbatur simul & diligentia quædam esse, & obambulatio. Aiebam quoq; bonū esse exercitium, macerare ac subigere farinam, vestes, & stragula excutere atq; componere. Atq; hoc modo exercitam iucūdius sumturam cibos dicebam, & valetudine commodiori vsuram, & reuera cum colore venusto adparituram. Etiam facies ipsa si purior sit, ac decentius amicta, in contentione cū ancilla, nonnihil incitationis habet; præsertim si malit ea spōte gratificari, quā coacta obsequi. Quæ vero mulieres perpetuo quadā cū grauitate desident, eæ faciunt, vt non aliter de ipsis iudicetur, atq; de illis ornatis, ac fraude vtentibus. Ac meā quidem vxorē mi Socrates, ait, scire debes ita nunc instructā viuere, quēadmodum ipsam ego docui, ac modo tibi cōmemoro. *Tum ego: De vxoris quidē tuæ operibus, inquam, mi Ischomache, primo loco satis audisse mihi videor, ac vtriq; vestrū valde laudabilia. Nūc tui muneris actiones mihi exponito, inquā, vt & tu cōmemorando ea, de quibus magnam es gloriam consequutus, voluptatē aliquam capias: & ego boni & honesti viri actionibus auditione cognitis & animaduersis, si quidē id potero, magnā tibi gratiam habeā. Ego vero mi Socrates, inquit, perlubenter profecto sum tibi commemoraturus, quæ numquā non ago, vt me corrigendo concinniorē efficias, si quid tibi nō recte agere videbor. At enim qui par sit, inquam, me illum corrigendo concinniorem reddere, qui iam vir bonus & honestus absolute sit elaboratus, præsertim quū ego sim is, qui hominum opinione nugatorie garriat, & aera metiatur; &, quod omnium ineptissimum videtur esse crimen, pauper adpelletur. Atq; equidem, mi Ischomache, adpellationem hanc molestissime ferrem, nisi nuper equo Niciæ illius aduenæ factus obuiam, multos ipsum spectatores sequi vidissem. Quumq; quid complures de ipso dixissent, audiuissem: accedens equi curatorem, num magnas is equus facultates haberet, quærebam. Ille me intuitus, vt qui tale quid rogans satis sanus non essem: Qui facultates, ait, equus habere possit? Ita tum ego his auditis oculos adtollere sum ausus propterea, quod fas sit etiam pauperem equum bonum

Libri II. Ciceronis Oeconomicon e Xenophōte principiū, quo præcepta patrifamilias de iis dantur, quæ foris agere debeat. Seruius.

849

bonum esse, si quidem animum a natura bonum haberet. Quamobrem mihi, cui & fas sit esse viro bono, penitus exponito actiones tuas: vt si quid audiendo animaduertere possim, & ipse a die crastino incipiens imitari te coner. Etenim is dies percommodus est, inquam, ad ordiendam virtutem. Ludis tu quidē mi Socrates, ait Ischomachus. verum ego nihilominus tibi narrare conabor, quibus institutis ac studiis enitar ego vitam hāc transire. Nā quia videor animaduertisse, deos hominibus absq; rerum earum cognitione, quæ suscipiendæ sunt, & perficiendi eas studio, nō fas esse voluisse, vt prosperitate fruerētur, ac prudētib. & studiosis partim concessisse felicitatem, partim non: idcirco equidem ordior a cultu diuino, atq; efficere conor, vt mihi precanti fas sit & valetudinem bonam contingere, & corporis robur, & honorem in republica, & beneuolentiā ab amicis, & honestā incolumitatē in bello, & incrementū diuitiarum honestum. Quib. ego auditis: Tibine hoc curæ est, inquam, Ischomache, vt opulent⁹ fias, ac magnas facultates nāctus, in earum curatione multum negotij habeas? Omnino, ait Ischomachus, ea mihi curæ sunt, de quib. rogas. Nam mihi iucundum esse videtur, mi Socrates, deos magnifice colere, & amicis indigentib. prodesse, & vrbem hanc, me quod adtinet, opum ornamento non carere. Sunt illa sane pręclara, inquam, Ischomache quæ commemoras, hominisq; valde potētis. Quid ni enim? quum multi sint, qui sine aliorū ope ne viuere quidē possint; multi boni consulant, si parare possint, quantum ipsis sufficiat. At vero qui non modo domum suam administrare possunt, sed etiā nonnihil facere lucri, de quo & reipublicæ ornamētum accedat, & amici subleuentur; cur illi non & copiosi, & potentes existimari debeant? Enimuero, inquam, plerique prædicare viros huiusmodi possumus: verum tu mihi dicito, Ischomache, vnde cepisti, quo pacto valetudinem curas: quo pacto corporis robur? quo pacto licet tibi honeste etiam e bello incolumi euadere? Nam de ratione rei faciundæ mihi satis erit, inquam, vel deinceps aliquid audire. Hęc omnia, subiecit Ischomachus, semetipsa consequuntur, mi Socrates. Nam qui quo vescatur satis habet, is laborando cibos conficiens, recte mihi valetudinem suam posse cōseruare videtur, & maius robur adquirere; ac si res bellicas exerceat, honestius incolumis

euadere: deniq; consentaneum est, rem familiarem huius
magis augescere, si quidem recte sua curet, ac nõ remissior
ignauiorq; fiat. Hactenus ego te adsequor, inquã, Ischoma-
che, quod hominem laborãdo cibos conficientẽ, & curam
adhibentem, & exercentẽ se, magis bona consequi dicis. At
quo labore vtaris, vt & valetudo cõmoda, & robur corpo-
ris tibi contingat, quoq; pacto te bellicis in reb. exerceas,
quo studio efficias, vt copiis abundes, quib. tũ amicis prod-
esse, tũ vires aliquas huic ciuitati possis addere: hæc, inquã,
perlubenter velim quærendo percipere. Ego vero mi Socra-
tes, ait Ischomachus, surgere de lecto cõsueui, quo tempore
adhuc domi reperturus sim aliquẽ, quẽ forte me videre ne-
cesse sit. Ac si quid in vrbe sit agendũ, id in hunc modũ ob-
ambulans efficio. Sin rei necessariæ nihil sit, quod in vrbe
geratur, equũ puer ante me rus deducit, ego vero iter hoc
quo rus eo, loco ambulationis fortasse rectius vtor, mi So-
crates, quã si in *xysto deambularẽ. Posteaquã rus venio, si-
ue qui mihi seruunt, seu nouales instruunt, siue seminant, seu
fructus important, inspectis omnibus, quo pacto fiant sin-
gula, corrigendo concinnius facio, si quid operę præsenti
melius teneo. Secundum ea plerumq; conscenso equo quã-
simillimas iis, quæ in bello necessariæ sunt, equitationes
instituo, neq; transuersa, neq; accliuia, neq; fossas, neque a-
quarum ductus vito. Atq; interea curã adhibeo, ne facientẽ
hæc equum claudũ efficiã. His peractis equum puer voluta-
tum domũ abducit, simul rure secum ferens in vrbẽ, si quo
nobis opus est. Ego vero nunc pedetentim incedens, nũc
851 currens domũ vt veni, strigile vtor. Deinde tantũ, mi Socra-
tes, in prandio sumo, vt eũ diem neq; vacuus, neq; valde re-
pletus exigã. Ita me Iuno amet, inquã, facis hęc ita tu, Ischo-
mache, vt omnino mihi placeant. Nã eodẽ tẽpore vti adpa-
ratu, qui & valetudini & virib. cõducat, itemq; exercitatio-
bus vti ad rẽ militarem pertinentibus, & curatione opũ: eo-
rum vero nihil est, quod nõ admirandũ mihi videatur. Ete-
nim te recte hæc singula suscipere, satis magna de te indicia
præbes. Nã & commoda valetudine vtentem te plerumq;
robustumq; Deũ beneficio videmus; & inter peritissimos
artis equestris, ac opulentissimos recenseri te scimus. Hæc
igitur, mi Socrates, ait, quũ agam, vehementer multorum
calumniis exagitor. Tu vero fortasse dicturũ me putabas,
quod

Hac voce Cic. & Vitru. vtũtur, eaq; porticus significatur, in qua per hyemem athletæ se exercent.

quod a multis vir bonus & honeſtus adpeller. At hoc quoq;,
inquam, Iſchomache, quærere volebam, ecquid operę ſtu-
diiq; ponas in eo, vt ſi quando ſit opus, rationē reddere tua-
rum actionū, & viciſſim ab aliis exigere poſſis. Tu vero, mi
Socrates, inquit, non idipſum me perpetuo meditari putas?
defendēdi quidē mei rationē, dū nemini ſum iniurius, atq;
etiā pro viribus meis bene de multis mereor. Accuſationes
vero quorumdā vt inſtituam, non meditari tibi videor, quū
priuatim multos iniuſtos eſſe animaduertā, & nōnullos et-
iam erga rempublicā, nemine interim bene mereri volēte?
An autē mediteris hæc etiā oratione exponere, velim mihi
ſignifices, Iſchomache. Equidē, ait, mi Socrates, in dicendo
me exercere non deſino. Nam ſiue accuſantē aliquem in fa-
milia, ſeu defendentē ſe audiero, quidquid mētiatur, redar-
guere conor: vel de aliquo ad amicos queror, vel aliquē lau-
do, vel neceſſarios quoſdā recōcilio, dū oſtendere ipſis eni-
tor, potius eis conducere, vt amici ſint, quā hoſtes. Quū mi-
litiæ prætori adſumus, increpamus aliquē, vel cauſſam ali-
cuius defendimus, ſi præter meritū culpa in eū cōfertur; vel
inter nos mutuo accuſationes inſtituimus, ſic cui honos im-
merito defertur. Sæpenumero etiā cōſultantes, quæ agere
cupimus, laudamus, quæ nolumus agere, vituperamus. Iam
vero, mi Socrates, etiā ſæpenumero diſtincte factū eſt de
me iudiciū, quid me perpeti, quidue multę nomine oporte- 852
ret exſoluere. A quonā? inquā ego, mi Iſchomache. Nā equi-
dem hoc antehac ignorabam. Ab vxore, inquit. Et quonam
pacto inquam ego, cauſſam agis? Quum vera dicere condu-
cit, egregie admodum: quum falſa, cauſſam deteriorem, mi
Socrates non poſſum profecto meliorem facere. Fortaſſe
non potes, inquam ego, quod falſum eſt, verum facere.
Verum num te, Iſchomache, detineo diſcedere volentem?
Non profecto, mi Socrates, ait. Etenim prius, quam pe-
nitus finis concionis fuerit, diſceſſurus non ſum. Vehe-
menter enim profecto caues, inquā, ne cognomentū illud,
quo vir bonus & honeſtus adpellaris, amittas. Nam tamet-
ſi iam fortaſſe multa tibi neceſſario curanda ſint, quia ta-
men ita conuenit inter vos, hoſpites illos opperiris, ne
mētiaris. Atqui mi Socrates, ait Iſchomachus, ne illa quidē
negliguntur, de quibus tu loqueris. Quippe villicos in præ-

diis habeo. Vtrum vero, inquã, Iſchomache, quum villico tibi eſt opus, exploras an alicubi ſit quiſpiã ad hanc procurationem idoneus, eumq; das operã vt emas; veluti quũ fabro tibi eſt opus, ſat ſcio ſicubi peritũ fabricæ noueris, eum te operam dare vti compares: an vero ipſe villicos tuos inſtituis? *Ego ipſe profecto, mi Socrates, ait, in hoc incumbo, vt eos inſtituam. Nam ſi quis talis eſſe debeat, vt me abſente rem meam ſatis idonee curet, quid eum ſcire aliud, quam meipſum oporteat? Quippe ſi ſum ego ſatis ad hoc idone⁹, vt præſim operis illis; etiam alium ſcilicet docere poſſum, quę ipſę teneo. Primum igitur, inquã ego, neceſſe eſt beneuolo ſit erga te ac tuos animo, ſi quidem eius præſentia tuo loco ſufficere debeat. Nam ſine beneuolentia quiſnã ſcientiæ procuratoriæ fuerit vſus, cuicuimodi tandẽ illa ſit? Nullus profecto, inquit Iſchomachus. Verum ego primũ ſic eos conor inſtituere, vt erga me meoſq; beneuolo ſint animo. At obſecro te per deos immortales, inquã, quo pacto quẽcunq; vis, doces; vt beneuolentia te, tuoſq; cõplectatur? Benefaciendo, ait, quoties boni alicuius copiam dij nobis largiuntur. Ergo tu dicere vis, inquã, in eis, qui bonis tuis fruãtur, beneuolentiam erga te excitari, atq; illos bene tibi facere velle. Eſſe enim, mi Socrates, inſtrumẽtum hoc beneuolentiæ optimũ video. At ſi quis beneuolentiã erga te concipiat, inquam, Iſchomache, an propterea ſatis ad procurationem erit idoneus? An non vides, ꝙ quum homines, vt ita dicam, vniuerſi bene ſibi velint; multi tamen ſint, qui curã adhibere nolint, vt ea bona conſequantur, quæ ſibi cupiãt euenire? Ego vero, inquit Iſchomachus, quum tales villicos conſtituere volo, etiã eos doceo curam adhibere. Qui hoc? quæſo per Deos, inquam. Etenim id ego plane ſub doctrinã non cadere putabam, vt quis diligens efficiatur. Sane fieri non poteſt, mi Socrates, ait, vt quis ſerie quadam omnes diligentes eſſe doceat. Quinam igitur, inquam ego, doceri poſſunt? Velim omnino mihi hos perſpicue indices. Primũ eos, ait, mi Socrates, qui a vino ſibi temperare nequeunt, diligentes efficere non potes. Nam ebrietas obliuionem omnium, quæ agi oportet, inducit. Num igitur, inquam ego, qui ab hoc ſe continere non poſſunt, ſoli diligentes eſſe nequeunt, an & alij quidam? Profecto, ait Iſchomachus, etiam illi, qui ſomno moderari non poſſunt. Quippe nec ipſe dormiens

Hæc ita M. Tulli⁹: Ego vero ipſe inſtituo. Etenim qui me abſente in meũ locum ſubſtituitur, & vicarius meæ diligentiæ ſuccedit: is ea, quæ ego, ſcire debet.

853

dormiens facere, quæ debebat, nec alios ad hoc posset im-
pellere. Quid igitur? inquam ego, soli sunt hi, quibus hæc
diligentia tradi non potest, an præterea quidam alij? Sane
mihi videntur, ait Ischomachus, etiam illi, qui perdite re-
bus venereis dediti sunt, vt alterius rei maiorem curam ha-
beant, quam illius, doceri non posse. Nam neque spes, ne-
que cura reperiri alia iucundior facile potest, quam sit a-
moris occupatio: nec inuenire supplicium grauius in pro-
cliui est, quam si rerum expediundarum cura suis ab amo-
ribus aliquis auocetur. Quamobrem quoscumque tales es-
se animaduerto, de iis remissius ago, vt ne quidem coner i-
psos procuratores constituere. Quid autem, inquam ego,
si quibus inest amor lucrifaciundi, num & illi ad intentio-
nem in rebus rusticis institui nequeunt? Non profecto, ait
Ischomachus, nequeunt, immo facillime ad hoc studium
deduci possunt. Quippe nulla heic opus est alia re, nisi vt
eis dumtaxat ostendas, fructuosam esse diligentiam. Cete-
ros autem, inquam ego, si & iis in rebus sint continentes, in
quibus hoc ab ipsis requiris, & quæstus mediocriter cupi-
di sint, quo tamdem pacto doces, vt pro arbitrio tuo sint di-
ligentes? Per sane simpliciter, ait, mi Socrates. Nam quum
eos diligenter sua curare video, non solum collaudo ipsos,
sed etiam vt ornem honore aliquo, do operā; sin negligen- 854
tes esse, dicere ac facere conor id, quod eos mordeat. Age
vero, inquam, Ischomache, nonnihil ab hac oratione de iis,
qui ad diligētiam instituuntur, deflectens, etiam illud mi-
hi de instituendi ratione declarato: num fieri possit, vt
quis ipse negligens alios efficere diligentes possit? Nequa-
quam, ait Ischomachus, nulloque modo magis, quam si
quis ipse musicæ imperitus, alios efficere musicos velit. Est
enim difficile, doctore non recte monstrante discere, vt be-
ne aliquid efficias; itidem quum exemplum negligentiæ
dominus suppeditat, difficile est seruum diligentem fieri.
Atque breuiter vt dicam, futilis domini seruos numquam
fuisse frugi animaduertisse videor. Frugi autē domini ser-
uos equidem nullius momenti quosdam vidi, non tamen
tales, qui suis heris detrimento non essent. At qui reddere
quosdam velit ad adtentionem idoneos, eum & inspicere
opera necesse est, & in ea inquirere, & nō illubenter auctori
eorum, quæ bene perfecta sunt, gratiam referre, & non ve-

reri merito illum supplicio adficere, qui negligēs sit. Etiam illud mihi hominis barbari responsum pręclarum videtur, quum rex equum nanctus bonum, quem cuperet quamprimum saginari, quemdam in primis equestris rei peritum interrogaret: quidnam equum celerrime pinguem efficeret. Fertur enim is respondisse, Oculus domini. Sic mihi videtur, Socrates, etiam alia domini oculus quam maxime pulchra & egregia efficere. Ceterum vbi, inquam ego, iam alicui vehementer inculcaueris, diligenter esse curanda, quæ tu velis; num is idoneus ad procurationem erit? an & aliud quidpiam pręterea discendum erit ei, si quidem villicus esse satis aptus velit? Erit profecto, inquit Ischomachus. Nam restat, vt & quid, & quando, & quo pacto sit agendum, intelligat. Nam absque hoc sit, quis villici vsus potior fuerit, quam medici, qui haberet ille quidem ægrotantis alicuius curam, tum mane, tum vesperi eum conueniendo; verum quid ęgrotus facere possit, quod ei conducat, nesciat? Quod si didicerit, inquam ego, quo pacto faciūda sint opera, num adhuc aliquid desiderabitur, an iam talis villicus tibi absolutus erit? Equidem arbitror, ait, discendam ei esse rationem imperandi operariis. Num igitur, inquam ego, tu quoq; villicos instituis, vt ad imperādum sint idonei? 855 Sane id enitor facere, ait Ischomachus. Quæso te per Deos, inquam, quo pacto eos instituis in hoc, vt rationem regendi alios teneant? Sane vulgariter, ait, mi Socrates. quo fit, vt fortassis etiam hæc audiens, risurus sis. Certe, inquam ego, minime risu digna res est, Ischomache. Nam qui efficere quosdam potest idoneos ad imperandum hominibus, eum patet etiam herilem quamdam disciplinam posse tradere; quam qui teneat, possit item tradere regiam. Itaq; non irrisionem, sed magnam laudem mereri videris, qui hoc efficere possis. Cetera igitur animalia, mi Socrates, ait, duabus hisce rebus parere discunt: partim quod, vbi nolūt obtemperare, puniantur; partim quod, vbi alacriter obsequuntur, benigne cum eis agatur. Ita pulli equorum obœdire domitoribus suis ea re discunt, quod quum parent, suaue quid consequantur: contumaces autem, molestias quasdam experiantur, donec voluntati domitoris obsequantur. Etiam catelli, qui hominibus & intelligentia & lingua longe sunt inferiores, nihilominus & circumcursitare, & saltando se in

capur

caput deuoluere,& alia multa eodẽ hoc modo discũt. Nam vbi parent,aliquid eorum,quæ expetunt,consequuntur: vbi vero negligẽter se gerunt, dant pœnas. Homines autem etiã oratione reddi obœdientiores possunt,si quis demonstret ipsis expedire,vt pareant. Seruis ea quoque disciplina, quæ belluina videtur esse, valde conducit ad hoc, vt parere discant.Nam si gratificeris cupiditatibus gulæ ipsorũ,multum apud eos effeceris. Naturæ autem ambitiosæ etiam laude exacuuntur. Nam in nonnullis ingeniis non minor est fames laudis, quam in aliis cibi ac potus. Quum igitur eos docens, quos villicos volo constituere, ipse illa præsto, quibus effecturum me puto, vt homines magis obsequentes habeam:etiam hac ipsos in parte iuuo.Nam & vestes,& calceamenta,quæcumque tribuenda sunt operariis,non omnia fieri æqualia curo,sed quædam deteriora,quædã meliora: vt rectius se gerentem melioribus ornem, & peiori dem deteriora. Videtur enim mihi, mi Socrates, inquit,omnino in bonis magnum quemdam animi mœrorem oriri,quum opera per se fieri vident, ac nihilominus ęqualia secum præmia consequi eos,qui quum opus est, neq; laborare,neq; adire pericula volunt. Quamobrem nequaquam 856
meliores cum deterioribus præmiis æqualibus dignor, ac villicos meos laudo,quum eos optima distribuisse video in maxime dignos:sin quem vel per adulationes,vel alia quapiam inutili gratificatione video potiorem honorem consequutum;id equidem non negligo, sed obiurgo villicum, eumque docere, mi Socrates, conor, fieri ea ne cum ipsius quidem commodo. Quum autem,inquam ego,villicus tibi satis, Ischomache, ad imperandum aliis idoneus factus est,vt iam illos obsequentes reddere possit; num illum iam perfectum tibi putas, an adhuc aliquid in eo desideratur, qui hæc, quæ tu narrasti, habet? Desideratur profecto, inquit Ischomachus, nimirum herilibus a rebus vt abstineat, neq; quidquã furto subtrahat. Nã si is,qui fructus habet in manibus,ausit eos sic interuertere,vt qui relinquũtur, operibus rusticis nõ prosint;cui quæso fuerit vsui curatio huius in agricultura? Num igitur,inquã ego,hãc quoq; iustitiã tu docẽdã suscipis? Omnino, ait Ischomachus.Neq; tamẽ oẽs ad parendũ huic doctrinę satis promtos inuenio. Quãobrẽ partim ex legib.Draconis,partim Solonis quędã adsumere

conor, quibus efficiam, vt in iustitia famuli mei proficiant.
Videntur enim mihi etiam hi viri multas leges de iustitia
doctrinæ huius condidisse. Nam perscripserunt, multan-
dos esse, qui furtum faciant, ac deprehensos esse vincien-
dos, morteque adficiendos, qui adgrediantur. Quamob-
rem perspicuum est, eos has leges sic perscripsisse, vt qui
turpem illum quæstum vellent iniustis inutilem reddere.
De his igitur quædam producens, atque alia de legibus re-
giis, famulos efficere iustos in iis tractandis enitor, quæ in
manibus habent. Nam illæ quidem leges, tantum pœnas
delinquentibus constituunt; at regiæ non iniustos tantum
puniunt, sed iustis etiam emolumentum adferunt. Quo fit,
vt plerique iniusti, dum iustos locupletiores esse factos vi-
dent, præsertim quia lucri sunt cupidi, egregie se contine-
ant, ne quid iniuste faciant. Quos autem animaduerto be-
neficiis adfectos, nihilominus iniusta moliri; illis, vt insa-
nabilis auariciæ hominibus, vti deinceps desino. Rursum
quos animaduertero non tantum elatis esse animis, quod
857 ob iustitiam meliori conditione sint, sed etiam laudari a
me cupere: hos velut ingenuos tracto, neque diuites tan-
tum facio, sed etiam honore prosequor, vt viros bonos &
honestos. Nam in hoc mihi, Socrates, differre vir honoris
cupidus a lucri cupido videtur, quod laudis honorisq; caus-
sa & labores suscipere, quum opus est, velit; & adire pericu-
la, & a turpibus lucris abstinere. Sed enim posteaquam hoc
alicuius animo indidisti, vt prospere tibi omnia cedere ve-
lit, atque etiam vt curam adhibeat ad perficiendum hæc ti-
bi, ac præterea parata sit ei scientia, vt opera singula ma-
iori cum vtilitate fiant, sit etiam ad regendum factus per
te idoneus, denique maxima copia tibi terra nata exhibe-
at itidem, vt tu ipse tibi: non iam amplius de hoc interroga-
bonum quid in eo desideretur. Nam mihi videtur hoc mo-
do villicus esse quantiuis pretij, qui quidem talis sit. Ve-
rum hoc, inquam, Ischomache, ne omiseris, quod a nobis
dicendo leuissime percursum est. Quid hoc est? ait Ischo-
machus. Dixisti scilicet, inquam, maximum esse quiddam
discere, quo pacto sint elaboranda omnia. Quod nisi fiat, ne
studij quidem & curæ aiebas vsum vllum esse, nisi quis vi-
delicet intelligeret, quæ, & qua ratione facienda sint. Tum
Ischomachus: Tune me, inquit, artem ipsam agriculturæ
iam

iam docere iubes Socrates? Nimirum, inquam ego, hæc ea est, quæ peritos ipsius locupletes efficit; imperitos autem, tametsi magnopere laborent, nihilominus in rerum inopia vitam agere sinit. Ergo iam, mi Socrates, quæ artis huius erga homines sit benignitas, audies. Nam quo pacto non generosum sit aliquid, eam & vtilissimam esse, & exercendo iucundissimam, & pulcherrimam, & acceptissimam tum diis, tum hominibus, ac præter hæc etiam facillimam ad perdiscendum? Nimirũ & animalia generosa vocamus, quæcumque quum pulchra sint, & procera, & vtilia, mansueta sunt erga homines. At enim ista, inquã, Ischomache, quo pacto abs te sunt exposita, satis intellexisse videor, quomodo scilicet villicus instituẽdus sit. Nam didicisse me arbitror, qua ratione dixeris efficiundum, vt beneuolo sit erga te animo, & diligens, & ad regendum idoneus, & iustus. Quod autem aiebas, discendum esse illi, qui recte rem rusticam curare velit, quæ faciunda sint, & quomodo, & 858 quando singula: ea mihi videmur, inquam, leuius nonnihil oratione nostra percurrisse. Perinde ac si dicas, esse necessarium, vt litteras sciat is, qui scribere, quæ dictantur, & scripta relegere velit. Nam his auditis, equidem huic litteras esse notas oportere, audiuerim: id vero si sciam, nihilo magis, mea quidem sententia, litteras sciuero. Sic nunc quoq; peritum esse debere illum agriculturæ, qui curationem eius recte suscipere velit, facile persuasus sum: sed quum id scio, nihilo magis teneo, quo pacto agricultura sit exercenda. Adeoq; si statuero mox agrum colere, similis esse mihi videbor medico, qui circumeat ille quidem, & ægrotantes inspiciat; verum nihil sciat, quod eis sit vsui. Quapropter ne talis sim, inquam, ipsa me agriculturæ opera doceto. Enimuero mi Socrates, ait, non sic ad discendum agricultura difficilis est, vt artes ceteræ, quibus discendis prope consumi necesse est prius, quã discipulus exercere opus possit, quod ipsi alendo satis sit: sed partim operarios inspiciendo, partim audiendo tantum mox cognoueris, vt etiam alium, si velis, docere possis. Quinetiam arbitror, inquit, ne ipsum quidem te scire, quod magnam eius partem iam teneas. Nã ceteri quidem artifices aliquo modo cælant ea, quæ sunt in arte cuiusuis opportunissima: verum ex agricolis qui egregie conserit, maximam voluptatem capit, si eum alius ad-

spectet: itidem putabis de eo, qui semina rectissime spargit. Quod si etiam roges de iis, quæ pulcherrime sunt elaborata, nihil te cælabit, quo pacto singula fecerit. Adeo, mi Socrates, ait, etiam mores quod adtinet, agricultura generosissimos efficere videtur illos, qui in ea versantur. Enimuero, inquam ego, proœmium ipsum pulchrum est, neq; auditorem ab interrogãdo auertet. Tu vero propterea, quod decorum sit discere, multo magis eam mihi enarrato. Nam tibi turpe non est, quæ facilia sunt, docere: sed mihi longe turpius, ea nescire, præsertim quum sint vtilia. * Primum igitur, ait, mi Socrates, demonstrare tibi volo, non esse difficile, quod in agricultura maxime varium esse prædicãt, qui de illa plurimum verbis disserunt, quum eam exercendo non adtingant. Aiunt enim illi, qui agrum recte colere velit, primum soli naturam esse debere cognitã. Ac recte quidem, inquam ego, idipsum aiunt. Nam qui compertum nõ habet, quid ferre solum possit: is etiam, mea sane sententia, quæ semina spargenda, quid conserendum sit, scire non poterit. Id vero, subiecit Ischomachus, vel alieno in solo licet cognoscere, quid ferre vel possit, vel non possit, si quis & fructus & arbores inspiciat. Posteaquam vero quis hoc cognouit, non amplius cum Deo bellum expedit gerere. Non enim id, quo indiget, seminando & conserendo, maiorem victus copiam consequetur: quam quantam solum lubens proferet ac educabit. At si ob ignauiam possessorum vires suas declarare nequeat, sæpenumero ex loco vicino veriora de eius natura cognosci possunt, quam si vicinum aliquem interroges. Quinetiam incultum si sit, nihilominus naturam suam indicat. Etenim quod producit etiã agrestes fructus pulchros, si colatur, mites quoq; fructus pulchros proferre poterit. Ac soli naturam hoc modo etiam ij, qui agriculturæ non admodum periti sunt, discernere possunt. Enimuero hac in parte, inquam, Ischomache, satis iam mihi confidere videor; vt metuendum non sit, ne quod soli naturam cognitam non habeam, abstinendum mihi sit ab agricultura. Nam recordor, quid piscatores faciant, qui quũ in mari occupentur, neque consistant ad inspectionem, neque lente progrediantur, sed rura cursu prætereant: nihilominus vbi fructus soli vident, haudquaquam pronuntiare de solo, quodnam bonum, quodve malum sit, dubitanti

*Liber 3. Oeconomicon Ciceronis è Xenophõte agriculturã cõtinet. Seruius.

bitant: sed hoc vituperant, illud laudant: Adeoque video illos eodem modo de bono solo pronuntiare, quo solent agriculturæ periti. Vnde vis igitur, inquit, mi Socrates, vt incipiam de agricultura tibi quædam in mentem reuocare? Nam futurum scio, vt quo pacto colẽdus sit ager, indicaturus sim tibi, qui horum maximam partem sciat. Videor, inquam, primum hoc libenter scire cupere, mi Ischomache, quandoquidem hominis est maxime sapientiæ studiosi, quo pacto, si ita lubeat, terram exercendo maximam hordei, maximam tritici copiam consequi possim. Ergone nosti, noualem præparari oportere ad sationem? Noui, inquam. Quid igitur, ait, si solum hyemis tempore incipiamus arare? At vero, inquam ego, tum non nisi lutum fuerit. Num igitur æstate tibi faciundum id videtur? Durior, inquam, erit terra, quam vt moueri a iumentis possit. Fortassis igitur, inquit, verno tempore fuerit hoc opus inchoandum. 860 Nimirum consentaneum est, inquam, tum solum maxime motum diffundi. Immo etiam herbam ipsam aratro inuersam, mi Socrates, ait, tunc fimi quidem aliquid solo suppeditare; sed nondum semen de se spargere, de quo possit aliquid enasci. Nam mea sane sententia, puto id quoque intelligi posse, si bona futura sit noualis, necessario puram a materia esse debere, ac ad solem maxime tostam. Omnino, inquam, existimo debere ad hunc modum hæc sese habere. Tunc vero putas, inquit, aliter fieri ea posse potius, quam si quis sæpissime per æstatẽ terram inuertat? * Equidẽ accurate scio, inquit, nullo modo magis fieri, vt materia summo in solo adpareat, & ab æstu exsiccetur, solum vero a sole torreatur; quam si quis terram æstate media, atque etiam in meridie iumentis moueat. Quod si homines fodiendo noualem faciant, ait, an non perspicuum est, eos quoque solum a materia separare debere? Ac materiam quidẽ, inquam ego, proiicere, vt in agri superficie arescat: terram autẽ inuertere, vt pars eius cruda torreatur. De nouali, inquit, vides mi Socrates, vtriq; nostrum eadem videri. Videtur sane, inquam ego. De sementis autem tempore, num aliquid aliud statuis, ait, mi Socrates, quam id eius esse tempus, quod omnes superiorum ætatum homines experti, itidemque qui nunc viuunt, experiundo optimum esse animaduerterunt? Nam quum autumni tempus aduenerit,

*Cicero apud Nonium: Nullo modo facilius arbitror posse neq; herbas arescere & interfici, neque terrã ab sole percoqui.

*Plinius li.18.c.25. *Xenophon non ante [ſerendas ait fruges] quã Deus ſignum dederit.* Hoc Cicero *Nouembris imbre fieri interpretatus eſt.*

*homines omnes ad Deum reſpiciunt, quando terra irrigata ſeminandi poteſtatem eis facturus ſit. Et ſunt certe, inquam ego, mi Iſchomache, omnes in ea ſententia homines, vt ſua quidem cum voluntate nequaquam arido in ſolo ſemen iaciant: nimirum quod multis cum damnis conflictati eſſent, qui prius ſementem fecerant, quã iuſſi a Deo fuiſſent. Ergo in his, inquit Iſchomachus, omnium hominũ eadem eſt ſententia. Nimirum quæ Deus docet, inquam ego, in iis accidit, vt conſentiamus. Verbi gratia, videtur omnibus melius eſſe, vt hyeme veſtes craſſiores, ſi quidem poſſint, homines geſtent. Etiam tum ſtatuunt omnes ignẽ accendendum eſſe, ſi ligna ſuppetant. Verum in hoc, ait Iſchomachus, valde diſſident multi, mi Socrates, num optima ſit ſementis prȩcox, an media, an ſerotina. Deus ipſe, inquam ego, non eodem ordine annos vertit, ſed hic præcoci ſementi commodiſſimus eſt, ille mediæ, alius ſerotinæ.

861 Tu ergo, mi Socrates, ait, vtrum ducis vnam ex his ſementibus eligendam eſſe, ſiue quis multum, ſiue parum ſeminis iaciat: an facto a maxime præcoce initio, ſeminandum vſque ad maxime ſerotinam? Tum ego: Mihi vero videtur, inquam, Iſchomache, optimum eſſe, vt omnis ſementis participes ſimus. Nam longe melius eſſe arbitror, ſemper tantum frumenti accipere, quantũ ſatis ſit: quam aliquando admodum multum, aliquando ne tantũ quidem, quantum ſufficiat. Ergo tu, ait, hac etiam in parte mecum eadem es in ſententia, mi Socrates, diſcipulus ſcilicet cum doctore, & quidem ante me, quid tui eſſet iudicij, pronuntians. Quid vero? inquam ego, num in ſemine iaciendo varia quædam ars ineſt? Omnino, mi Socrates, ait, hoc etiam conſideremus. Nam de manu quidem ſemen eſſe proiiciendum, opinor te quoque ſcire. Nimirum, inquam, hoc vidi. At proiicere alij æqualiter poſſunt, ait, alij non poſſunt. Hoc igitur, inquam ego, indiget exercitatione, perinde ac citharœdorum manus, vt inſeruire voluntati animi poſſit. Omnino, inquit. At ſi fuerit, ait, ſolum aliud tenuius, aliud denſius. Quid hoc, inquam, dicis? Num tenuius vocas quod eſt imbecillius, denſius autem, quod robuſtius? Hoc ipſum, inquit, dico. Atque adeo te interrogo, num ſeminis tantumdem vtrique ſolo mandaturus ſis, vel vtri plus? Equidem, inquam, vino fortiori plus aquæ adfundere ſoleo: & ho-

& homini robustiori plus oneris, si quid portandum sit, imponere: ac si qui sint alendi, mandaturus sim, vt plures alant ij, quibus facultates sint maiores. At si solum imbecillū robustius fiat, inquā, num plus iniiciendū sit frugum, perinde ac in iumenta, doceto me. Tum sublato risu Ischomachus: Ludis tu quidem, Socrates, ait. Verū hoc scias velim, si iacto aliquo in terram semine, deinceps vbi multum e cœlo nutrimenti solum habuerit, herba de semine enata rursus solum aratro inuerteris: futurum id solo pabuli loco, ac tamquam de stercore robur ei accedet. Quod si autem solū de semine prorsus fruges producere sinas, difficile est solo imbecillo multum frugum tandem producere: sicut & imbecillæ sui difficile est multos porcellos maiusculos alere. An tu hoc dicis, inquam, Ischomache, solo imbecilliori minus seminis mandandum esse? 862
Ita profecto mi Socrates, inquit, tuq; adeo fateris hoc, qui dicis, solere te omnibus imbecillioribus minus negotiorum imponere. At sarcula, inquam ego, quamobrē frugibus immittitis Ischomache? An scis, inquit, hyemis tempore magnam esse aquarum copiam? Cur non? inquam ego. Ponamus ergo fruges aliquas ab his tegi, infuso limo, ac radices quasdā nudari a fluxione. Nonnunquam & materia per aquas vna cum frugibus erumpit, easque suffocat. Hæc, inquam, omnia fieri consentaneū est. An non igitur, ait, heic tibi fruges ope quadam egere videtur? Omnino, inquam. Quid autem agendo videntur tibi oppressis limo succurrere posse? Si solum, inquam, leuius fecerint. Quid illis, quibus radices nudatæ sunt? Terram vicissim adgerendo, inquam. Quid si materia cum frugibus enata eas suffocet, nutrimentumque illis eripuerit, quemadmodum fuci prorsus inutiles diripiunt ea, quæ apes pro nutrimento sibi elaborata reposuerunt? Oportet, inquam ego, propter nutrimētum frugum excidi materiam illam, quemadmodum fucos ex aluearibus eiici necesse est. Ergone tibi, inquam, ratione quadam consentanea videmur sarcula frugibus immittere? Omnino. Verum equidem cum animo meo cogito, inquam, Ischomache, quale quiddam sit, apte similitudines adplicare. Nam tu valde me ad iram aduersus materiam commouisti, posteaquam fecisti fucorum mentionem, multo certe magis, quam quum de ipsa materia diceres. Sed enim, inquā, ab hoc iam tempore fru-

ges erunt demetēdę. Quamobrem si quid habes hac etiam
in parte, doceto me. Nisi quidem, ait, adpareat heic etiam
eadem te scire, quæ mihi cognita sunt. Fruges quidem re-
secandas esse nosti. Quid ni nossem? inquam. Num igitur
eas ita resecas, vt stes vbi ventus spirat, inquit, an cōtra ven-
tum? Non certe contra hunc, inquam. Nam & oculis
& manibus molestia quædam exhibetur, si quis aduersus
paleas & aristas metat. Num item malis summos culmos
præcidere, an prope terram? Si breuis, inquam, sit culmus,
equidem inferius abscinderem, vt palearum maiorem co-
piam consequerer: at si procerus, recte me facturum arbi-
863 tror, si eum in medio resecem; vt neq; triturantibus labor
superuacaneus addatur, neque ventilantibus. Quod item
in solo relictum est, arbitror exustum aliquam solo vtilita-
tem adferre: & in fimum cōiectum, eum ipsum aucturum.
Vides, inquit, mi Socrates, quo pacto tanquam in ipso fa-
cinore deprehendaris, quippe qui etiam de messe scias ea-
dem, quæ ego? Videor sane, inquam, & considerare lubet,
num etiam triturandi rationem teneam. Scis igitur, ait, iu-
menta ad trituram adhiberi. Quid ni? inquam. Nosti etiam
omnia pariter adpellari iumenta, boues, mulos, equos. At-
que hæc existimas nihil aliud scire, nisi inter agendum fru-
menta calcare? Quid enim aliud, inquam ego, scire possint
iumenta? Vt autē comminuatur id, quod comminui debet,
atque tritura fiat æquabilis, cuinam, mi Socrates, hoc tri-
buis? ait. Hauddubie, inquam, trituratoribus. Nam & in-
uertendo, & subiiciendo pedibus ea, quę necdum trita sunt,
semper scilicet id, quod exæquari oportet, egregie exæqua-
uerint, remque maturrime confecerint. In his ergo, ait, ni-
hil est quod tu minus, quam ego, scias. Secundum hæc mi
Ischomache, inquam ego, ventilando frumentum purga-
mus. Tu vero mihi dicito mi Socrates, ait Ischomachus, nū
scias futurū, vt si ab ea parte areæ incipias, qua vētus adlabi-
tur, paleę per areā vniuersam spargātur? Nimirū ita fieri ne-
cesse est, inquā ego. Ergo etiā est cōsentaneū, ait, eas in fru-
mētū incidere? Multū scilicet fuerit, inquā, paleas supra fru-
mentū in partē areę vacuā deferri. Quid si quis, ait, vētilādi
faciat initiū a loco, qui auersꝰ sit a vēto? Perspicuū est, inquā,
paleas mox in suo receptaculo fore. Verū vbi iā purgaueris,
ait, frumentum vsque ad areæ dimidium, num perges ita
reli-

reliquas paleas euētilare frumento diffuso, an parte purgata retro quam artissimo loco congesta? Congesto, inquam, frumento purgato, vt paleę vltra ipsum in partem areæ vacuam ferantur, ac non bis easdem euentilari paleas necesse sit. Profecto tu mi Socrates, ait, quo pacto frumentum purgari quam primum possit, vel aliū docere queas. At equidē, inquā ego, ignorabam me hęc scire, & quidem iamdudum. Quamobrem in mentem mihi venit, an etiam ignorem ipse, me & auri fundēdi, & canēdi tibia, & pingendi peritum esse. Nā hæc nemo me docuit, vti nec agri colēdi rationem. Video autē homines ita, vt agros colūt, etiā artes alias exercere. 864 Idcirco, ait Ischomachus, iamdudum dicebā tibi, hac etiam in parte agri colendi artem longe generosissimā esse, quod ad discendū sit facillima. Age vero, inquā, noui, mi Ischomache. Nam quum mihi de faciunda semente constaret, ignorabam ipse cognitum id mihi esse. Num igitur, inquam, ad artem agriculturæ pertinet etiam arborum consitio? Pertinet sane, ait Ischomachus. Qui ergo, inquā ego, quę ad sementē faciēdam pertinent scio, quū cōsitionis imperitus sim? Tu vero, inquit Ischomachus, non eius peritus es? Quo pacto? inquā, qui neq; in cuiusmodi solo cōsitio fieri debeat, noui; neque quam ad altitudinē infodi id, quod conseritur; neq; ad quā latitudinem, neq; quātā lōgitudinē in terrā demitti, neq; quo potissimū pacto collocari, vt facillime frondescat. Age vero, inquit Ischomachus, discito quod nescis. Vidisse autē scio te scrobes, quas plantis fodiūt. Sæpe quidem, inquam. Num igitur vidisti vmquam altiorē tribus pedibus? Non altiorem vidi, inquā ego, pedibus duobus ac semisse. Quid autem? numquā vidisti aliquando, cuius latitudo tres pedes excederet? Immo nō supra pedes duos, inquam. Age vero, inquit, etiā hoc mihi respōdeto, numquam vidisti scrobē, quæ *pedē vnū profunda nō esset? Immo ne pedis quidē vni⁹ & semissis, inquā ego. Nā plātę inter pastinandū effoderētur, si quidē vsq; adeo in summa soli superficie cōsertæ essēt. Ergo tu hoc, mi Socrates, inquit, satis nosti: nō effodi scrobes pedib. duob. ac semisse ꝓfundiores, nec minus profundas pede vno cū semisse. Nimirū id, inquā ego, oculis cōspici necesse est, quū adeo sit manifestū. Quid vero? ait, num intuēdo terrā sicciorē & humidiorē adgnoscis? Siccū mihi videtur, inquā, esse solū propter Lycabettū,

* Consule Notas.

& si quod aliud huic est simile. Humidum vero, quod est in palude Phalerica, & si quod illi simile est. Vtrum igitur in arido solo profundã plantæ scrobem foderes, an in humido? Profecto in arido, inquam. Nam si fodias in humido scrobem altam, aquam inuenies, neque poteris amplius in aqua plantam conserere. Recte mihi dicere videris, ait. Ergo tu, quum effossæ scrobes fuerint, quando vtræque plantæ collocãdæ sint, iam vidisti. Maxime, inquam ego: Quum igitur eas quam celerrime vis enasci, num germen surculi,
365 subiectum solo culto, citius existimas, per mollem terram penetrare, an per duriciem incultæ? Patet, inquam ego, citius id per cultum, quam per incultum solum pullulare. Erit igitur, inquit, plantæ terra subiicienda. Quid ni? inquã. Vtrum vero, si totum surculum rectũ statuas, vt ad cælum spectet, magis eum radices acturum arbitraris, an vero si obliquum nonnihil sub terra subiecta deposueris, vt instar litteræ Gamma supinæ iaceat? Sic est profecto, inquã. Plures enim hoc modo sub terra fuerint oculi, de quibus plantas sursum enasci video. Quamobrem existimo etiam oculos, qui sub terra sunt, idem facere. Quippe quũ multa germina enascantur de terra, puto celeriter plantam pullulare. Quapropter tu de his etiam, ait, idem quod ego * intelligis. Vtrum vero terram duntaxat adgesseris, an etiam bene circum plantam compresseris? Profecto comprimerẽ, inquit. Etenim nisi compressa sit, sat scio solum non cõpressum propter aquam instar luti futurũ, ac per solem ad imũ vsque siccum. Itaque periculum esset, ne plantæ ab aqua propter humoris copiam putrescerent: propter siccitatem vero, siue laxitatem terræ radicibus calefactis exarescerẽt. Itaque de vitium quoque, mi Socrates, consitione nihil nõ, quod mihi cognitum sit, intelligis. Num & ficus, inquam, sic erit conserenda? Sic arbitror, ait Ischomachus, atque etiam arbores frugiferas omnes ita conserendas esse. Nam quæ in vitium consitione recte conueniũt, cur in aliis consitionibus improbes? At oleam, inquam ego, quo pacto, Ischomache, cõseremus? Hac etiam in parte me tentas, ait, quum rectissime rem intelligas. Nam vides sane profundiorem oleæ scrobem fodi, quod maxima ex parte ad vias fodiantur. Vides & in omnibus seminariis esse stipites. Vides plantarum omnibus capitibus cœnum imponi, & partes

* *sentis. Æ. P. sic & infra.*

tes

tes in omnibus plantis summas esse tectas. Hæc omnia video, inquam. At quum videas, ait, quid eorum tibi cognitũ nõ est? Num ignoras, mi Socrates, ait, quo pacto supra cœnum testa collocetur? Nihil istorum profecto, inquã, Ischomache, quæ commemorasti, ignoro. Sed rursus mecum ipse cogito, quamobrem quum tu me summatim interrogares, an conserẽdi rationem tenerem, id negauerim. Non 866
enim videbar dicere posse, quo pacto consitio fiat. Verum idem posteaquã singillatim interrogare me cepisti, ea respondeo tibi, quemadmodum ais, quæ tu ipse scis, qui quidem insigniter agriculturæ peritus esse perhiberis. Num, inquam, Ischomache, interrogatio quædam est doctrina? Nã modo animaduerto, quo pacto de singulis ex me quæsiueris. Etenim dum me per nota ducis, atque his consimilia commonstras, quæ me putabam ignorare persuades, vt opinor, etiam illa me scire. An igitur ait Ischomachus, si etiam de argento te interrogem, bonum sit, necne; persuadere te possim, nosse te rationem explorandi bonos & adulterinos nummos? Itidem de tibicinibus si te rogem, num persuadere possim, scire te rationem canendi tibiis? itemq; de pictoribus & aliis huiusmodi? Fortassis, inquam ego, quando tu me persuasisti, peritũ me agri colendi esse, quanquam sciam hanc artem nullum vnquam me docuisse. Nihil horum est, inquit, mi Socrates. Immo iampridem dicebam tibi, tantam esse erga homines agriculturæ benignitatem, tamque mitem hanc artem esse; vt & videntes, & audientes statim peritos sui efficiat. Multa etiam ipsa docet, quo pacto quis ea pulcherrime vti possit. Primum vitis in arbores; si quidem aliquam arborem vicinam habeat, adscendens docet, qua ratione efficere debeas, vt vitis consistat. Deinde pampinos explicans, quamdiu sunt eius vuæ adhuc teneræ, docet ea, quæ tum tẽporis soli exposita sunt, vmbra quadam esse tegẽda. Quum autem iam tempus est, vt vuæ a sole dulcescant, tum foliis decidentibus docet ipsa, se nudari debere, ac fructum esse maturandum. Ob fœcunditatem vero, quod alias vuas maturas ostẽdat, alias adhuc crudiores ferat; decerpendum semper esse docet, quod turgeat, quemadmodum & ficus legi solent. Tum ego: Qui fit igitur, inquam, Ischomache, si quidem ea, quæ ad agriculturam pertinent, tam ad discendum facilia sunt, atq; omnes

ex æquo sciunt, quid in ea faciundũ sit, vt non etiam omnes pari ratione illam exerceant: sed alij magna rerum in abũdantia copiose viuant, alij ne quidem necessaria parare possint, atque etiam ære alieno sint obruti? Id equidẽ exponam tibi, Socrates, ait Ischomachus. Nec enim vel agricolarum
867 scientia, vel inscientia facit, vt aliis copia quędam suppetat, alij premantur inopia. Neque tu facile audiueris dici sermonem huiusmodi quemdam: Res familiaris pessum iuit, quod seminator non æquabiliter semen in agrum sparsit, quodque recte plantarum ordines non instituit: nec quod quum nesciret, an solũ aliquod vites ferret, in sterili eas solo cõseuit; nec quod ignorauit aliquis, etiã bonũ esse semẽti, noualẽ exerceri; nec ꝙ ignorauit, bonũ esse, terræ fimum admiscere: sed multo magis audire est, Ille frumentũ ex hoc fundo nullum accipit. Non enim curam adhibet, vt semen in eum spargatur, vel vt fimum habeat.* Vinum is non habet. non enim curam adhibet in conserendis vitibus, & colendis, quas habet, vt sint fertiles. Nec oleum nec ficus habet. non enim efficit cura studioque suo, vt habeat. Huiusmodi sunt, mi Socrates, in quibus agricolæ, quum inter se differant, etiam diuersam fortunam experiũtur; idq; multo magis, quam qui sapienter ad opera quiddam inuenisse existimantur. Etiam imperatores interdum quibusdam in actionibus imperatoriis, quum intelligentia non differãt, nihilominus alij meliores, alij deteriores sunt haud dubie ꝑpter diligẽtiam. Nã quæ duces omnes norunt, & priuatorũ pars maxima; ea duces alij faciunt, alij non faciunt. Verbi gratia, norũt omnes potius esse, vt qui per agrũ hostium trãseũt, instructis ordinib. iter faciãt, ꝙ ita dimicaturi commodissimè sint, si vsus ferat: hoc quũ sciãt, in quã, alij pręstãt, alij nõ. Norũt omnes optimũ esse, diurnas & nocturnas excubias ante castra cõstitui: verũ id quoq; vt fiat, aliis est curæ, aliis non est. Difficile sit aliquẽ reperire, qui quũ meatus angusti trãseundi sunt, nõ intelligat potiꝰ esse, præoccupari opportuna loca, quã nõ: nihilominus hoc quoq; alij faciũt, alij nõ. Etiã fimũ aiunt omnes ad agriculturã optimũ quiddam esse, ac prouenire hunc sua sponte vident: tamen vtut accurate sciant, quo pacto conficiatur, ac facile copiam eius haberi posse, curam adhibent alij, vt colligatur, alij negligunt. Atqui aquam Deus, qui supra nos est, suppeditat: & omnia

**Cicero apud Macrobium in 3. Neq; serit vitem, neque quæ sata est, diligẽter colit: oleum, ficus, poma non habet.*

&omnia caua, paluſtria fiunt: & variam materiem ſolum
ipſum præbet, quod quidẽ ab ea purgare debet, qui ſemen-
tem eſt facturus. Quæ vero remouentur, de iis in aquam 868
coniectis tempus ipſum effecerit * aliquid terræ gratum.
Nam quæ materies, quæ terra non in aqua conſiſtente fi-
mus fit? Quam item curationẽ ſolum requirat, ſiue humi-
dius æquo ad ſementem, ſeu ad conſitionem ſalſius, norunt
omnes: item quo pacto foſſis aqua educatur, & terra ſalſa
corrigatur, miſcendo eam cum aliis non ſalſis, & humidis,
& ſiccis: verum hæc quoq; nonnulli diligentia ſua comple-
ctuntur, alij non item. Quod ſi quis omnino ignoret, quid
ferre ſolum poſſit, ac neque fructum ipſius aliquem, neque
plantam inſpiciendi copiam habeat, neq; ſit, ex quo verum
audire de eo poſſit: annon multo facilius eſt cuiuis homini
facere ſoli periculum, quam vel equi, vel hominis? Nec e-
nim quidquam eſt, quod fallẽdi cauſſa oſtentet: ſed ſimpli-
citer quid vel poſſit, vel non poſſit, declarat cum indicatio-
ne veritatis. Videtur etiam mihi terra ignauos & induſtrios
egregie explorare, quę omnia ad cognoſcendum ac diſcen-
dũ facilia exhibeat. Non enim vt in artib. ceteris vti excuſa-
tione inſcitiæ licet iis, qui eas non exercent, ita etiã heic fit:
ſed terrã norunt omnes quũ beneficiũ accipit, beneficium
rependere. Quæ autẽ per agriculturã exercetur, ea inſignis
eſt ignaui animi accuſatrix. Nam poſſe hominẽ abſq; neceſ-
ſario victu viuere, nemo ſibimet ipſi perſuadet. At qui artẽ
aliam nullã, qua rem faciat, nouit; neq; agrũ colere vult; is
præ ſe fert, ꝙ vel furando, vel prædando, vel mendicãdo vi-
ctũ quærere cogitet; aut omnino rationis omnis eſt expers.
Aiebat etiam multũ in hoc, vt agricultura, vel fructuoſa ſit,
vel cum detrimẽto cõiuncta, ſitũ eſſe; ſi, quũ operarij ſunt,
& quidẽ complures, alius curã adhibeat in hoc, vt operarij
ſuo tẽpore opere faciundo occupẽtur, alius id non curet. Nã
facile vir vnus decẽ aliis præſtat, ſi ſuo tẽpore opus faciat: a-
lius in hoc præſtat ceteris, ꝙ ante tempus non diſcedit. Per-
mittere autẽ hominibus, vt toto die ſegniter opus faciãt, id
vero facile totius operis dimidiã partem differt & extrahit;
ſicut & in itinerib. ad ducẽta ſtadia, nonnunquã homines a
ſeinuicẽ ſtadiis centũ diſtãt ob celeritatẽ, quanquã & ambo
ſint iuuenes, & valetudine integra vtãtur: quũ ſcilicet vnꝰ id
agit, cuiꝰ cauſa ꝓficiſcẽdi fecerat initiũ, aliꝰ animo eſt ſoluto,

* ea, quib. terra delectatur. περίφρασις τῆς κόπρου, id eſt, fimi. Æ.P.

869 ac propter fontes, & sub vmbris quiescendo se recreat, omniaque spectat, & auras teneras captat. Sic etiam in ipsis operibus perficiendis multum inter se differunt ij, qui agunt quod est ipsis mandatum, & qui hoc non agunt, sed ne opus faciant, prætextus quosdam inueniunt, concessa etiam otiandi facultate. Recte autem opus facere, vel negligenter curam faciundo adhibere, tantum inter se discriminis habent; quantum inter se differunt prorsus opus facere, vel prorsus otiosum esse. Vt quum pastinantes, qui purgare vites a materia vepribusque debent, sic pastinant, vt & copiosior, & pulchrior materia succrescat; quo pacto non esse dixeris hoc otiosum? Quæ igitur familias detrimento adficiant, multo magis hæc sunt, quam illæ imperitiæ nimiæ. Nam quum sumptus integri ex re familiari procedunt, opera vero non perficiuntur ita, vt ex sumptu aliqua redeat vtilitas: mirum videri non debet, egestatem hinc pro abundantia rerum oriri. Eum vero quæstum ex agricultura, qui diligentiam adhibere valentibus, & non sine contentione virium agriculturam exercentibus ad parandam rem efficacissim' est, pater meus & ipse fecit, & me docuit. Nunquã enim permittebat, vt agrum emerem cultum: sed hortabatur, vt eum, qui vel per negligentiam, vel possessorum inopiam incultus, minimeq; consitus esset mercarer. Nam agros excultos magno parari pretio dicebat, & incrementũ nullum habere. Qui autem incrementum nullum haberet eos neque voluptates pares suppeditare ducebat. Nimirũ, quidquid vel possideretur, vel educaretur, quod in melius proficeret, id etiam plurimum delectationis adferre putabat. Nihil autem maius incrementum habet, quam si fundus fertilissimus ex inculto fiat. Certe, mi Socrates, scire debes, nos complures fundos effecisse tales, vt iam multiplic iter antiquum pretium superent. Atque hoc inuentum, Socrates, tanti est pretij, tamque ad discendũ facile: vt quũ modo primum illud audieris, æque tamen eius peritus, atque ego, discedas: possisque, si velis, alium etiam docere. Meus quoq; pater neque didicit illud ab alio, neq; sollicite meditando reperit: sed propter studium agriculturæ ac laborum, quo flagrabat, talem se fundum concupiuisse narrabat, vt simul & quod ageret, & de quo vtilitate percepta delectaretur, haberet. Erat enim a natura pater meus, mi Socrates

crates, omnium Atheniensium agriculturæ, mea quidē sententia, studiosissimus. Quibus auditis, equidem ex ipso quærebam: Vtrum autē, inquam, Ischomache, pater tuus fundos omnes, quos excoluit, possedit ipse: an etiam vendebat eos, si magnum aliquod pretium reperiret? Vendebat certe, ait Ischomachus, verum mox vicissim venditi loco aliū emebat incultum, idque propter studium faciundi operis, quod in ipso erat. Dicis tu, inquam ego, Ischomache, patrē tuum reuera nihilo minus a natura studiosum agriculturæ fuisse, quam mercatores frumenti sunt cupidi. Nam quia studiosissimi sunt frumenti, vbicumq; maximam eius esse copiam audierint, eo se nauigiis conferunt, traiecto Ægeo, Euxino, Siculo mari. Posteaquam tantam eius nancti sunt copiam, quantam possunt maximam: per mare auehunt, & quidem illam in nauim collocatum, qua ipsimet vehuntur. Vbi pecunia ipsis opus est, non temere illud quouis loco abiiciunt: sed vbi maximum eius esse pretium audierint, & vbi sint homines, qui frumentum quantiuis æstiment, illis adferunt, ac venditum tradunt. Eodem modo pater tuus fuisse studiosus agriculturæ videtur. Ad quæ Ischomachus: Iocaris tu quidem, ait, Socrates. Verum ego nihilominus exstruendarum ædium studiosos arbitror esse, qui ædificiis absolutis ea vendunt, ac alia deinde ædificant. Immo per Iouem, inquam, iuratus dico tibi, mi Ischomache, omnino me tibi credere; qui existimes, omnes ea diligere, de quibus aliquid se percepturos vtilitatis putant. Verum cogito, inquam, Ischomache, quā egregie totam orationē instituto argumento opitulantem exhibueris. Sumebas enim hoc argumentum, artem agriculturæ ad discendū inter omnes alias esse facillimam Iam vero de omnibus, quæ dixisti, ita se hoc habere prorsus abs te persuasus sum. Sic est, ait Ischomachus. De hoc autem, mi Socrates, quod omnibus est actionibus commune, tum agriculturæ, tum administrationis ciuilis rationi, tum domesticæ, tum bellicæ rei, nimirum vt quis regēdi peritus sit; adsentior equidē tibi, alios aliis iudic o multū præstare. Sicut in triremi, quum in alto diurnæ sunt nauigationes conficiendæ, alij ex eorū numero, qui hortando nautas excitant, eiusmodi quædam proferre ac facere possunt, vt hominum animos exacuant ad sponte laborādum: alij tam sunt imperiti, vt duplo plus

temporis in eadem nauigatione conficiunda consumant.
871 Rursus illi cũ sudore ac mutua prædicatione tam eius, qui cohortatur, quam qui obtemperant, de naui egrediuntur: hi sine sudore veniunt, ac nõ solum ipsi præfectum odere, sed etiam prçfectus ipsos vicissim. Eodem modo etiam imperatores alij ab aliis differunt. Nam alij milites exhibent eiusmodi, qui neq; laborem vllum suscipere, neq; periculũ adire, neq; dicto audientes esse, nisi quantum necessitas vrgeat, velint; atq; etiam magnifice se efferant propterea, quod duci suo aduersentur. Iidem exhibent quoq; nonnullos, qui, si quid accidat rei turpis, adfici pudore nesciãt. Contra diuini, & boni, & periti rectores, quum vel hos ipsos, vel alios etiam sæpenumero accipiunt, talibus ipsis vtuntur; vt turpe quiddam patrare verecundia præpediti nolint, ac rectius esse arbitrentur parere, atque etiam singuli obœdientia delectentur, & vniuersi, quũ labores suscipi necesse est, non illubenter eos suscipiant. Nimirum vt priuatis nonnũquam hominibus laboris studium innascitur, sic etiam in exercitu toto a bonis imperatorib. studium quoddã excitari solet, vt omnes & laborare, & ambitiose conspici cupiant a rectore suo, dum præclarum aliquod facinus edunt. Ceterum erga quoscunq; rectores hoc modo milites, qui eos sequuntur, adfecti sunt, hi vero potentes rectores euadunt; non illi quidem, qui robustiore sunt corpore prçditi, quam ipsi milites; & iaculandi sagittandique artem optime tenẽt, ac optimum equum habent, vt tamquam præstantissimi equites & cetrati ante alios discrimen adeant: sed qui hoc in militum animis efficere possunt, vt per ignem, & quoduis periculum, sequendum statuant. Hos certe merito quis magnanimos dixerit, quos sequuntur multi, eadem cum ipsis sentientes. Itidem par fuerit dicere, magna cum manu cum proficisci, cuius voluntati multæ manus obsequi volunt: ac magnus idem reabse vir est, qui res magnas consilio potius, quam robore perficere potest. Sic in operibus cuiusque suis, siue villicus sit, qui præest, seu magister operariorum, quicumque præstare suos alacres, & contentis viribus laborãtes, & adsiduos potest; illi vero sunt, qui proficiunt in bonis, & abundantiam quamdam rerum ingentem comparant. Domino certe, mi Socrates, ipso in opere conspecto, qui & ignauũ operarium maximo adficere malo pos-

lo possit,& alacrē honore maximo ornare; si quidem nihil ab operariis insigne fiat,nō possum equidem eum admirari. Quo vero conspecto moti fuerint,& quidā impetus operarios inuaserit,itēq; contentio mutua,& ambitio,quę nemini non est optima:hunc equidē regiū quoddam ingeniū habere dixerim. Atq; hoc,mea quidē sentētia, vt quouis in opere maximū est, vbi per homines aliquid efficitur,ita etiam in agricultura. Non tamen id profecto disci posse dico vel intuendo,vel audiēdo semel: sed equidē aio etiam institutione illi opus esse,qui præstare id velit, atq; vt indoles in eo bona sit: quod deniq; maximū est, diuinus sit homo necesse est. Quippe nō omnino mihi videtur totū hoc bonum humanum esse,vt aliquis non inuitis imperet,sed diuinum: quod quidem iis certo datur, qui reuera prudentiæ sacris initiati sunt. At inuitos tyrānide quadam premere,mea quidē sententia datur iis,quos dignos esse dij statuunt, vt sic vitā degant, quemadmodū apud inferos agere Tantalum perhibent in omne æuum metuentem,ne bis moriatur. 87 a

XENOPHON. CONVIVII
Argumentum.

1. Cur iste conuiuij libellus a Xenophonte scriptus. 2. Conuiuatoris, & conuiuarum nomina, locus, vbi conuiuium celebratū, tempus, causa. 3. Amoris quanta vis. 4. Phillipi ioculatoris ad cōuiuium non vocati aduentus, & causa. 5. Eiusdem, risus mouendi frigidæ, ac ineptæ rationes. 6. Risu sublato actum de ioculatorum artibus, quibus alienas epulas captant. 7. Varia voluptatum genera, quibus Callias eos exhilarauit, quos conuiuio exceperat. 8. Vnguentorum, ac odorum varius vsus, de quo Socrates disserit. 9. Odores quinam præstantissimi. 10. Sexus muliebris indoles quantum a virili differat. 11. Xanthippe Socratis vxor qualis, & cur eam Socrates duxisset. 12. Socrates cur domi saltaret, atq; adeo saltandi artem discere cuperet. 13. Bonæ valetudinis tuendæ ratio. 14. Vini laudes. 15. Vini modice sumpti commoda. Immodice sumpti incōmoda. 16. Similitudine res illustratur. 17. Paupertatis commoda. 18. Varia, eaq; faceta conuiuarum variis de rebus colloquia. 19. Vates plerique quid aliis euenturum sit prædicunt, sibi vero quid sit euenturū, ignorant. 20. Homericorum poematum excellentia, cuius notitia mortalibus omnibus est vtilissima. Cur. 21. A formosorum osculis

cur abstinendum. 22. Paupertas diuitiis cur anteponenda. 23. Paupertatis commoda, & diuitiarum incommoda repetuntur. 24. Paupertas, & opes non in ædibus: at in animis hominum sitæ. Quare pro cuiusq; moribus, & vitæ genere, quisq; vel pauper, vel diues est habẽdus. 25. Paupertas, & pluris habẽdi cupiditas quot, & quantorum malorum sit causa. 26. Quænam sint veræ diuitiæ, quæ possessoribus auferri nequeunt. 27. Socrates cur lenocinij nomine se gloriari diceret. 28. Lenonis officium. 29. Pulchritudo quibus de rebus, quomodo, & cur dicatur. 30. Oculi quinã præstantissimi. 31. Παρoινία quid. 32. Variæ quæstiones partim ioci plenæ, partim seriæ. 33. Amoris vis repetitur. 34. Venus duplex, vulgaris, & cælestis. Quid vtraque faciat. 35. Amor animi, corporis amore longe præstantior. Causæ. 36. Vtrum is, qui persuadendo fruitur amoribus, an is, qui per vim idem facit, grauius, & quomodo peccet. 37. Ganymedes a Ioue cur in cœlum translatus.

XENOPHONTIS CONVIVIVM.



MIHI vero memoratu digna esse videntur, quæ ab honestis & præstantibus viris nõ tantum serio, sed etiam inter iocandum aguntur. Quibus autem interfuerim, vnde sic statuam; equidem indicare volo. Panathenæis magnis equestres ludi celebrabantur, & Callias, Hipponici filius, Autolycum adhuc puerum, quem amore complectebatur, forte tũc quinquertij victorem ad ludorũ spectacula deducebat. Posteaquam ludi equestres peracti fuissent, Callias vna cum Autolyco, eiusque patre, ad ædes suas, quas habebat in Piræeo, pergebat: etiam comitante Nicerato. Qui ubi que Socratem, & Critobulum, & Hermogenem, & Antisthenem, & Charmidem congressos eodem loco conspexisset; iusso quodam eos deducere, qui erant cum Autolyco, accessit ad hos, qui erant apud Socratem, &: Peropportune, inquit, in vos incidi. Nam Autolycum, eiusque patrem, conuiuio sum excepturus. Quamobrem futurum existimo,

existimo, vt huius adparatus illuſtrior ſit ſpecies, ſi viris, 873
quibus animi purgati ſint, quo in numero vos eſtis, ornatū ſit conclaue virorum potius, quam imperatoribus, & equitum magiſtris, & magiſtratuum petitoribus. Ad ea Socrates: Semper tu nos contemnendo irrides, ait, quod ſapientiæ diſcendæ nomine ingentem Protagoræ pecuniam dederis, & Gorgiæ, & Prodico, & aliis multis; nos vero videas noſtramet opera ſapientiæ ſtudium conſectari. Tum Callias: Equidem antehac, ait, occultabam multa, eaque ſapientiæ plena, quæ proferre poteram. Verum ſi iam apud me fueritis, demonſtrabo vobis, eſſe me quantiuis hominem pretij. Socrates autem, & qui aderant ei familiares, initio collaudata, ceu par erat, ipſius inuitatione; cœnaturos ſe cum eo non policebātur. Quum autem præ ſe ferret, grauiter ſe laturum, ſi non ſequerentur, comitati ſunt eum. Deinde partim exercitati & vncti, partim etiam loti quum eſſent, ingreſſi ſunt: Autolycus apud patrem adſidebat, aliis vti conueniebat accūbentibus. Ac initio quidem, vbi ſtatim aliquis animaduertiſſet, quid ageretur; elegantiam formæ a natura quiddam eſſe regium exiſtimaſſet, præſertim ſi quis hanc, vt tum Autolycus, cum verecundia modeſtiaque coniunctam haberet. Primum enim, veluti quum noctu iubar aliquod exoritur, omnium oculos illud in ſe conuertit: ita tum quoque Autolyci venuſtas oculos omnium ad ſe trahebat. Deinde illorum, qui eum adſpiciebant, nemo erat, cuius animus hunc intuendo non adficeretur. Alij plus ſolito ſilebant, in aliis geſtus etiam aliquis nouus cernebatur. Ac videntur quidem omnes ſpectatu digni, qui ab aliquo deum adflati detinentur: verum quibus a diis ceteris id accidit, præterquam quod adſpectu ſunt truculentiores, & in loquendo terribiliores, etiam vehementiores eſſe videntur. At vero qui ab amoris pudici numine adflati ſunt, ij tum quod oculos adtinet, amabiliores ſunt; tum vocem mitiorem fingunt, & geſtus ad ſpeciem quandam maxime liberalem conformant. Quæ quum id temporis præ amore Callias faceret, conſpicuus illis erat, qui eſſent huic deo initiati. Atque hi quidem cœnabant taciti, quaſi mandatum hoc ipſis ab aliquo potiore fuiſſet. Philippus autem ioculator, quum fores pulſaſſet, iuſſit vt is, qui venerat auditum, quid vellet, renuntiaret intro, qui-

nam esset,& quamobrem ad ipsos diuertere vellet. Adde-
874 bat,se instructum adesse ab omnibus rebus necessariis, ad
sumendũ cœnam alienam. Etiam puerũ,aiebat admodum
premi, tum quod nihil ferret, tum quod esset impransus.
Quibus auditis Callias: Turpe fuerit,ait,o viri,tectũ ei de-
negare. Quamobrẽ ingrediatur sane. Simul vultu ad Au-
tolycũ cõuerso,cuiusmodi scilicet is iocus illi visus esset, cõ-
siderabat. Philippus autem quũ ad virile contuberniũ con-
stitisset,vbi tum cœnabatur: Nostis,ait,omnes,esse me io-
culatorẽ. Lubens autẽ veni, quòd magis esse ridiculũ existi-
marem,ad cœnam inuocatũ accedere, quã si inuitatus es-
sem. Accumbito igitur,ait Callias. Nam quotquot heic ad-
sunt,toti rebus abundant seriis,vt vides,ac risu fortassis in-
digent. Inter cœnandũ Philippus statim ridiculi quiddam
dicere conabatur,vt nimirum perageret ea,quorum caussa
vocari plerumque ad cœnas consueuerat. Verũ vbi risum
non mouisset,moleste id se ferre nõ obscure indicabat: nec
multo post, rursum aliud quiddã rei ridiculæ proferre vo-
lebat. Quũ autẽ ne tum quidem ad id arrisissent,a cibis ab-
stinuit;ac interim cœnantibus aliis,caput obnubẽs, ita ia-
cebat. Et Callias: Quid hoc rei est,Philippe? ait. Num te do-
lor aliquis inuasit? Tum ille suspirãs: Ingens profectò qui-
dam,inquit,mi Callia. Quippe quum risus ex hominum vi-
ta perierit,actum est de rebus meis. Nam antehac propter-
ea vocabar ad cœnas, vt quotquot adessent, excitato per
me risu exhilararentur. Nunc verò cuius me rei caussa quis-
piã inuitet? Etenim seria proferre nõ magis equidẽ possum,
quam immortalis fieri: neque vocabit me quisquam scili-
cet, vt a me vicissim inuitetur, quod norint omnes, prorsus
in more non esse, vt cœna meas in ædes inferatur. Atque
interim dum hæc diceret,nares emungebat,& voce fletum
egregie exprimebat. Quamobrem omnes hominẽ cõsola-
ri,quasi mox risuri essent;atq; vti cœnaret, hortari; Crito-
bulo in hac cõmiseratione cachinnum tollente. Ibi Philip-
pus,qui risum audiisset detecta facie suum ipsius animũ co-
hortatus,vti confideret,non defutura sibi conuiuia, rursus
cœnabat. Mensis tamdem ablatis,ac libationibus pæaneq;
absolutis: Syracusanus quidam ad comesationem accedit;
qui secum & tibicinam egregiam, & saltatricẽ ex earũ nu-
875 mero haberet,quę mira quædã efficiũt,itẽq; formosum ad-
modum

modum puerum, belle admodum canentē cithara, & saltātem. Atq; hæc ille miraculi loco exhibēdo, pecuniā accipiebat. Posteaquā tibicina & puer cecinissent, illa tibia, hic cithara, viderenturq; satis homines exhilarasse: Profecto mi Callia, inquit Socrates, conuiuio nos absoluto reb. omnib. excipis. Non enim tantum cœnā minime contemnendam nobis adposuisti, sed etiā spectacula & acroamata iucundissima exhibes. Tum ille: Quid ergo? inquit, si quis vnguentum nobis adtulerit, vt etiā fragrantia odoris excipiamur? Nequaquā, ait * Socrates. Nam vti vestis alia viro, alia mulieri pulchra est: sic alius odor virum, alius mulierem decet. Nemo certe virorū vnguento viri caussa sese vngit. Mulieres vero, præsertim si sponsæ sint, quemadmodū iam est illa Nicerati, & Critobuli, nec illæ quidem vnguento indigent aliunde. Nam ipsæmet vnguentum redolent. At odor olei, quo in gymnasiis vtimur, si quidem adsit, gratior est, quam vnguenti mulieribus, & magis si absit expetitur. Etenim si quis vnguento sit delibutus, siue seruus, seu ingenuus; mox illorum quiuis eodē modo redolet. At qui sunt ex laborib. exercitiorum liberaliū odores, primū & exercitationes & longum tempus desiderant, si quidem & suaues & liberales esse debeant. Tum Lyco: Hæc igitur ad iuuenes pertinent, ait. Nos autem, qui exercitiis illis nō amplius vtimur, quid redolere debemus? Virtutem profecto & honestatē, ait Socrates. Atq; vnde quis illud vnguentū sumserit? Nequaquā certe, ait, ab vnguētario. Vnde igitur queso? Theognis dixit

Tradent nempe boni bona. sed si vixeris inter

Prauos, amittes quod tibi mentis adest.

Tum Lyco: Audis hęc, inquit, fili? Audit profecto, ait Socrates, & quidem ad vsum confert. Quapropter vbi talis quinquertij victor fieri volet, te in consilium adhibebit, vt eius vti consuetudine possit, qui ad exercēdum hoc studij genus illi maxime conducturus videbitur. Atq; heic varij multorum sermones erant. Vnus inter alios aiebat: Vbinā ad hoc magistrum reperiet? Alius ne doceri quidem id posse, dicebat. Rursus alius quispiam, si quid esset aliud, quod disci posset, hoc certe posse. Tum Socrates: Quando controuersum hoc est, inquit, in aliud tempus reiiciamus. Nunc quæ proposita sunt, absoluamus. Nam video saltatricē hanc adstare, & orbes quendā ei adferre. Secundū hęc tibia canebat

* *Socrates de vnguenti vsu disserit.*

illa altera, & adstans saltatrici quidam, rotulas ei tradebat ad duodecim. Quibus acceptis illa, simul & saltabat, & vibratas iactabat sursum, facile coniiciēs, quantam in altitudinem coniiciendæ essent, vt eas concinne posset excipere. Tum Socrates: Quum ex aliis rebus, inquit, amici, tum ex iis, quæ puella hæc præstat, perspicuum est: sexus muliebris indolem nihilo deteriorem esse virili, nisi quod & consiliū, & robur quoddam eum deficiat. Quapropter si cui vestrum vxor est, fidenter eam doceat, quidquid tamdem sit, in quo illam peritam habere cupit. Heic Antisthenes: Cur igitur, ait, qui ea sis in sententia, Socrates, non tu quoq; Xanthippam instituis, quam vxorem habes omnium, quæ sunt, & fuerunt, vt arbitror, & deinceps erunt, acerbissimā? *Quod, inquit, eos etiā video, qui equestris rei peritissimi fieri volunt, non illos sibi equos comparare, qui lubentissime pareant; sed valde animosos. Existimant enim se, si tales cohibere possint, facile alios etiam equos tractaturos. Itaque & ipse quum vti hominum consuetudine cuperem, hanc mihi quæsiui; quod futurum scirem, vt si eam tolerare possem, facile cum vniuersis hominibus ceteris versarer. Atque hęc oratio sic tum proferri visa est, vt minime a scopo aberraret. Secundum hæc illatus est circulus quidam, gladiis erectis vndique plenus. Atque in hos gladios illa saltatrix ita proruebat, vt supra eos euecta, tamdem in caput prouolueretur. Itaque metuebant spectatores, ne quid accideret ei; quum illa confidenter ac tuto hæc faceret. Tum Socrates adpellato Antisthene: Non amplius contradicturos mihi spectatores arbitror, ait, quin fortitudo quoque sub doctrinam cadat: quando hæc tametsi mulier sit, tam audacter in aduersos gladios pergit. Ad hæc Antisthenes: Ergo fuerit huic Syracusano, ait, optimum, vt saltatrice sua ciuitati ostensa dicat se, si pecuniam ei largiantur Athenienses, effecturum, vt audeant omnes Athenienses in hastas aduersas pergere? Tum Philippus: Profecto, inquit, lubenter equidem Pisandrum concionatorem spectare velim discentem hanc rationem prouoluendi se inter gladios in caput: qui
877 nunc propterea, quod hastas aduersas intueri nequeat, ne quidem cum aliis militatum ire vult. Deinde puer saltabat, ac Socrates: Videtis, inquit, quam elegans hic puer sit, verum si gestus adhibeat, etiam elegantior videatur, quam

Quamobrem Socrates Xãthippã duxerit

si quies-

ſi quieſcat. Tum Charmides: Videris, ait, mihi magiſtrum ſaltationis huius laudare velle. Sic eſt profecto, inquit Socrates. Nam præterea quiddã aliud animaduerti, quod videlicet in ipſa ſaltatione nulla pars corporis otioſa eſſet: ſed ſimul & collum, & crura, & manus exercerentur, quemadmodum ſaltare cõuenit eum, qui corpus agilius habere velit. Ac equidem, ait, perlubenter, mi Syracuſane, geſtus hos abs te diſcerem. Et ille: Cuinam igitur, ait, vſui tibi fuerint? Saltabo ſcilicet. Tum vero ſublatus ab omnib. riſus. Et Socrates vultu maxime ad ſeriam quamdam ſpeciem compoſito: Meane cauſſa ridetis? inquit. Nũ id propterea, quod exercendo me efficere cupio, vt rectius valeam, vel quod maiori cũ voluptate cibis veſci ac dormire velim, vel quod hæc exercitia deſidero, vt mihi non, quemadmodum in ſtadio currentibus vſuuenit, crura compactiora fiant, humeri tenuiores; nec pugilum inſtar humeri craſſeſcãt, crura adtenuentur: ſed toto corpore laborando, vniuerſum etiam eodem vt robore polleat, efficiam? An potius ea de cauſſa ridetis, quod minime futurum ſit neceſſarium, vt quæram exercitationis ſocium, neque vt in turba me prouectæ vir ætatis exuam: ſed ſuffectura mihi ſit domus ſeptem lectulorum capax, quemadmodum huic etiam puero ſatis hoc conclaue fuit, in quo ſudaret? Tum quod per hyemem ſub tecto me ſim exerciturus, viciſſim vbi magnus æſtus fuerit, in vmbra. An id potius ridetis, quod quum ampliorẽ, quam par ſit, vẽtrem habeam, reddere hunc aliquanto minorem velim? An neſcitis Charmidem hunc nuper admodum me ſaltantem mane deprehendiſſe? Profecto ſic eſt, ait Charmides. Et initio quidem obſtupui, ac ne inſanires, veritus ſum. Verum vbi te audiui cõſimilia dicere iis, quæ nunc dicis: etiam ipſe domum vbi veniſſem, non ſaltabam quidem, quando id numquam didici; ſed manibus geſticulabar, quod facere noram. Eſt ita profecto, inquit Philippus. Nam crura videris tam æqualis habere cum humeris ponderis, vt ſi apud annonæ præfectos inferiorum pondus examinares ad ſuperiora, ſicut in panibus fieri ſolet,
non multatus euaderes. Tum Callias: Me vero arceſſe, ait, 878
mi Socrates, quum ſaltandi rationem voles diſcere, vt tibi me opponam, & vna diſcam. Age vero, inquit Philippus, etiam mihi tibiam inflet, vt & ipſe ſaltem. Quumq; ſurrexiſ-

set, hinc inde incedebat ac pueri puellæq; saltationem imitabatur. Primum vero, quod prædicassent puerum, qui ex gestibus etiam pulchrior exstitisset: ipse contra, quamcumque corporis partem mouisset, vt magis ille motus, quam esset reabse, ridiculus videretur, effecit. Quod autem puella flexo retro corpore rotas imitaretur, id ipse sic exhibebat; vt in anteriorem partem sese demittens, rotas imitari conaretur. Tandem quia puerum laudabãt, qui inter saltandum corpus vniuersum exerceret: iussa fidicina celeriorem aliquem numerum proferre, crura, manus, caput, omnia simul iactabat. Posteaquã defatigatus esset: Hoc argumento est, inquit in lectulum procumbens, etiam meas saltationes egregie corpus exercere, quod sitiam. Infundat mihi puer magnam illam pateram. Et nobis quoq;, subiecit Callias. Quippe nos etiam sitiuimus, dum te ridemus. At Socrates: Enimuero, ait, o viri, etiam mihi vel maxime videtur esse bibendum. Nam reuera vinum, dum animos rigat, mœrores quidem perinde, ac mãdragoras homines, sopit; & hilaritates perinde, ac oleum flammam, excitat. Videtur autem mihi hominum quoque corporibus idem accidere, quod terra nascẽtibus. Nam quum hæc a Deo rigantur imbre nimio, non possunt erigi, nec ab auris perflari. At vbi tantum hauriunt, quantum eis gratum est: admodum erecta incrementum sumunt, ac florentia consequuntur, vt fructus ferant. Ita nos quoque, si potum immodicum infundamus, mox & corpora nobis, & animi vacillabunt; ac ne quidem respirare, nedum proferre quidquam poterimus. *At si pueri minutis poculis crebro nos quasi rore quodam adsperserint, vt & ipse verbis Gorgianis vtar, tum scilicet non coacti a vino temulenti fiemus, sed persuasi ad ludicra descendemus. Atque hæc tunc omnibus ita placuerunt. Philippus autem adiecit, debere pocillatores imitari strenuos aurigas in eo, vt pocula celeriuscule circumagerent: quod quidem a pocillatoribus est factum. Secundum hæc lyra puer ad tibiam accõmodata, & cithara vtebatur,
879 & canebat. Quod quum laudassent vniuersi, Charmides ait: Mihi vero videtur, o viri, quemadmodum de vino dixit Socrates, ita puerilis hæc venustas commista sonis illis mœrores sopire, ac venerem excitare. Tum Socrates rursum: Videntur hi quidem, ait, o viri, satis delectare nos posse: ve-

*Cicer. in Catone maiore: Delectant me pocula, sicut in symposio Xenophontis, minuta & rorantia.

rum

rum sat scio nos existimare, quod illis multo simus meliores. An non igitur est turpe nos, quum vna simus, non eniti, vt nonnihil inuicem & commodi nobis, & hilaritatis adferamus? Tum vero complures: Ergo tu nobis exponito, inquiunt, quos adtingere sermones oporteat, vt id maxime consequamur. Equidem, ait, lubentissime frui Calliæ promisso velim. Dicebat enim, si cum ipso cœnaremus, ostentaturum se nobis sapiētiam suam. Ostendam equidem, ait, siquidem vos quoque vniuersi, quicquid boni nostis singuli, in medium contuleritis. At nemo est, qui aduersetur, ait, quo minus indicaturus sit, quidnam quisque maximi faciundum scire se arbitretur. Ego igitur vobis dico, quo me potissimum efferam. Nam arbitror posse me homines meliores efficere. Tum Antisthenes: Vtrum, inquit, artem aliquam sordidam docendo, an honestatem? Iustitia est honestas. Est profecto inquit Antisthenes, & quidē ea, de qua minime dubitari debeat. Nam fortitudo & sapientia nonnumquam & amicis, & reipublicæ videntur esse noxiæ: verum iustitia ne parte quidē minima cum iniustitia miscetur. Posteaquam igitur vnusquisque nostrum dixerit, quid habeat rei vtilis, tum & ego dicere non grauabor, quanam illud arte efficiā. Tu vero, Nicerate, dicito nobis, cuius scientiæ caussa elato sis animo. Pater meus, ait Niceratus, quū studiose daret operam, vt in virum honestum ac bonum euaderem, coegit omnes Homeri me versus discere. Iamq; adeo possem totā Iliadem & Vlyßeam de memoria promtam recitare. Verum ignoras, inquit Antisthenes, etiam omnes versuum recitatores eosdem versus tenere? Qui possim ignorare? ait, quum propemodū singulis eos dieb. audiam. An igitur vllam nationem hominū stultiorem nosti, quam sint illi versuū recitatores? Non profecto, inquit Niceratus, non ita mihi videtur. Perspicuū est enim, ait Socrates, illos versuum sententias non intelligere. Tu autem Stesimbroto, & Anaximandro, & multis aliis non parum pecuniæ dedisti: quo fit, vt nihil eorum, quæ magni sunt facienda, ignores. Quid tu vero Critobule, inquit, habes rei, quo te plurimum effers? Ob formę elegantiā, ait. Num igitur & tu, inquit Socrates, dicere poteris, te pulcritudine tuā posse nos meliores reddere? Ni possim id, perspicuū est, me nullius hominē pretij visum iri. Quid tu autē Antisthenes?

ait, quam ob rem te effers? Ob diuitias, inquit. Quem rur-
sus Hermogenes interrogabat, an multum haberet argen-
ti. At is cum iureiurando, ne obolum quidem habere se ait.
Sed multum agri possides? inquit. Fortasse tantum, respon-
dit, quantum huic Autolyco satis sit, de quo se puluere con-
spergat. Sed & tu audiendus es. Quanam re, Charmides, te-
met effers? Equidem me, inquit, ob paupertatem effero.
Profecto, ait Socrates, iucundam quidem ac gratã ob rem:
quæ minime obnoxia est inuidiæ, minime pugnas de se
concitat, sine custodia seruari potest, neglecta deniq; vires
adquirit. At tu Socrates, inquit Callias, qua re fretus de te
magnifice sentis? Ille vultu maximam ad grauitatem com-
posito: Lenocinio, respondit. Quumq; risissent omnes pro-
pter ipsum. Vos quidem ridete, inquit, at ego scio me ma-
gnam accipere posse pecuniæ copiam, si hac arte velim vti.
Et Lyco Philippum indicans: Tu quidem, ait, idcirco te ef-
fers, quod risum excitare potes? Iustius, inquit, mea quidẽ
sententia, quam Philippides histrio, qui mirifice propterea
superbit, quod multis lacrumas excutere possit. An non tu
quoque, mi Lyco, subiecit Antisthenes, indicabis, quam ob
caussam elato sis animo? An nõ vobis omnibus notum est,
ait, id ob filium hunc meum fieri? Atq; is ipse, subiecit ali-
quis, hauddubie propterea, quod victoriam sit adeptus. Et
Autolycus quum erubuisset: Minime profecto, inquit. Ibi
coniectis in eum oculis omnium, qui quidem delectati es-
sent, quod loquentem audiuissent, quidam ipsum interro-
gat: Quo igitur te iactas, Autolyce? Patre, inquit: simulque
ad patrem sese acclinabat. Quod vbi conspexisset Callias:
Scis, inquit, mi Lyco, te omnium hominum esse opulentis-
simũ? Id ego profecto, ait, ignoro. An igitur fugit te, quod
ne regis quidem opes cum filio commutares? Ipso in faci-
nore deprehensus sum, inquit, omnium, vti quidem vide-
tur, hominum opulentissimus. Tu vero Hermogenes, ait
Niceratus, qua re potissimum tibi places? Ob amicorum,
inquit, virtutem & potentiam, & quod tales quum sint, ni-
hilominus sua me cura complectantur. Tum omnes eum
881 intueri, ac pleriq; interrogare, num & ipsis eos indicare vel-
let. Respondebat autem, non velle se hoc ipsis inuidere. Se-
cundum hęc Socrates: Restat igitur, ait, vt demonstret qui-
libet ea, quæ policitus est, maximi esse faciunda. Audietis,
ait

ait Callias, me primum. Nam interea, dum vos audio, quid ius & æquum sit, ambigētes; homines efficio iustiores. Qui hoc, vir optime? ait Socrates. Dum pecuniā largior. Et surgens Antisthenes, admodum acriter eum confutaturus interrogabat: Homines vero, Callia, vtrum tibi videntur in animis, an in crumena iustitiam habere? In animis, inquit. Et tu quum in crumenam argētum largiris, animos iustiores facis? Maxime. Quo pacto? Quod quum sciant habere se, vnde necessaria parare sibi emendo possint, malefacere suo cum periculo nolint. Num tibi reddunt, quod acceperunt? Nō profecto. Quid autem pro pecunia? num gratias? Ne id quidem certe, inquit. Immo nonnulli etiam magis hostiliter adfecti erga me sunt, quam id temporis, quum necdum quidquam accepissent. Mira quidem, ait Antisthenes, simul eum intuendo quasi coarguēs, posse te illos reddere iustos erga ceteros, non autem erga teipsum. Et cur hoc mirum est? ait Callias. An non & fabros, & structores ędium complures cernis, qui aliis quidem multis domus ędificant, sibi ædificare non possunt, sed mercede conductas incolunt? Sine te coargui, professor sapientiæ. Profecto, inquit Socrates, patiatur sane. Nam & vates feruntur certe aliis quidem futurum quod sit, denūtiare: sibi vero quod immineat, non prospicere. Atque hic eius sermonis finis fuit. Secundum hæc Niceratus: Audite, inquit, me quoq;, de iis, quæ vos meliores effectura sunt, si mecū versabimini. Nostis enim certe, Homerum illum sapientissimum fere complexum esse poematis suis omnes res humanas. Quamobrem quisquis vestrum vel administrationis domesticæ, vel orandi ad populum, vel rei imperatoriæ peritus fieri vult, vel Achilli, Aiaci, Nestori, Vlyssi similis: me colat, qui hæc omnia cognita habeo. Num & regnandi, ait Antisthenes, scientiam habes? Nosti enim laudatum esse ab ipso Agamemnonem, quod rex esset bonus, & bellator fortis. Etiam hoc profecto scio, inquit, quod prope columnam quidem auriga conuertere se debeat:

Homeri poemata.

Ille sed inclinet lauam se versus, in ipso 882
Curru: & equum dextrum propellat voce, manuq;
Cædat, eiq; simul laxas permittat habenas.

Præterea quiddam aliud noui, vosque adeo periculum eius mox facere poteritis. Dixit enim Homerus, cepam esse po-

tus condimētum. Quamobrem si cepam quis adferat, mox
hanc vtilitatem percipietis, quod estis maiori cum volu-
ptate bibituri. Tum Charmides: Cupit, inquit, o viri, Nice-
ratus ita redire domum, quo cepas redoleat; vt vxor ipsius
credat, nullam ne cogitasse quidem ipsum osculari. Non
profecto, inquit Socrates, sed aliam quoq; fortassis opinio-
nem ridiculam possimus addere. Videtur enim cepa sic es-
se condimentum, vt non cibum modo, sed potum quoque
suauiorem efficiat. Quod si hac etiam a cœna vescamur, ve-
rendum, ne quis nos ad Calliam sic accessisse dicat, vt vo-
luptariam vitam ageremus. Nequaquam, ait, o Socrates.
Nam in pugnam pergenti ceparum vsus conuenit, quem-
admodum quidam allio gallos pascunt, ac deinde commit-
tunt. Nobis autem hoc consilij potius est, vt osculaturi li-
bentius simus, quam prœlio congressuri. Hic eius oratio-
nis finis fuit. Tum Critobulus: Ergo & ipse dicam, ait, qui-
bus de caussis ob formæ elegantiam me efferam. Dic, aiūt.
Atqui si formosus non ero, quemadmodum puto, merito
vos fraudis pœnam sustinueritis. Nam semper iureiuran-
do confirmatis, formosum esse me, nemine id a vobis exi-
gēte. Ac fidē vobis equidē habeo, quos esse bonos & hone-
stos viros arbitror. At si reuera formosus sum, ac vobis idē
erga me accidit, quod mihi erga illum, quem formosum
esse puto: Deos omnes testor, nolle me regis imperium po-
tius, quam formæ præstantiam. Quippe Cliniam modo
specto lubentius, quam cetera vniuersa, quæ pulchra sunt
in rebus humanis: & alia quod adtinet omnia, cæcus esse
malim, quam eius adspectu solius reuera carere. Nocti et-
iam, somnoque succenseo, quod eum non video: diei vero,
ac soli gratiam habeo maximam, quod Cliniam mihi spe-
ctādum exhibeant. Æquum est etiam, vt nos formosi pro-
pter hæc quoque simus animis elatis, quod eum, qui viri-
bus polleat, laborando adquirere bona necesse sit; & for-
tem, pericula subeundo, & sapientem, dicendo: at qui for-
mosus est, etiamsi quiescat, omnia tamen perficere potest.
883 Equidem tametsi norim opes esse possessionē gratam: lu-
bentius tamen ea, quæ mea sunt, Cliniæ donarem, quam a-
lia ab altero acciperem: lubētius seruus, quam liber essem,
si Clinia mihi velit imperare. Nam facilius esset mihi Cli-
niæ laborare, quam quietem capere: ac periculum eius no-

mine

mine lubentius adirem, quam expers periculi viuerem. Si tu deniq;, Callia, magnopere te effers, quod homines possis iustiores facere; multo æquius est me ad omnem virtutem homines perducere. Nam quia nos formosi quiddam amori deditis inspiramus, id efficimus, vt quod pecuniam adtinet, sint liberaliores: in periculis laborum & honesti studiosiores: verecundiores etiã, ac modestiores: adeo quidem, vt etiam illa, quibus maxime indigent, eloqui vereantur. Insani sunt autem, qui non formosos imperatores eligunt. Equidem cum Clinia vel per ignem incederem, neq; dubito vos idem mecum facturos. Quamobrem non est, quod dubites amplius, mi Socrates, an formæ venustas in me bono alicui sit hominibus. Ne hac quidem in parte forma vituperanda venit, quod cito flos eius prætereat. Nã vt puer, ita & adulescentulus formosus est, & vir, & senex. Eius rei argumentum est, quod Mineruæ *Thallophori deligantur ex senum numero formosissimi quique, quasi forma sit omni ætati comes. Quod si iucundum est a volentibus impetrare, quibus aliquis indiget: sat scio, mi Socrates, me nunc quoque citius vel tacentem huic puero puellæque persuasurum, vt me osculētur, quam tu possis; tametsi multa sapienter proferas. Quid hoc est? ait Socrates. Iactitas hæc tu, quasi etiam me sis formosior. Profecto, inquit Critobulus, cetero quin omnium Silenorum satyricorum essem turpissimus. Erat autem Socrates his perquam similis. Age vero, subiecit Socrates, memineris habendum esse iudicium de forma, vbi sermones hi, quos instituimus, circumierint. Ferat autem iudicium de nobis non Alexander ille Priami filius, sed hi ipsi quos tu osculandi tui cupidos esse putas. At Cliniæ, Socrates, iudicium non permiseris? Et ille: Non tu Cliniæ meminisse desines? At si eum non nominem, an propterea minus me putas ipsius meminisse? Num ignoras, tam illustre me simulacrum ipsius habere in animo, vt si vel fictor, vel pictor essem, nihilo minus ei similem exprimerem, si simulacrum, ac si ipsum intuerer. 884
Eius sermonem excipiens Socrates: Quamobrem igitur, ait, quum simulacrum ei tam simile habeas, mihi negotiũ facessis, eoque ducis, vbi eum videas? Propterea, mi Socrates, ait, quod vultus eius esse mihi voluptati potest: simulacri vero species, vt delectationem nullam adfert, ita deside-

*Quasi dicas, ramigeri.

rium excitat. Tum Hermogenes: Ego vero, mi Socrates, inquit, ne tibi quidem conuenire arbitror, vt Critobulum adeo præ amore obstupefactum contemnas. An tu existimas eum, inquit Socrates, ex quo mecum versatur, hoc pacto vnquam fuisse adfectum? Quando tamdem? Non vides huic quidem lanuginem propter aures serpere, Cliniæ vero iam retrorsum surgere? Nimirum hic id temporis, quo ad eosdem cum illo magistros itabat, ita vehementer exarsit. Quibus animaduersis pater eum mihi tradidit, si qua re prodesse ipsi possem. Et habet sane iam multo melius. Nam antehac quasi qui Gorgones spectant, saxeum in morem Cliniam inspectabat, & quasi saxeus esset, nusquã ab ipso discedebat. Vidi etiam, quum conniueret. Immo per deos immortales videtur mihi, o viri, quod quidem inter nos dictum esto, etiam deosculatus esse Cliniam: quo sane nihil est ad amorem accendendum acrius. Quippe satiari nequit, & spes quasdam iucundas præbet. Fortassis etiam, quia vnicum hoc opus, corporibus * adtingere se, adpellationem cõmunem habet cum eo, quo animi sese * diligunt, honestius est. Quamobrem aio equidem abstinendum esse formosorum ab oculis illi, qui pudice vt viuere possit, expetit. Ad ea Charmides: Tu vero, mi Socrates, inquit, quamobrem nos amicos tuos adeo quibusdam quasi puerorum terriculamentis a formosis depellis, quum ego te ipsum viderim, ita me Apollo amet, quo tempore apud litteratorem eodem in libro vterq; aliquid quærebatis, caput capiti, humerumque nudum nudo Critobuli humero admouisse? Et Socrates: Proh, inquit, hæc ipsa, quum velut a bellua quadam morsus essem, diutius quam dies quinque fricuerunt humerum, & in corde quasi pruritum quemdã habere videbar. Verum nunc tibi, Critobule, coram tot testibus denuntio, ne me prius adtingas, quam mentum tibi perinde atq; caput, pilis vestitum fuerit. Atq; hi quidem in

*quod in osculo fit.
*Adludit ad significationes verbi φιλεῖσθαι diuersas.

885 hunc modum seria iocosq; miscebant. Et Callias: Tuũ fuerit, inquit, dicere mi Charmides, quamobrem ob paupertatem elato sis animo. Est in confesso, ait, potiorem esse fiduciam animi, quã metum: potiorẽ libertatem, quam seruitutem: potius esse coli, quam colere: fidẽ a patria haberi alicui, quam non haberi. Itaque quum in hac ciuitate opulentus equidem essem, primum verebar, ne quis parietibus

ædium

ędium mearum perfossis & facultates adimeret mihi, & me quoque læderet. Deinde colebam calumniatores, quod scirem ad perpetiendum aliquid mali magis esse me comparatum, quam vt ipsis ego detrimento essem. Nam semper aliquid mihi sumtuum, qui expenderentur, a republica improbatur, & abire peregre licebat nusquam. Nunc posteaquam fortunis, quas extra fines nostros habebã, spoliatus sum; & de iis, quæ in hac regione sita sunt, fructum nullum percipio; & res familiaris est vendita: porrectus scilicet iucunde dormio, fidem auctoritatemq; apud rempublicam nanctus sum, aliorum minas non experior, aliis ipse minitor, vt homo liber abeundi peregre, domique manendi facultatem habeo, denique opulenti iam & de honestiore loco mihi adsurgunt, & via cedunt. Nunc regi similis videor, qui tunc hauddubie seruus eram. Tunc temporis populo tributum ego pendebam, nunc respublica vectigal mihi pendit, dum me alit. Etiam conuiciis me incessebant, quum locuples essem, quod consuetudine Socratis vterer: nunc posteaquam ad paupertatem redactus sum, ea res nemini amplius est curę. Pręterea quum multa possiderem, semper aliquid vel respublica, vel fortuna adimebat. Nunc nihil amitto, qui nihil habeam, & semper aliquid accepturum me spero. Ergo, inquit Callias, etiam optas tu numquam, vt opulentus fias, ac si quod somnium faustum videres, auerrũcis rem sacram faceres? Id equidem, profecto non facio, ait, sed valde tamen alacriter opperior, sicunde quid accepturũ me spero. Age vero, inquit Socrates, tu nobis Antisthenes dicito, quo pacto tã elato sis ob diuitias animo, quum tam exiguæ sint facultates tuæ. Quod arbitror, ait, o viri, non in ædibus sitas esse tum opes, tum paupertatem hominibus, sed in animis. Multos enim priuatos homines esse video, qui quum facultates amplissimas possideãt, adeo se tamen esse pauperes arbitrantur: vt quemuis laborem, quoduis periculum subeãt, quo plura cõparare possint. Frates etiam noui, quib. quum facultates æquales obtigerint, tamẽ alter eorum quæ abunde sufficiant, & sumtum etiã superent, habet: alteri nihil nõ deest. Animaduerto & reges quosdam esse, qui tanta opum fame laborant: vt lõge grauiora committant, quam homines maxime inopes. Nã propter egestatem nonnulli furãtur, alij parietes perfodiunt, alij com-

Antisthenes animi opera prædicat.

886

mittunt plagium. At reges quidam sunt, qui pecuniarum caussa familias totas euertunt, occidunt multos, sępenumero totas etiam vrbes diripiunt. Hos igitur equidem nō possum non vehementer miserari, quod tam graui morbo laborent. Nam simile quid ipsis accidere mihi videtur, atque si quis multa possideat, multaq; comędat, nunquam tamen saturetur. Ego vero tam multa scilicet habeo, vix vt ea possim ipse inuenire. Nihilominus superat mihi aliquid, dū cōedo, donec eo perueniam, vt non esuriam: & bibo, donec non sitiam: & ita vestitus sum, vt foris nihilo magis, quam ditissimus hic Callias frigeā. Quum domi sum, admodum mihi calidæ vidētur esse tunicæ parietes ipsi, & tecta crassorum paludamentorum instar. Stragula veste vsq; adeo abundo, vt etiam excitari difficulter possim. Quod si aliquando re venerea corpus indigeat, adeo mihi satisfacit, quod adest: vt illę ad quas accedo, mirifice me cōplectantur, propterea quod eas alij conuenire nolint. Atq; hęc omnia tam iucunda mihi accidunt, vt dum ea facio singula, non equidem maiori, sed minori potius delectatione perfrui optem: quod pleraq; mihi iucūdiora esse videantur, quam expediat. Rem autem longe maximi pretij meis in opibus illis esse existimo, quod etiam si quis ea mihi adimat, quæ nūc adsunt; nullum esse tam vile opus videam, quod mihi non satis alimenti suppeditet. Etenim vbi voluptariam agere vitā voluero, non magni pretij quædā ex foro coemo, quod ea nimis magno sumtu veneant, sed ex animo promo. Adeoq; multo plus cōfert ad voluptatem, quod exspectato tempore, quo quid requiram, ita deinde sumo: quam si magno pretio redemtis vtar. Quemadmodum nunc quoq;, quum in hoc vinum Thasium inciderim, bibo illud sine siti. Enimuero par est credere, multo etiam iustiores esse, qui vilitatē victus potius, quam caritatem spectant. Nam quib. maxime præsentia satisfaciunt, ij minime aliena concupiscunt.
887 Est autem operæpretium considerare, quam liberales efficiant homines huiusmodi diuitiæ. Nam Socrates hic, a quo has sum consequutus, neque numero, neque pondere mihi eas suppeditabat: sed dabat mihi tantum, quantum ferre poteram. Atque equidem modo nemini mea nūc inuideo, sed abundantiam amicis omnibus ostento, & participem facio quemuis, qui quidem velit, earum diuitiarum, quas animo

animo meo poſſideo. Quinetiam rem omnium delicatiſſimam, videlicet otium, ſemper adeſſe mihi videtis: qui ſpectem, quæ digna ſunt contemplatu; & audiam, quæ auditu digna: &, quod equidem maximi facio, adeſſe Socrati totos dies in otio poſſim. Atque is etiam ipſe non eos admiratur, qui plurimum auri numerant: ſed perpetuo cum iis verſatur, qui ipſi placēt. Atq; hoc modo quum loquutus is eſſet: Per Iunonem, ait Callias, quum alias ob cauſſas his cum opibus admirationi mihi es: tum quod neq; te ſerui loco ciuitas habeat, aliquid ſcilicet imperans: neq; homines tibi ſuccenſeant, ſi nihil des mutuo. Tu vero hūc mirari deſine, ait Niceratus. Nam ego eum conueniam, qui quidē ſumam hoc ab eo mutuo, ne qua mihi re ſit opus amplius. Etenim ab Homero edoctus, vt ita numerem,

Septenos tripodas, atque auri dena talenta,
Bis ſenos & equos, bis denos atque lebetas,

non deſino pondere ác numero diuitias quamplurimas expetere. Quo fortaſſe fit, vt quibuſdam auidior eſſe pecuniæ videar. Ibi vero in riſum effuſi ſunt omnes, qui eū quod res eſſet, dixiſſe arbitrarētur. Secundū hæc quidam: Tuum iam eſt, ait, de amicis dicere, Hermogenes, quinā illi ſint; ac demonſtrare, magnā illorum eſſe potentiam, teq; illis eſſe curæ, vt merito magnos ſpiritus gerere propter eos videaris. Perſpicuū igitur ac notum eſt, tam Græcos quam barbaros exiſtimare, deos vniuerſa tum pręſētia, tum futura ſcire. Omnes certe tum ciuitates, tum nationes, per diuinationem conſulunt deos, quid faciundum, quid omittendum ſit. Etiā nos illa patet eſſe in ſententia, quod dij nobis tum commodare, tum incommodare poſſint. Nam deos precantur vniuerſi, vt mala quidē auertant, bona vero largiantur. Hi ergo dij, qui omnia norunt, & poſſunt omnia, tā mihi ſunt amici: vt quia ſum ipſis curæ, numquam meæ res eos fugiant, neq; noctu, neq; interdiu, neq; quo pergam, neq; quid ſuſcepturus ſim. Et quia proſpiciunt, quinam cuiuſque rei futurus ſit euētus: miſſis nuntiis, ominibus, ſomniis, auguriis, quid faciundum, quid omittendum ſit mihi ſignificant. Eis quum obtempero, non illius vmquam me pænitet; & quia morem aliquando nō geſſi, pœnas dedi. Tū Socrates: Nihil horum, inquit, eſt incredibile: verum hoc equidem ſciſcitari lubēs velim, qua ratione colas eos, vt tā amicos habeas. 888

Vili profecto, inquit Hermogenes. Quippe nullum sum-
tum faciens, eos laudo, & de iis, quæ dederunt, vicissim præ-
beo, quantumque possum, pie loquor: & quibus in reb. eos
testes cito, in iis volens equidem numquam mentior. Pro-
fecto, ait Socrates, si quum talis sis, amicos eos experiris:
etiam Deos par est credere, virtute ac honestate delectari.
Atque hactenus in hunc modum serio colloquebantur.
Verum vbi ad Philippum ventum esset, quærebant ex eo,
quidnam perspexisset in ratione mouendi risus, quod pro-
pterea sese efferret. An non operæ pretium est, ait, quod
quũ omnes norint, me ioculatorem esse, si quid nancti sunt
boni, perlubenter ad id me inuitant: sin quid accidit mali,
fugiunt ita, vt ne quidem respiciant; veriti scilicet, ne vel in-
uiti rideant? Iure tu, ait Niceratus, te effers. Etenim amici
mei, quibus res sunt prosperæ, longe me fugiunt: at quibus
aduersi quid accidit, cognationem recensendo enumerant,
nec vmquam me missum faciunt. Sed esto sane. Tu vero,
inquit Charmides, Syracusane, qua re te effers? an perspi-
cuum est, efferri te animo propter hunc puerum? Nequa-
quam, ait, immo propter ipsum magno sum in metu. Nam
quosdam animaduerto ei insidiari, vt eum perdant. Id So-
crates quum audiuisset: Proh Hercules, inquit, qua re tan-
topere se abs tuo puero læsos arbitrantur, vt eum interfi-
cere velint? At enim, ait, nequaquam eum interficere vo-
lũt, sed persuadere, vt cum ipsis dormiat. Tu vero, quemad-
modum videtur, id si fiat, existimas eum perditum iri? O-
mnino scilicet, ait. Ergo ne ipse quidem cum eo cubas? Ve-
ro, inquit, & quidem totas, omnesque noctes. Ita me Iuno
amet, ait Socrates, magna istæc felicitas tua est, quod a na-
tura tale corpus habeas, vt solus tecũ cubantes nõ corrum-
pas. Quo fit, vt si non aliam ob rem, saltim propter hoc cor-
889 pus æquum sit, magnopere te efferri. Ego vero non hanc
ob caussam me effero, inquit. Propter quam igitur? Profe-
cto propter homines stultos, ait. Nam illi propterea, quod
spectent imagunculas meas, quæ fidiculis tentæ mouẽtur,
me alunt. Nuper etiam, subiecit Philippus, id a diis precari
te audiebã, vt vbicumq; esses, ibi fructuũ quidem magnam
copiam largirentur, sapientię vero sterilitatem. Sit ita sane,
inquit Callias. Tu vero, Socrates, quid proferre potes, quã-
obrem æquum censeas, elato te esse animo propter artem,
quam

quam dixisti, adeo ignominiosam? Et Socrates: Primum,
inquit, velim inter nos conueniat, quod lenonis sit officiũ.
Tum quod interrogauero, ad id respondete promte: vt sciamus,
de quibus inter nos conueniat. Num ita vobis etiam
videtur? Maxime vero, inquiunt. Atque vti semel dicebãt,
Maxime vero: ita hoc ipsum in respondendo deinceps retinebãt.
Ergo vobis boni lenonis esse videtur, inquit, vt quē,
quamve perduxerit, eum eamve gratos iis efficiat, quibuscum
consuescunt? Maxime vero, aiunt. An non igitur vnũ
quiddam est, quod vt placeant, facit; nimirum si & capillorum,
& vestis ratio decori legem seruet? Maxime vero, aiunt.
Etiam scimus, posse hominem iisdem oculis tum amice,
tum hostiliter aliquos intueri? Maxime. Quid vero? an
non eadem voce licet tum verecunde, tum audacter loqui?
Maxime. Quid? nonne quidam sermones odiosi sunt, alij
ad amicitiam impellunt? Maxime. Ex his igitur quæcumque
ad placendum conducunt, ea bonus leno suos docere
debet? Maxime. Num autem potior is fuerit, qui vni reddere
gratos potest, an vero qui pluribus? Heic in duas partes
diuisis omnibus, alij manifestũ esse dicebant, potiorem
esse, qui plurimis efficere gratos posset: alij subiiciebant,
Maxime. Socrates, quum hac etiam in parte conuenire diceret:
Quid si quis, inquit, vt toti ciuitati quidam placeant,
efficere possit, an nõ omnibus ille numeris bonus leno fuerit?
Id quidem manifestum est, aiunt omnes. Ergo si quis
eos, quibus ipse præsit, tales efficere studio suo possit, an nõ
optimo iure ob hanc artem elato sit animo, atque etiam optimo
iure mercedē debeat amplam accipere? Quum his
etiam vniuersi adsensi essent: Talis scilicet, inquit, est mea
quidem sentẽtia hic Antisthenes. Tum ille: Mihine tribuis,
inquit, artem hanc Socrates? Profecto, ait. Nam te video etiam
in huius pedisequa probe exercitum esse. Quænam ista
est? Ars lenonum siue perductorum, ait. Et grauiter id ferens 890
Antisthenes: Ecquid, ait, tale me commisisse scis Socrates?
Scio equidem, inquit, te Calliam hunc ad doctum illum
Prodicum perduxisse: quum illum ardentem amore philosophiæ
cerneres, hunc vero pecunia indigentem. Scio item
te perduxisse eumdem ad Hippiam Eleum, a quo etiam artem
memoriæ didicit. Et ex eo quidem tempore magis amoribus
esse deditus cepit, quod pulchri quidquid viderit,

eius numquam obliuiscatur. Nuper adeo quod hospitem quoque Heracliensem apud me prædicando effecisti, vt ipsius ego cupidus essem, conciliasti eum mihi: quo quidem nomine tibi gratiam habeo. Nam mihi per esse bonus honestusque videtur. An non item Æschylum illum Phliasium apud me prædicando, meq; apud ipsum, eam in nobis adfectionẽ animi excitasti; vt nosmet amãtes mutuo, quęreremus cursitando, perinde atque canes solent? Hęc quum ego te facere posse videam, bonum esse lenonem arbitror. Nam qui adgnoscere potest eos, qui sibi futuri sint vtiles; ac potest efficere, vt illi se mutuo expetant: is mihi videtur & vrbes amicitia coniungere posse, & nuptias cõmodas conciliare, vtque magni vir pretij sit, tum apud ciuitates, tum amicos, tum socios, efficere. Et tu mihi, quasi qui nõ satis recte audieris, dixisse me, lenonem esse te bonum, succensuisti. Ego vero, subiecit ille, non iam amplius. Nam hęc si possim, nimirum animus meus diuitiis constipatus erit. Atque hoc pacto colloquiorũ circuitus absolutus fuit. Callia autẽ: Sed tu Critobule, ait, in certamen aduersus Socratẽ de pulchritudine non descendis? Non profecto, ait Socrates. Nam fortasse lenonem apud iudices magna esse in existimatione videt. Nihilominus ego, subiecit Critobulus, non recuso. Doceto autem me, si quid habes doctrinæ, te pulchriorem esse quam ego sim. Tantum, ait, lucernã aliquis propius adferat. Primum ad caussæ te inquisitionẽ prouoco. Tu mihi respondeto. At tu interrogato. Vtrum igitur pulchritudinẽ in homine tantum existimas esse, an etiam in aliqua re alia? profecto, ait, mea quidẽ sententia est etiam in equo, & boue, & multis reb. inanimis. Nam & scutum esse pulchrũ scio, & gladium & hastam. Et qui fieri potest, ait, quæ inuicẽ sibi nulla sunt re similia, esse omnia pulchra? Si ad opera, quorũ
891 caussa nos ea singula parauimus, bene fuerint elaborata, vel apta satis a natura illis vsibus, quibus seruiunt: & ipsa pulchra sunt, inquit Critobulus. Nosti ergo, cui nobis vsui sit oculus? Ei scilicet, ait, vt videamus. Hoc igitur pacto tuis pulchriores oculi mei fuerint. Qui sic? Nam tui tantum directo adspiciunt, mei etiam transuersim propterea, quod exterius promineant. Ergo tu cancrum ais inter animalia cuncta præditum esse oculis optimis? Maxime vero, inquit. Nam habet oculos a natura egregie ad robur etiam compara-

paratos. Esto sane, ait. At vter nasus, meusne, an tuus, est pulchrior? Equidem, ait, meum esse pulchriorem arbitror: si quidem odores percipiendi caussa dij nobis nares condiderunt. Nam meatus narium tui terram versus spectant, mei vero sursum expansi sunt: quo fit, vt ab omni parte odores recipere possint. Nasus autem simus quomodo recte potest esse pulchrior? Quia nihil est, ait, quod obsepiat, sed permittit, vt oculi mox, quæ velint, videant. At nasus sublimior, quasi si faciat id per iniuriam, sepimento quodam oculos diiungit. Quod os autem adtinet, ait Critobulus, equidem tibi cedo. Nam si mordendi caussa factum est, lõge tu maius aliquid morsu auellere possis, quam ego. At vero quia tibi labra sunt crassa, non meum putas osculum esse mollius? Videor, inquit, vti tu quidem prędicas, etiam asinis os habere turpius. Sed enim non existimas argumẽtum illud esse satis magnũ, me pulchritudine te superare, quod & Naides, quę diuæ sunt, Silenos pariant; mihi, quã tibi similiores? Non possũ, inquit Critobulus, amplius contradicere. Itaq; distribuantur sane calculi, vt quamprimum sciam, quid me vel perpeti, vel multæ nomine exsoluere oporteat. Hoc tantum velim, ait, vt clanculum eos ferant. Nam tuas & Antisthenis opes metuo, ne me copia sua opprimant. Puella igitur & puer clanculum ferebant. Interim Socrates perficiebat, vt lucerna Critobulo admoueretur, ne deciperentur iudices: atq; etiam vt victori non fascię, sed oscula corollarum loco a iudicibus decernerentur. Posteaquam eiecti essent calculi, atq; omnes pro Critobulo facerent: Papæ, ait Socrates, argentum tuũ non videtur esse argẽto Callię simile, mi Critobule. Nã quod ille habet, iustiores reddit homines: tuum vero, quemadmodũ alioqui argẽtum maxima ex parte, tum iudices, tũ disceptatores corrumpere potest. Secundum hęc alij Critobulum hortaban- 892
tur, vt oscula, quæ victori cõstituta fuissent præmij loco acciperet: alij, vt persuaderet prius eum, cuius essent in potestate: alij aliter iocabantur. Interim silebat Hermogenes. Quo nominatim Socrates compellato: Possisne dicere nobis, ait, Hermogenes, quid sit παροινία? Et ille: Si quæras quid sit, inquit, nihil mihi cõstat: quid autem esse, videatur, dicere forte possim. Id placet, ait Socrates. Ego igitur esse iudico *παροινίαν, in vino molestũ esse iis, quibuscũ verseris.

*per ebrietatem illusio. Cic. in Antoniũ, apud Dionem Cassium.

Ergo ſcire debes, ait Socrates, te quoque ſilendo nobis iam moleſtiam exhibere. Num id tēporis etiam ſilendo, quum vos loquimini? Non, ſed quum ex interuallo deſinimus. Te vero fugit, ne pilum quidem, nedum ſermonem aliquē interea, dum vos loquimini, interiici a quoquam poſſe? Tum Socrates: Poſſisne alicui Callia, inquit, qui coarguitur, ſuccurrere? Poſſim equidem, ait. Nam quum tibia ſonum edit, prorſus ſilemus. Et Hermogenes: Vultisne igitur, ait, vt quemadmodum Nicoſtratus hiſtrio ad tibiam tetrametra recitabat, ita & ipſe, dum tibia ſonat, vobiſcum colloquar? Sic facito quæſo, mi Hermogenes, inquit Socrates. Arbitror enim perinde, vt cantus ad tibiam adhibitus iucūdior eſt; ita etiam futurum, vt ſermones tui a ſonis illis nonnihil ſuauiores reddātur: præſertim ſi geſtum aliquem addas ad ea, quæ dicuntur abs te, id quod hæc fidicina facit. Et Callias: Ergo quum Antiſthenes hic, ait, quendam in conuiuio coarguerit, quis erit concentus tibiarum? Ei, qui coarguetur, ait Antiſthenes, conuenire arbitror exſibilationē. Huiuſmodi colloquia quum haberentur, ac videret eos Syracuſanus illa quidem negligere, quæ ipſe exhiberet, mutuis autem ſermonibus ſe oblectare, Socrati inuidens: Tune, ait, Socrates, ille ipſe es, quem meditatorem vocant? An nō pulchrius hoc eſt, inquit, quam ſi vocarer incogitans? Niſi ſublimium meditator eſſe videreris. Num ergo quidquam noſti, ait Socrates, quod diis ſit ſublimius? Minime vero te iſtis occupari aiunt, ſed rebus maxime inutilibus. Ergo ſic etiam, inquit, dij mihi curæ ſunt. Nam illi de * ſublimi adiumento ſunt, & de ſublimi lucem ſuppeditant. Quod ſi frigida profero, tu auctor es, qui negotium mihi faceſſis. Tu vero, inquit alter, mitte iſta, ac dicito mihi, quot pedes abſit a me pulex. Nam hæc metiri te aiunt. Tum Antiſthenes: Enimuero Philippe, ait, tu in coniectando acutus es: an non videtur hic homo tibi ſimilis illi eſſe, qui conuicium facere velit? Profecto videtur, inquit, nō mihi tantum, ſed aliis etiam multis. Tu tamen, ait Socrates, nulli eum ſimilem facito, ne & ipſe conuicium facienti ſimilis videare. Verum ſi
893 honeſtis & optimis quibuſque ſimilem eum fecero, merito quis me laudanti potius, quam conuicianti ſimilem dixerit. Atqui tu conuicianti es ſimilis, ſi eum præſtare dicis in omnibus. Vis igitur magis peruerſis eum comparem? Ne illis

* Græce, ἄνωθεν ὠφελοῦσι. Alludit autem ad vocē, qua Syracuſanus vſus fuerat ἀνωφελέστατα.

illis quidem. Nulli ergo? Nulli ne horum quidem eum similem dixeris. Atqui nescio quo pacto, si taceam, digna hoc conuiuio facturus sim. Facilius fuerit tacere, ait, quam non dicenda proferre. Atque hæc quidem in vino rixa sic extincta fuit. Post hæc alij pergere iubebant in comparando, alij vetabant. Quumque tumultus esset exortus, rursum loqui Socrates incipiebat. Num quia cuncti loqui cupimus, etiam vna cecinerimus? Et quum primum id dixisset, cantilenam ordiebatur. Vbi cecinisset, illata est saltatrici rota ex earum genere, quibus vtuntur figuli, in qua miranda quædam exhibitura erat. Tum Socrates: Periculum erit, mi Syracusane, inquit, ne quemadmodum tu ais, sim reuera meditator. Nunc enim considero, quo pacto puero huic tuo & huic puellæ optime possit esse, ac nos eos spectando voluptatis plurimum capiamus: quod quidem sat scio te quoque velle. Videtur ergo mihi, prouolutionem in caput, quæ fit super gladios, exhibitionē esse periculi, a conuiuio alienam. Quod vero etiam in rota circumuoluta scribit ac lectitat, est illud quidem certe miraculum quoddam: verum intelligere non possum, quam etiam hæc voluptatem suppeditent. Nec item iucundius est formosos & elegantes spectare, quum corpora torquent, & rotas imitantur, quam vbi quiescunt. Etenim non admodū rarum est, in hæc admiratione digna incidere, si quis hoc desideret: sed licet statim admiremur ea, quæ adsunt: quonā modo lucerna, quod flammam splendidam habeat, lumen suppeditet; quum ahenum, & ipsum splendens, lucem id quidem non emittat, sed in se tamen alia adparentia exhibeat. Quo pacto oleum, quum humidum sit, flammam augeat: quum aqua, & ipsa humida, ignem extinguat. Verum ne hæc quidem eadem efficiunt, quæ vinum. At si ad tibiam formis iis saltarent, quibus tum Gratiæ, tum anni tempora, Nymphæque pinguntur: multo id ipsis facilius futurum arbitrarer, ac longe conuiuium hoc fore hilarius ac gratius. Et Syracusanus ille: Profecto, inquit, mi Socrates, recte dicis, & introducam ego Spectacula, quæ delectationem vobis sint adlatura. Quapropter egressus Syracusanus ad agenda se componebat, & Socrates, nouum orationis exordiū instituebat: Profecto, viri, par est nos, quū magnus quidā deus adsit, qui ætate deos æternos æquat, forma ma-

ximeiuuenis est, amplitudine sua cuncta sustinet, animo hominibus æqualis est, nimirum Amor, eius minime obliuisci: præsertim quum omnes in eius dei sacris sodales simus. Nam equidem tempus aliquod commemorare non possum, quo non aliquo semper amore fuerim occupatus: & Charmidem hunc scio multos ad sui amorem excitasse, ac nõnullos ipsum quoq; expetiuisse. Critobulus certe, quũ adametur, iam & ipse alios amore complectitur. Quinetiam Niceratus, vt equidem accepi, vxorem amans vicissim ab ea diligitur. Quis autem nostrum nescit Hermogenem honestatis amore, quidquid tandem ea sit, contabescere? Non videtis, quam seuera sint supercilia, oculi immoti, oratio moderata, vox lenis, mores hilares? quumque Deos, qui maxime nobis venerandi sunt, amicos habeat: nos tamen, qui homines sumus, non contemnit. Tu vero, Antisthenes solus amoris expers es? Immo te vehementer amo profecto. Tum iocando Socrates quasi blandiens: Ne in præsentia mihi, ait, molestus sis. Nam, vti vides, aliud ago. Et Antisthenes: Quam tu, inquit, leno tui semper huiusmodi plane quædam facis, ac nonnunquam mecum non colloqueris, numinis vtens prætextu, nonnunquam aliud quidquiã captans. Tum Socrates: Quæso te per deos, mi Antisthenes, ait, tantum ne concidas me: qui molestiam quamuis aliam abs te tum fero, tum laturus sum amice. Enimuero amorem tuum equidem occulto, quum non animi sit, sed pulchritudnis meæ. Quod autem tu, Callia, Autolycum ames, ciuitas vniuersa nouit; at vt arbitror, etiam exteri ple-
895 rique. Eius rei caussa est, quod vterq; vestrum parentes habeat claros, & ipsi quoque illustres sitis. Atque equidem indolem tuam semper amaui, sed multo nũc magis, quum te illum amare video, qui non deliciis diffluit, neque præ mollitie languescit: sed omnibus & robur, & tolerantiam, & fortitudinem, & temperantiam suam demonstrat. Huiusmodi vero expetere, argumentum est etiam ingenij e-
Venus duplex. lius, qui amatur. Equidem num vna sit Venus, an duæ, Cælestis nimirum & Vulgaris, haud scio. Nam & Iupiter, qui vnus esse videtur, cognomina multa habet. Distinctas quidem vtriq; Veneri esse aras, fana, sacrificia; & Vulgari quidem neglectiora, Cælesti puriora, scio. Et coniicere licet, etiam amores, corporum quidẽ a Vulgari illa immitti: animi vero,

mi vero, & amicitiæ, & actionum honestarum, a Cælesti. Ac tu quidem, mi Callia, hoc ipso amore mihi videris esse captus. Argumento mihi est eius, quem amas, honestas; quodque te video patrem eius ad congressus cum hoc tuos adiungere. Quippe nihil horum bonus & honestus amator occultum patri esse vult. Et Hermogenes: Per Iunonem, inquit, mi Socrates, quum ob alia te multa admiror, tum quod modo Calliæ simul rem gratam facis, & qualem ipsum esse oporteat, instituis. Profecto sic est, ait. Atque vt magis etiam delectetur, confirmare illi volo, multo præstantiorem esse animi, quam corporis amorem. Nouimus enim omnes, absque amicitia consuetudinem nullam cuiusquam esse pretij. Amare autem eos, quorum mores ac indolem admiramur, necessitudo quædam propria & voluntaria vocatur: at eorum, qui corpus adpetunt, multi mores vituperant, & ipsos amores odere. Quod si maxime ament inuicem vterque se, formæ tamen flos celeriter ætate quasi marcessit: quo deficiente, necesse est vna etiam amicitiam marcessere. Animus autem quam diu prudentia proficit, etiam fit amabilior. Quin & in vsu formæ satietas quædam inest. quo fit, vt quæ in ciborum vsu propter satietatem, ea in amoribus quoque necessario accidant. At animi amor propterea, quod castus sit, etiam insatiabilior est; nec idcirco, ceu quis existimare posset, minus est venustus ac iucundus: sed plane votum illud perficitur, quo petimus, vt dea tum verba, tum actiones venustas largiatur. Quod enim liberali forma, & indole verecunda generosaque florens animus, quique statim 898
inter æquales principe loco dignus, & comis est, tum suspiciat, tum diligat amores suos; id vero verbis ostendi, non est opus. Esse autem consentaneum, amatorem huiusmodi rerum etiam suis amoribus gratum fore vicissim, id quoque docebo. Primum enim quis odisse possit illum, a quo se bonum & honestum haberi sciat? deinde quem cernat amati decora magis, quam voluptates suas curare? credat præterea, siue quid delinquatur, siue morbus vtrumque corripiat, amicitiam deminutum non iri? Quibus autem communis amor est, quo pacto non hos necesse est libenter se intueri, beneuole colloqui, fidem habere sibi mutuo, prospicere sibi inuicem, voluptatem simul cape-

re ex honestis actionibus; condolere, si quid aduersi accidat; perpetuo gaudere, dum bona cum valetudine frui cõsuetudine mutua possunt; sin alteruter ægrotet, multo frequentius conuenire; de absentibus deniq;, quam præsentibus, magis esse sollicitum? An non hæc omnia sunt amoris plena? Certe ob huiusmodi officia simul & amicitiæ studio tenentur, & ea perpetuo ad senectutem vsq; fruuntur. At eum, qui a corpore pendet, quamobrem diligat aliquis mutuo? vtrum idcirco, quod sibi tribuit ea, quę concupiscit, adamato maxime probrosa? an quod ab iis, quæ facere studiose cupit præter amores, maxime necessarios arcet? Atqui magis etiã odio dignus est, quod non vim adferat, sed persuadeat. Nam qui vim adfert, improbum esse hominem sese declarat: qui vero persuadet, is illius, qui, persuadetur, animum corrumpit. Iam vero & is, qui pecunia formam vendit, qui magis diliget ementem sese, quam qui vendit in foro, & addicit sese? Non enim certe, quod formosus cum deformi, pulcher cum non pulchro, non amans cum amante versatur, idcirco eum diliget. Non enim mas ita, vti mulier, voluptatum rei venereæ cum viro particeps est: sed sobrius ipse temulentum ex venere spectat. Vnde non mirum est, si contemtus amatoris in ipso existit. Quod si quis rem consideret, inueniet nihil rei grauis ex illorum amore qui ob mores amantur accidisse: quum multa, eaque nefaria, de illa impudenti consuetudine euenerint. Iam & illi-
397 beralem esse consuetudinẽ illius, qui corpus magis, quam animum diligit, modo indicabo. Nam qui aliquem instituit, vt & dicere, quæ necesse sit, & gerere possit: is merito perinde, ac Chiro & Phœnix ab Achille, adfici honore debet. At qui corpus concupiscit, merito mendici cuiusdã instar sequatur. Semper enim comitatur vel emendicans, vel requirens osculum, aut aliquam aliam tactionem. Quod si dicacius quid profero, velim mirum vobis non videatur. Nam & vinum me impellit, & amor ille meus domesticus, vt liberius aduersus amorem illum loquar, quem æmulum habet, me pungit. Videtur enim is mihi, qui formæ animũ adiicit, similis illi esse, qui fundum mercede conducit. Nam ille vt melior reddatur, nihil pensi habet: sed vt ipse quamplurimum voluptatis ex eo percipiat. Qui vero amicitiam expetit, magis illi similis est, qui fundum proprium possidet.

det. Etenim vndecumque, ſi quid poteſt, colligens; adamatum meliorem efficit. Quinetiam ipſos amatores, qui ſciant, eleganti forma preditos amatoribus imperare, conſentaneum eſt nequiter in amantem ſe geſturos. At qui animaduerterit non futurum, vt niſi bonus & honeſtus ſit, amicitiam retineat: eum par eſt, maiori ſtudio virtutem colere. Maximum autem bonum illi contingit, qui ex adamato amicum egregium efficere vult, quod & ipſum virtutem colere neceſſe ſit. Nec enim fieri poteſt, vt ſi ipſe nequiter ſe gerat, ſecum verſantem bonum efficiat: neque ſi intemperantem & impudẽtem illi ſe exhibeat, adamatum temperantem ac verecundum efficere poteſt. Libet autem tibi, mi Callia, de fabularum etiam enarratione indicare, non ſolum homines, ſed etiam deos ac heroas amorem animi pluris, quam corporis vſum facere. Iupiter enim cum omnibus, quas mortales dilexit, congreſſus, mortales manere paſſus eſt: quorum vero animos admiratus eſſet, eos immortales faciebat. Eorum in numero ſunt Hercules, Caſtor, Pollux; atque etiam alij quidam commemorantur. Quinetiam mea ſententia Ganymedes non corporis, ſed animi cauſſa in Olympum a Ioue translatus eſt: cui quidem ſententiæ nomen etiam ſuffragatur. Eſt enim alicubi apud Homerum,

——adfectus ſuauiter audit.

Dicit autem, delectatum fuiſſe audiendo. Et alio in loco eſt:

——conſilia occultat qui pectore multa.

Intelligit vero illũ, qui animo conſilia ſapientiæ plena nouit. De quibus duobus verbis factum nomen eſt Ganymedis, nõ illius quidẽ, qui corpore ſuauis, ſed animo, a diis honore adficitur. Achillẽ quoq; mi Nicerate, fecit Homerus Patroclum, non vt amores ſuos, ſed vt ſodalem, glorioſiſſime vlciſcentem, poſteaquam mortuus eſſet. Et Oreſtes ac Pylades, Theſeus ac Perithous, aliique complures ex ſemideis præſtantiſſimi, non propterea, quod vna cubarint, ſed quod inuicem ſe ſuſpiciendo, res maximas & pulcherrimas publice perfecerint, celebrantur. Quid autem? an non quæ iam præclara patrãtur facinora, reperiet aliquis laudis gratia potius ab iis fieri qui & labores, & pericula volunt adire, quã ab aliis, qui voluptatẽ pro gloria eligere conſueuerunt? Quãquam poetæ Agathonis amator Pauſanias, dum pur-

** In priori hemiſtichio eſt vox γάνυσθαι: in altero μήδεα, de quibus vnum illud Ganymedis compoſitum eſt.* 898

garet eos, qui per intemperantiam vna volutantur, etiam exercitum ex adamatis & amatoribus fortiſſimũ fieri poſſe dixit. Nam exiſtimare ſe aiebat, hos in primis pudore præpediri, quo minus ſe mutuo deſerant. Quod quidẽ ab eo dictum mirari ſubit, eos ſcilicet, qui reprehenſionem negligere, ſeq; non reuereri cõſueuiſſent mutuo, maxime verituros turpe quiddam admittere. Producebat & teſtimonia Thebanorum ac Eleorum, qui tale quid decreuiſſent. Quãquam enim vna cubẽt, nihilominus amores in prœliis eadẽ in acie collocari. Quod quidem argumẽtum minime congruens adferebat. Nam apud illos hæc cõſentanea ſunt legibus, apud nos autẽ probro ducuntur. Ac mihi ſane, qui eadem in acie collocantur, diffidere ſibi videntur; ne videlicet, ſi ſeorſum eſſent diſpoſiti ab ipſis adamati, fortium virorũ muneri non reſponderent. Lacedæmonij vero, qui exiſtimant, corpus adpetentẽ nihil amplius boni & pręclari conſequi, tam perfecte bonos ac fortes viros ex adamatis efficiũt; vt inter exteros etiã, ex eius ciuitatis inſtituto cũ amatoribus in acie non collocati, nihilominus illos, qui adſunt, deſerere vereantur. Non enim impudentiam, ſed verecundiam eſſe deam quamdã volunt. Et videmur ſane omnes in iis, de quibus loquimur, cõſentire; ſi hoc modo rem conſideremus: Vtro ſcilicet modo adamato quis potius vel fortunas ſuas & liberos crediderit, vel beneficium præſtiterit. Atq; equidem ſentio etiam illum, qui amati forma vtitur, lubentius hæc vniuerſa crediturum ei, qui animo quoq; ſit
899 amabilis. Te certe mi Callia, Diis gratias agere æquum eſt, mea ſane ſententia, qui Autolyci amorem tibi indiderint. Nam hunc honoris eſſe cupidum reipſa patet, quippe qui vt per pręconẽ quinquertij victor pronuntietur, labores multos multosq; dolores tolerat. Quod ſi putat, ſe non ſolum ſibi ac patri ornamento eſſe poſſe; ſed etiam propter virtutem amicos beneficiis adficere, ac patriã amplificare, tropæa de ſuperatis hoſtibus ſtatuẽtem, eaque de cauſſa conſpicuum & celebrem tum apud Græcos, tum barbaros: cur non exiſtimes ipſum maximis aliquem proſequuturũ honoribus, quem duceret in hoc adiuuatorem ſe præſtantiſſimũ habiturũ? Quare ſi huic placere vis, cõſiderãdũ erit tibi, quo pacto Themiſtocles idoneos ad Græciã liberãdã fact' ſit; itẽq; cõſiderãdũ, quali Pericles inſtructus ſciẽtia viſus ſit

patriæ

patriæ consiliarius fuisse optimus: perspiciendum, quo pacto philosophatus Solon, patriæ leges optimas tulerit: peruestigandum, qualibus exercitiis vtentes Lacedæmonij, præstantissimi duces esse videantur. Et diuertunt ad te semper præstantissimi quique hospites ex ipsis publici ciuitatis huius. Itaque scire debes, rempublicam cito semet tibi tradituram, si velis. Nam adiumenta maxima ad eam rem habes. Patricius es, sacerdos es Deum ex iis, qui sunt ab Erechtheo, qui cum Iaccho aduersus regem barbarum militarunt. Etiam in festo nunc augustissimus esse videris omniũ maiorum, & corpus habes inter huius vrbis alia spectatu dignissimum, tolerandisque laboribus idoneum. Quod si vobis videor magis serio loqui, quam in vino conueniat: mirum id vobis ne videatur. Nam semper ego vna cum republica dilexi eos, qui bona præditi essent indole, ac virtutis ambitiose cupidi essent. Ac de his quidem, ita dictis, ceteri disserebant. Autolycus autem Calliam adspiciebat, in quem vicissim Callias coniectis oculis. Ergo tu, mi Socrates, lenocinio tuo me ciuitati conciliabis, ait, vt res ciuiles tractem, ac semper ei placeam. Profecto fiet hoc, inquit, si te non opinione, sed reipsa virtutis esse studiosum viderint. Nam falsa gloria celeriter ab experiẽtia redarguitur, at vera strenuitas, nisi Deus impedimento sit, semper in actionibus splendidiorem gloriam suppeditat. Atque huius quidem colloquij finis hic fuit. Et Autolycus, quod ita tempus posceret, ad deambulationem surgebat, ac Lyco pater vna cum ipso exibat, & conuersus: Per Iunonem, inquit, mi Socrates, bonus & honestus mihi vir esse videris. Secundum hæc sella quędam intus est collocata primum, deinde Syracusanus ingressus: Ariadna, inquit, o viri, suũ & Bacchi thalamũ ingreditur. Postea Bacchus adueniet, largiuscule potus apud deos, ac ingredietur ad illam: deinde ludent inter se. Hinc iam Ariadna tanquam spõsa exornata ingressa est, ac in throno consedit. Ita etiam Baccho prodeũte, tibia numerus bacchicus canebatur. Tum omnes magistrum choreæ prædicare. Nam Ariadna statim, quũ hæc audiisset, tale quid faciebat, vt quiuis animaduerteret, lubenter id eã audiisse. Ac obuiam quidem illa non processit, nec adsurrexit: præ se ferebat tamen, quod vix conquiesceret. Posteaquam vero Bacchus eam vidisset, haud aliter saltans, ac fieri

amicissime posset, in genibus cõsidebat. Quumq; complexus illam fuisset, etiam osculatus est. Ea vero tametsi pudore quodam adfectæ similis esset, amice tamen illum vicissim amplectebatur. Quod quum conuiuæ cernerent, partim plausum excitabant, partim rursus exclamabãt. Quum autem Bacchus surgens Ariadnam secũ erexisset, osculantũ iam & complectentium sese gestus erat spectare. Illi quum reuera Bacchum formosum esse cernerent, & Ariadnã formosam, eosque non per iocum, sed vere se admotis oribus osculari, omnes erectis animis spectabant. Audiebãt enim Bacchum interrogantem ipsam, num se amaret, atq; illam hoc ita confirmantem iureiurando: vt non modo Bacchus, sed omnes etiam, qui aderant, iurassent; reuera mutuũ esse inter puerum & puellam amorem. Erant enim similes iis, qui gestus hos non docti essent, sed facere cuperẽt id, quod iamdudum expetiuissent. Tandem quum conuiuæ illos sese complexos cernerent, quasiq; ad cubile tendentes; quotquot vxores necdum duxerant, ducturos se iurabant: mariti vero conscensis equis ad vxores suas auehebantur, vt iis potirentur. Socrates cum illis, qui remanserant, ad Lyconẽ, eiusque filium, vna cum Callia deambulaturi discedebant. Atque hic eius conuiuij fuit exitus.

XENOPHONTIS HIERO, SIVE DE REGNO,

Argumentum.

Colloquium inter Simonidem poetam, & Hieronem regem de priuata, regiaq; fortuna, cum vtriusq; collatione per singulas rerum humanarum partes explicata, vt priuatorum hominum cõditionem, tam domi, quam foris, tam belli, quam pacis tempore, regia longe potiorem, ac optabiliorem esse demonstretur.

Alterum eiusdem libri prolixius argumentum.

1. Occasio colloquij inter Simonidem, & Hieronem instituti de priuatorum hominum, & regum fortuna. 2. Regiæ, priuatæque vitæ discrimẽ tam in voluptatibus, quã molestiis humanis. 3. Corporis quinque sensus ad hoc discrimen accurate cognoscendum assumuntur.

muntur, & voluptates atque molestiæ, quæ horum beneficio tam a priuatis hominibus, quam regibus, in quotidiana vita sentiuntur, ordine describuntur. 4. Regnum cur a multis expetatur. Et quinā illi sint, qui regnum expetant. 5. Quomodo Regum conditio domi, forisq; omnibus in rebus longe sit deterior, quam priuatorum hominum. 6. Voluptas vnde potißimum percipiatur. 7. Rerum copia, fastidiū, raritas, cupiditatē parit. 8. Nuptiæ quales nobis expetendæ, quales vitandæ. 9. A quibus per vim aliquid auferre liceat, ac iucundum sit. Item a quibus nihil auferendum per vim. Causæ. 10. Quomodo vulgus externa regni, regijq; splendoris specie per ignorantiam decipiatur, vt summam felicitatem eam esse iudicet, quam potius summam infelicitatem esse constat. 11. Repetitur cōditio, cui Reges domi, forisq; pacis, belliq; tempore, sunt obnoxij, vt demonstretur eos nusquam tutos, nunquam grauißimarum curarum immunes esse. 12. Bella, quæ tyranni faciūt, qualia sint, & causæ. 13. Rerumpub. bella quantum a tyrannorum bellis, & quomodo differant. 14. Victoria tyrannorum, & Rerumpub. qualis, ac vtriusq; victoriæ discrimen. 15. Adulteros cur impune liceat occidere. 16. Vere ab alijs amari, bonum longe maximum cur censendum. 17. Quænam sit vera amicitia, & inter quos sine dolo conciliari, ac durare poßit. 18. An tyrani ab aliquo ametur. Et qualis sit amor, quo quis eos amat. 19. Nullam consuetudinem fide sublata delectationem habere. 20. Tyrannorum interfectorib. cur amplißima præmia decernantur, cum aliorum hominum interfectoribus grauißimæ pœnæ proponantur. 21. Cupiditates tyrannorum, & priuatorum quomodo differant. 22. Cur tyranni plerunque maiore inopia premantur, quam multi de vulgo. 23. De rerum copia, vel inopia, paupertate, vel diuitijs quomodo sit iudicandum. 24. Tyranni propter sumptuum magnitudinem quantam inopiam sæpe cogantur experiri, & scelera quæ propter inopiam patrant. 25. Quales sint tyrannorum ministri. 26. Cur bonos oderint, ac metuant, malos ament, ac ijs vtantur. 27. Quot, & quantarum voluptatum tyranni sint expertes. Causæ. 28. Cur peregrinis, potius quam domesticis, cur seruis, potius quam liberis hominibus vtantur. 29. Quantus sit tyrannorum metus, quo perpetuo cruciantur. 30. Tyrannorum beneficia qualia. Et quomodo, qui hæc accipiunt, statim se gerant. 31. Honoris cupiditas ad quid homines impellat. 32. Nullum animal, præter hominem, ambitione ad res gerendas impelli. 33. Ambitiosorum mores, studia, conatus. 34. Sola voluptatis ex

honore perceptæ ratione mortales ad naturam diuinam quodammodo accedere. 35. Quænã veræ voluptates sint cẽsendæ. 36. Veri honores quinam sint existimandi. 37. Tyrannidem tyranni cur deponere non audeant. 38. Qua ratione Rex subiectorum beneuolentiam sibi conciliare poßit. 39. Honores, & munera potentiorum pluris fieri, quam hominum minorem potentiam habentium. Causæ. 40. Honore miserias humanas leuari. 41. Principes, ac Reges in præmiis dandis, & pœnis infligẽdis quomodo se gerere debeant. 42. Honorum, ac præmiorum virtutis cultoribus, & bonorum aliquorum autoribus propositorum, quãta vis, & efficacia ad homines impellendum ad res præclaras, Reipub. necessarias, ac vtiles suscipiendas, atq; conficiendas. 43. Quid commodi ex Principum satellibus, & præsidiariis militibus, & quomodo a ciuitatibus illorum imperio subiectis percipi poßit. 44. Quænam sint ornamenta tam publica, quam priuata, quibus ciuitates a suis Magistratibus ornari decet. 45. Principes quomodo beneuolentiam subiectorum, ac aliorum sibi conciliare poßint, ita vt ab illis nõ solum honorentur, colantur, suspiciantur: sed etiam ab aliorum iniuriis defendantur, ac tutam, & tranquillam vitam securi degant. 46. Boni Principis officium.

201 # XENOPHONTIS
HIERO, SIVE DE REGNO.



ENIEBAT aliquando ad regem Hieronem poeta Simonides, quumque otium obtigisset vtrique, Simonides hoc modo loquutus est: Vellesne mihi exponere, mi Hiero, quæ consentaneum est rectius te scire, quam me? Et cuiusmodi sunt illa, inquit Hiero, quæ rectius ego scilicet nouerim, quam tu, qui vir es tam sapiens? Equidem, ait, scio te priuata fortuna vsum fuisse, ac nunc esse regem. Quapropter consentaneum est te, qui vtraque sis expertus, rectius me scire quo pacto vita tum regia, tum priuata, quod voluptates ac molestias humanas adtinet, differant. Quid igitur?

ait Hiero, non tu quoque, quum hoc tempore sis adhuc homo priuatus, reuocare mihi possis in memoriam ea, quæ sunt in vita priuata? Nam ita equidem maxime futurum arbitror, vt quæ in vtraque discrimina sunt, indicare possim. Quamobrem in huncmodum Simonides dicere cœpit: Animaduertisse mihi videor, Hiero, priuatos homines iis rebus, quæ sub adspectum cadunt, vel cum voluptate, vel cum molestia per oculos adfici: per aures iis, quæ auribus percipiuntur: per nares, odoribus: per os, cibo & potu: rebus veneris per ea, quæ omnibus nota sunt. Frigora vero, & calores, & dura, & mollia, & leuia, & grauia, toto corpore diiudicare mihi videmur, atque ita deinde vel delectationem, vel molestiam ex eis percipere. Bonis autem, ac malis nonnumquam per animum vel delectari, vel de iisdem adfici molestia videmur: nonnumquam communiter per animum & corpus. Somno delectari nos, ipse me sensus docere videtur: quo autem pacto, & quo somno, & quando, ea vero magis, inquit, ignorare mihi videor. Nec fortasse mirum putari debet, quæ vigilantibus nobis accidant, euidentiores nobis sensus sui præbere, quam quæ per somnũ. Ad ea respondebat Hiero: Ego sane, mi Simonides, haud 902
possim dicere, quo pacto rex aliud quid sentire possit, extra illa, quæ tu commemorasti. Quo fit, vt hactenus quidem haud sciam, an aliquod inter regiam & priuatam vitam discrimen sit. Tum Simonides: At in his ipsis, ait, regiæ vitæ discrimen est. Nam multis partibus maiorem ex his singulis voluptatem percipit, & molestiarum minus habet. Et Hiero: Non ita se res habet, ait, mi Simonides, sed scire debes, reges multo minus delectationis capere, quam priuatos homines, qui quidem vitam mediocrem agunt, ac multo plures maioresque molestias sentire. Dicis tu quidem incredibilia, inquit Simonides. Nam si hæc esset harum rerum ratio, cur multi regnandi essent cupidi, & quidẽ ij, qui homines vidẽtur esse rerũ maxime periti? Qui fieret, vt vniuersi reges admirarẽtur? Quia profecto vitã, inquit Hiero, vtramq; non experti, de regia considerationem instituunt. Ego vero enitar te docere, me verum dicere, facto a visu initio. Nam meminisse videor, inde te quoq; exorsum esse. Primum enim, quum, mecum ipse ratiocinãdo versor in iis quæ oculis cernũtur, deteriorẽ esse regũ cõditionẽ reperio.

Sunt aliis atque aliis in regionibus alia spectatu digna, ad quæ singula priuati homines accedunt, tam in vrbes, quas volunt, spectaculorum caussa; quam ad conuētus publicos, in quibus colliguntur, quæ digna esse spectatu mortalibus videntur. Reges vero spectaculis non admodum occupantur. Nam neque tutum est ipsis eo pergere, vbi non superiores illis futuri sunt, qui istic adsunt: neque res ipsorum domi tam tuto sunt loco, vt iis aliorum fidei creditis, peregre proficisci possint. Nam metuendum est, ne simul & imperio spolientur, & vlciscendi eos, a quibus sunt læsi, facultatem amittant. Fortasse tu dixeris: At enim spectacula nihilominus eis veniunt, etiamsi domi maneāt. Sane quam pauca, mi Simonides, de multis: atque etiam quum huiusmodi sint, tanti venduntur regibus; vt qui aliquid exhibēt, quidquid tandem id fuerit, multo maioribus præmiis acceptis a rege discedere velint, quam per omnem vitam a ceteris hominibus vniuersis comparent. Et Simonides: Quod si maxime quod adtinet spectacula, deterior est vestra conditio: saltim plus voluptatis auribus percipitis. Nam quod vnum est iucundissimum acroama, nunquam
903 laudes vobis desunt. Omnes enim familiares vestri omnia, quæcumque vel dicitis, vel facitis, prædicant. Quod vero longe molestissimum auditu quiddam est, conuicia numquam auditis. Nemo enim regem in os accusare vult. Ad ea Hiero: Quid vero putas, inquit, voluptatis illos adferre, qui non maledicunt, quum notum alicui est omnino, hos omnes, qui tacent, mala de tyranno cogitare? Vel quid adferre delectationis putas illos laudatores, quum suspecti sunt, ne forte laudationes illas adsentandi caussa instituant? Ad ea Simonides: Equidem hoc profecto, inquit, tibi concedo, mi Hiero; laudes, quæ ab hominibus maxime liberis proficiscantur, iucundissimas esse. Sed vides numquam te persuasurum vlli hominum, nō multo plus ex iis vos delectationis capere, per quæ homines alimur. Noui equidē, ait Hiero, de hoc statuere maximam hominum partē, suauius nos & bibere, & vesci, quam priuatos: quod & ipsis videatur esse iucundius eam cœnam sumere, quæ nobis adponitur, quam quæ ipsis. Etenim quod vsitata excedit, id voluptates suppeditat. Quæ quidem est caussa, quamobrem vniuersi homines magna cum voluptate dies festos

oppe-

opperiantur, extra ſolos reges. Nam illorum menſæ ſem-
per inſtructæ magna rerum copia, incrementum feſtis
diebus nullum habent. Quo fit, vt primum ſpei voluptate
a priuatis hominibus ſuperentur. Deinde ſcio te quoque
expertum eſſe, fieri, vt quanto plura quis adpoſuerit, quæ
modum excedant illorum, quæ ſatis fuiſſent, tanto citius
ſatietas cibi nos capiat. Itaque ipſo etiam tempore minus
voluptatis percipitis, qui adponit multa; quam quiſquam
eorum, qui modice victitant. At profecto, inquit Simoni-
des, quam diu admittit cibum animus, tam diu maiorem
voluptatem capiunt, qui ſumptuoſo adparatu nutriuntur,
quam qui viliora quædam adponunt. An non igitur, mi
Simonides, ait Hiero, putas eum, qui re aliqua delectatur,
vehementiſſimo ac maximo eius rei amore teneri? Omni-
no, inquit. An ergo vides maiori reges cum voluptate ad
cibum ipſis adparatum accedere, quam priuatos homines
ad ſuum? Nequaquam certe, ait: immo etiam iniucundi-
us, vt pleriſque videri poſſit. Quid? ait Hiero, num multa
illa, magnaque arte elaborata conſideraſti, quæ regibus
adponuntur, acria, mordacia, acerba, & quæ his germana 904
ſunt? Maxime, ait Simonides, & quidem mihi plane vi-
dentur eſſe præter hominum naturam. Ergone putas, in-
quit Hiero, hæc edulia quiddam eſſe aliud, quam mollis &
languentis præ deliciis animi cupiditates? Nam certo ſcio,
neque tu fortaſſis ignoras, eos, qui iucunde veſcantur, iſtis
artificioſis inuentis non indigere. At vero, ait Simonides,
etiam ſumptuoſis illis odoribus, quibus vngimini, magis
arbitror familiares veſtros frui, quam vos ipſos: quemad-
modum odores ingratos quoque non ſentit is, qui ederit;
ſed illi potius, qui cum eo verſantur. Sic igitur, ait Hiero,
qui varios ſemper cibos habet, nullos cum adpetitione ſu-
mit: at cui raro quid obuenit, is vero eſt, qui cum lætitia ſa-
tiatur, quum quid ei obiicitur. Videntur, ait Simonides,
tantum rei venereæ fruitiones in vobis regnandi cupidita-
tes excitare. Nam hac in parte licet vobis, vt quodcumque
pulcherrimum videritis, cum eo conſueſcatis. Dixiſti tu
modo quiddam, ait Hiero, in quo ſcire debes, nos a priua-
tis hominibus ſuperari. Primum enim coniugium, quod
cum maioribus contrahitur, nimirum & propter opes &
potentiam longe pulcherrimum eſſe videtur; & ei, qui du-

cit vxorem, cum voluptate quamdam dignitatem suppeditare. Altero loco est id, quod inter æquales contrahitur. Quod autem ex vilioribus constat, plane ignominiosum & inutile putatur. Rex ergo, si exteram non duxerit, & inferioribus vxorem ducat necesse est. Quo fit, vt non admodum id consequatur, quo contentus sit. At vero coli à feminis, quæ maximos spiritus gerant, maximæ voluptati est: ab iis autem, quæ seruæ nostræ sunt, si colamur, non admodum satisfit animo; sin autem, graues ea res iras ac molestias in nobis excitat. Iam aliis in amoribus etiam multo minus voluptatum rex percipit, quam in iis, quibus suboles procreatur. Scimus enim omnes congressus venereos, cum amore coniunctos, eximiam voluptatem adferre. Verum amor in nullorum animis minus excitatur, quam regis. Non enim amori iucundum est illa expetere, quæ in promptu sunt, sed quæ sperantur. * Itaque perinde atque is, qui sitim expertus non est, potu fruitur: sic etiam is, qui amorem non est expertus, longe suauissimæ veneris est expers. Huiusmodi erant, quæ ab Hierone dicerentur, ad quæ risu Simonides sublato: Quid ais, inquit, Hiero? Negas tu regnum in animis excitari amores pueriles? Qui fit, quod tu Dailochum, quem formosissimum vocant, amas? Quia, mi Simonides, ait, profecto non id potissimum concupisco, quod ab ipso impetraturus facile videor: sed quod efficere, regis est a conditione alienum. Etenim Dailochum equidem amo propterea, quæ fortasse cogit hominis natura petere a formosis: ea vero, quæ consequi cupio, sicut a volente, ac mutua cum amicitia mihi euenire vehementer desidero: ita vi ab eo sumere minus mihi velle videor, quam meipsum lædere. Nam hostibus inuitis aliquid eripere, iucundissimum equidem esse arbitror: & gratificationes, quę ab amoribus vltro contingunt, suauissimæ sunt, mea quidem sententia. Statim enim redamantis adspectus mutuus gratus est, gratę interrogationes, gratæ responsiones, gratissimæ ac in primis iucundæ pugnæ & contentiones. At amoribus inuitis frui, quiddam prædationi similius esse videtur, quam rei venereæ. Immo prædoni voluptates quasdam lucrum ipsum suppeditat, & quod molestia hostem adficiat: quum voluptatem ex eo, quod aliquis amet, molestiam sentiente percipere

* Consule nostras notas. Æ.P.

90)

cipere, atq; amantem eſſe in odio, grauiterq; ferentem adtingere, quo pacto non moleſtum deplorandumq; malum ſit? Nam homini priuato mox argumento eſt, quum qui amatur, obſequentem ſe præbet; fieri hoc tamquã ab amante gratificandi ſtudio. Scit enim illum id nulla neceſſitate cogente præſtare. Verum tyrannus nunquam diligi ſe, credere poteſt. Nouimus enim illos, qui metus cauſſa obſequuntur, quam poſſunt maxime ſe ita gerere, vt amantium obſequia repræſentent. Itaq; tyrannis inſidiæ ab aliis nullæ tam ſunt frequentes, quam ab iis, qui maxime ſe amare ſimulant. Ad ea Simonides: Videntur, inquit, mihi ſaltẽ, hæc quæ tu profers, admodum exigua eſſe. Nam multos equidem video viros hominum opinione egregios, qui ſua ſpõte ſunt aliis inferiores, quod cibos adtinet, quod potum, ꝙ obſonia; atq; etiam venereis a voluptatibus abſtinent. Verum in illis multum inter priuatos homines ac vos intereſt, quod & magnas res animo concipitis, & celeriter conficitis. Habetis & abundantem rerum copiam, equos inſigni virtute, arma pulchritudine eximia, mundum pro vxoribus 906
egregium, ædes magnificentiſſimas, eaſque maximi pretij rebus inſtructas. Sunt item vobis famuli plurimi, & artium cognitione præſtantiſſimi. Poteſtas vobis eſt maxima tum lædendi hoſtes, tum commodandi amicis. Ad quæ Hiero: Sed enim vulgo mortaliũ, mi Simonides, a regno perſtringi oculos, equidem non miror. Nam vulgus hominum valde mihi videtur & felices quoſdam, & ærumnoſos opinari, dum eos intuetur. At regnum eas res, quæ maximi eſſe pretij videntur, explicatas palam ſpectandas omnibus exhibet: quæ vero moleſta ſunt, ea regum in animis occulta tenet, in quibus & felicitas & infelicitas hominum ſita eſt. Quamobrem hæc multitudinem latere non miror, vt dixi: ſed vobis quoque ignota eſſe, qui animi iudicio maxima ex parte res pulchrius contemplari videmini, quam oculis, mihi quidem mirum eſt. Ego vero experiundo plane cognoui, mi Simonides, ac tibi dico, reges maximorum bonorum minime participes fieri, & grauiſſimorum malorum inſignem habere copiam. Non longe abierimus. Si pax magnum hominibus eſſe bonum videtur, quam minimum eius participes ſunt reges: ſi bellum ingens eſt malum, maxima eius pars ad reges pertinet.

Primum hominibus priuatis, ſi non ipſorum ciuitas bellum publicum ſuſcipiat, quocumque lubet, abire licet; nihil metuentibus, ne quis eis vitam adimat. Reges vero vniuerſi vbique tamquam per hoſtium fines proficiſcuntur. Itaque neceſſarium putant, vt & ipſi armati ſint, & armatos ſemper ſecum circumducant. Deinde priuati homines, licet hoſtilem in agrum militatum abeant, nihilominus vbi domum redierunt, eſſe tutos ſeſe arbitrantur. At tyranni poſteaquam ad ciuitatem ſuam peruenerint, inter hoſtes ſe plurimos eſſe ſciunt. Quod ſi qui potentiores aduerſus vrbem aliquam expeditionem ſuſcipiant, ac minus potentes forte extra mœnia fuerint: eſſe quidem illi videntur in periculo, verum poſteaquam intra munitionem ſeſe receperint, omnes in tuto ſe eſſe credunt. Tyrannus autem ne tum quidem, quum domum ingreſſus fuerit, ex-
907 pers eſt periculi; omninoque iſtic maxime ſibi cauendum arbitratur. Præterea priuati homines per fœdera & pacem belli moleſtia liberantur, regibus vero neque pax ab iis, qui premuntur eorum imperio, conceditur; neque quiſquam confidenter ipſorum fœderibus habere fidem auſit. Sunt item bella, quæ a ciuitatibus, & alia, quæ a regibus aduerſus illos, quos vi oppreſſerunt, geruntur. At ex his bellis quæcumque grauia moleſtaque redeunt ad eum, qui ciuitatum partes ſequitur, ea cadunt etiam in tyrannum. Nam vtroſque neceſſe eſt in armis eſſe, cauere ſibi, adire pericula, & ſi quid calamitatis victis accidat, vtrique propter hanc dolent. Atque hactenus paria ſunt vtriſque bella. Quæ vero illis iucunda accidunt, qui ciuitatum ſtant a partibus, apud ciuitates; ea tyranni non habent. Etenim vrbes, quum aduerſarios pugna vincunt, dici facile non poteſt, quantum voluptatis ex eo percipiant, quod in fugam hoſtes egerint; quantum in perſequendo, quantum in occidendis hoſtibus: quam ob ipſum facinus exſultent, quam inſignem gloriam ſibi vindicent, quam propterea gaudeant, quod rempublicam amplificaſſe ſe exiſtimant. Arrogat quiſque ſibi, quod & conſilij particeps fuerit, & plurimos interfecerit. Ac difficulter inuenias, vbi non etiam falſo quædam addant; quum plures ſe interemiſſe prædicant, quam reipſa ceciderint. Adeo res ipſis eſſe præclara videtur, ciuitatem victoria potiri. Tyrannus autem,

quum

quum vel propter suspiciones suas vel quod reuera quos-
dam aduersus se moliri quid deprehenderit, nonnullos in-
terficit; totam se vrbem non amplificaturum nouit, & scit
etiam paucioribus se imperaturum, neque potest esse hila-
ris, neq; se magnifice ob facinus ipsum effert. Immo quan-
tum potest, extenuat rem gestam, & inter agendum purgat
sese, quasi non per iniuriam id fecerit. Vsq; adeo ne ipsi qui-
dem honesta, quæ facit, esse videntur. Quod si etiam mori-
antur ij, quos metuit, nihilo magis fidenti est animo; sed
plus etiam sibi, quam prius, cauet. Atque hoc modo tyran-
nus bello perpetuo vexatur, vt indicaui. Iam mihi velim et-
iam amicitias, quarũ tyranni participes sunt, inspicias. Pri-
mum an magnum amicitia bonum sit hominibus, cõside-
remus. Nam si quis ab aliquibus diligatur, eum adesse sibi
lubenter vident ij, qui diligunt: lubenter eidem benefaciũt, 908
absentẽ desiderant, redeuntem iucundissime excipiunt, vo-
luptatem ex reb. ipsius prosperis cõmunem percipiunt, opẽ
vna ferunt, si quid aduersi præter animi sententiam accidere
videant. Nec ignorant vrbes amicitiam maximum suauissi-
mumq; bonum hominib. esse. Itaq; plerisq; in vrbib. ea lex
valet, vt solos adulteros occidere liceat impune: nimirũ pro
pterea, quod eos vxorũ erga maritos amicitiæ corruptores
esse existiment. Nã quum mulieres casu quodam congressu
venereo sunt vsæ, nihilominus id quod adtinet, apud mari-
tos in honore sunt, si quidem amicitia inter ipsos inuiolata
constare putetur. Tãtum autem bonũ esse iudico amari, vt
existimẽ ei, qui diligitur, tum a diis, tum hominib. vltro bo-
na quædam contingere. Atq; in hac tali possessione deteri-
or inprimis est regũ, quam aliorum cõdicio. Quod si mi Si-
monides, scire vis, num vera loquar, sic rem cõsiderato. Fir-
missimæ videntur esse amicitiæ parentũ erga liberos, libe-
rum ergo parentes, fratrum erga fratres, vxorum erga ma-
ritos, sodalium erga sodales. Quod si ergo rem animaduer-
tere voles, inuenies priuatos homines ab his maxime dili-
gi: quum interim cõplures tyranni liberos suos occiderint,
complures suis a liberis interfecti sint, multi fratres in vsur-
patione tyrannidũ mutuis se cædib. confecerint, multi de-
niq; tyranni tũ ab vxorib. suis, tum sodalibus qui amicissi-
mi viderentur, interemti sint. Qui ergo apud illos, quos vt
maxime diligamus, a natura comparatum est, simul legib.

etiam ad hoc e nos compellentibus, tanto sunt in odio: quo pacto existimandum est, eos ab alio quopiam diligi? Præterea cui quamminimum fidei habetur, qui non magno in bono ceteris inferior est? Nam quæ tandem familiaritas absq; fide mutua iucunda fuerit? quæ inter virum ac fœminam absq; fide cõsuetudo delectationem habere potest? quis minister gratus fuerit, si fides ei non habeatur? Itaque hoc etiam, nimirum vt fidem quis aliis habeat, parũ admodum ad tyrannum pertinet: quando sic viuit, vt*neq; præstantissimis cibis, neque potui fidem habere possit; sed primum famulos degustere hos iubet ante, quam diis primitiæ offerantur, idque propter diffidentiam, ne forte vel in

* Lectio marginis.

909 his mali aliquid aut comedet aut bibat. Quinetiam patria sua cuique reliquorum hominum maximo est in pretio. Nam ciues mutuo se quasi satellitio quodam sine stipendio aduersus seruos tuentur, itemque aduersus facinorosos, vt ne quis ciuium morte violenta e medio tollatur. Atque hac in custodia mutua ciues eo sunt progressi, vt a multis lata lex sit; qua sancitur, vt ne is quidem purus habeatur, qui cũ homicida versetur. Quo fit, vt beneficio patriæ suæ quisque ciuium tuto viuat. At in tyrannis contraria ratio est. Tantum enim abest, vt horum mortem ciuitates vlciscantur: vt etiam magnis honorib. eum adficiant, qui tyrannũ interfecerit. Tantum item abest, vt a sacris eos arceant, quemadmodum solent interfectores priuatorum hominum: vt etiam imagines tale quid designantium in templis statuant. Quod si tu tyrannum existimas propterea, quod fortunas, quam priuati homines, ampliores habeat, etiam maiorem ex eis voluptatẽ percipere: ne id quidẽ ita se habere putato, mi Simonides, sed quemadmodum athletæ non quum imperitos ac rudes superant, lætãtur; sed vbi ab aduersariis superantur, tum scilicet ingenti molestia adficiuntur: sic & tyrannus nõ quum plura possidere videtur, quam priuati homines, gaudet; sed magnum ex eo dolorem percipit, si minus, quam tyranni ceteri, habeat. Nam hos in opibus aduersarios suos esse statuit. Neque citius tyranno, quod concupiscit, obtingit; quam homini priuato. Homo enim priuatus vel domum, vel fundum, vel seruum adpetit: tyrãnus autem vel oppida, vel regionem amplam, vel portus, vel munitas arces: quæ quidem maiori cum difficultate ac periculo

riculo adquiruntur, quam quæ priuati homines concupiscunt. Quinetiam non tam paucos inter homines priuatos pauperes videbis, quam multos inter tyrannos: Quippe numero nec ea, quæ multa sunt, nec quæ sufficiāt, æstimantur; sed ex vsu. Quo fit, vt quæ superant vltra id, quod satis est, multa sint: quæ vero sunt infra id, quod sufficit, pauca. Tyranno igitur multis partibus plura minus ad necessarios sumptus sufficiunt, quam homini priuato. Nam priuatis licet præcidere sumtus cottidianos, ex animi arbitratu: quod in tyranno locum nō habet. Etenim maximos sumtus, eosque summe necessarios in excubias vitæ faciunt, de quibus si quid decidatur, id cum ipsorum exitio cōiunctum esse videtur. Deinde quicumq; habere iusta ratione possunt, quātum requirunt, cur eos quis misereur vt inopes? at qui ob 910
egestatem malum ac turpe quid excogitare, de quo viuant, coguntur: cur non illos & miseros, & pauperes esse, merito quis existimet? At enim tyranni plurimis rebus per iniuriam tum fana, tū homines spoliare coguntur propterea, quod ipsis ad sumtus necessarios semper aliis pecuniis opus sit. Etenim perinde ac si bellū geratur, vel copias semper alant, vel intereant, necesse est. Exponam vero tibi, mi Simonides, etiam aliam quamdā regum sane grauem calamitatem. Etenim non minus norunt, quam priuati homines, quinam egregij viri sint, & sapientes, & iusti: sed quum eos suspicere deberent, metuūt; fortes quidē, ne quid libertatis caussa audeant; sapientes, ne quid artificiose moliātur; iustos, ne plebs eos sibi præesse cupiat. Quū vero huiusmodi homines e medio propter metum sustulerint, quinā alij sunt ipsis reliqui, quorū scilicet vti opera possint, quā iniusti, intemperantes, seruiles? Iniusti, quod his fides habeatur, non aliter vrbes metuentibus, atq; tyranni metuunt, ne ad libertatem adspirent, ac ipsos suam in potestatem redigāt: intemperantes, ob præsentē potestatem: seruiles, quod ne ipsi quidem liberi esse cupiant. Quapropter equidem arbitror, hanc etiā calamitatem grauē esse, quod alios quidē viros bonos esse ducāt, aliis vero vti cogantur. Præterea necesse est etiam tyrannū ciuitatis suæ studiosum esse, quippe qui absq; ciuitate neq; saluus esse possit, neq; beatus. At cogita eadem tyrānis quosdam, vt patriā quoq; suā culpa grauēt. Nec enim ciues suos fortes efficere, nec armis instrue-

te gaudent: sed magis ipsis volupe est, exterorum potētiam supra ciues amplificare, atque his satellitum loco vtuntur. Quinetiam quum prouentus annonæ benignior omnium bonorum vbertatem adfert, ne tum quidem tyrānus communem cum ceteris voluptatem percipit. Existimat enim, suos in rerum inopia deiectioribus animis futuros. Volo autem tibi, mi Simonides, etiam illas voluptates exponere, quibuscumque dum priuatus adhuc essem, vtebar: spoliatus eis, vti quidem animaduerto, posteaquam regnum
911 adeptus sum. Versabar cum æqualibus, quorum ego cõsuetudine delectabar, sicut & illi mea: versabar & mecum solo, si quando quietem expeterem. Aderam sæpenumero conuiis eo vsque, dum omnium obliuiscerer, quæ hominum in vita molesta eueniunt: sæpenumero dum cantilenis, hilaritatibus, choreis animum commiscerem: sæpenumero quam diu tum mihi, tum iis, qui aderant, collubitum fuisset. Nunc vero spoliatus iis sum, quæ mihi iucunda erant; idque propterea, quod amicorum loco, seruorum sodalitio vtar: sum item spoliatus dulci eorum consuetudine propterea, quod nullam in eis amplius erga me beneuolentiam perspiciam. Ebrietatem ac somnum non aliter, atque insidias, vito. Iam quod hominum turbam metuo, quod e contrario solitudinem; quod custodum absentiam, quod ipsos etiam custodes; quod neque inermes eos circum me habere volo, neque armatos lubenter adspicio; quo pacto non res est ærumnosa? Præterea plus exteris habere fidei, quam ciuibus; barbaris, quam Græcis; cupere ingenuis hominibus vt seruis vti, contraque cogi ad concedendam seruis libertatem; hæc omnia nõ tibi esse videntur indicia perculsi a terroribus animi? Neque solum metus ipse in animis molestiam doloremque creat, sed etiam existit voluptatum omnium quoddam exitium, dum me comitatur. Quod si tu quoq; Simonides, res bellicas expertus es, atq; aliquando aduersus hostilem phalangem in acie constitisti: quantum id temporis cibi sumseris recordare, qualique somno sis vsus. Nimirum quales tum molestias experiebaris, tales tyranni experiuntur, atq; etiam grauiores. Non enim hostes solum ex aduerso, sed omni ex parte videre se putant. Quæ quum Simonides audiuisset: Videris, inquit, mihi quædam nimium quam bene dicere. Bellum enim terribile quidem

illud

illud est, sed tamen nos quum militamus, Hiero, excubiis ante castra collocatis, secure tũ cœnamus, tum dormimus. Et Hiero: Ita est profecto, inquit. Nimirum leges ante illos ipsos excubant. quo fit, vt & suo, & vestro nomine in metu sint. At tyranni custodes habent stipendio conductos, perinde ac messores. Et requiritur sane potissimum ab illis custodibus fides, verum fidelem vnum custodem multo difficilius inueneris, quam multos admodum operarios, cui- 912
cuimodi tamdẽ opus exerceant: presertim si custodes, quos diximus, pecuniæ caussa adsint, atque liceat eis, interfecto tyranno, multo maiorem pecuniæ vim exiguo tẽpore consequi, quam diu pro tyranno excubantes, ab eo accipiant. Iam quod felices nos prædicasti, vt qui amicos maxime beneficiis adficere possimus, & hostes facillime nostrã in potestatem redigere: ne id quidem ita comparatum est. Nam quo pacto existimare possis vmquã de amicis bene te promeriturum, si plane noris eum, qui accipit abs te plurima, lubentissime tuo ex cõspectu abire quamprimum cupere? Quidquid enim abs tyranno quis accipit, eius nihil esse suum arbitratur prius, quã ex illius potestate euaserit. Et quo pacto dicere possis, tyrannis facultatem inprimis non deesse, redigendi hostes in potestatem suam, quum certo sciant, omnes illos se hostes habere, qui eorum imperio subiecti sunt? At illos omnes, neq; occidere, neq; vinculis constringere possunt. Nam id si fieret, in quos tamdem tyranno imperium esset? Nimirum necesse est eum non ignorantem, se illos hostes habere, simul & cauere sibi ab eis, & opera tamen ipsorum vti. Hoc quoque scire debes, mi Simonides, a tyrannis etiam illos ciues, quos metuant, magna cum molestia viuos adspici, neq; cum minore occidi. Perinde atq; equum, qui bonus quidẽ ille sit, metuatur autem, ne quod immedicabile det malum, haud facile quis ob virtutem interficit, grauate tamen eo viuo vtitur; dum cauet, ne in periculis malum insanabile sibi creet. Itidem res aliæ, quæcumque molestiam quamdam cum vtilitate coniunctã habent, tum possidentibus, tum abiicientibus eas dolorẽ adferunt. His ex ipso auditis Simonides: Magnum, inquit, esse quiddam honos videtur, Hiero, quem qui adpetunt, laborem omnem subeunt, omne periculum sustinent. Vos quoque, ceu videtur, vtut tantum molestiarum tyrannis habeat,

quantum commemoras: nihilominus præcipiti ad eam impetu ferimini, vt nimirum honorem adipiscamini, atque vt vobis omnes in omnibus, quæ mandatis, vlla sine recusatione inseruiant, vniuersi vos respiciant, de sellis adsurgant, de via cedant; omnes deniq; familiares vestri semper vobis tum verbis tum factis honorem deferant. Nam
913 huiusmodi quidem certe quædam subditi regibus exhibet, * atque aliis etiam in rebus eosdem honore semper adficere non desinunt. Etenim videtur, Hiero, ceteris ab animantibus homo in hoc mihi differre, quod honoris sit cupidus. Nam de cibis, potu, somno, re venerea, consentaneum est, pari quodam modo animalia cuncta voluptatem percipere. Verum ambitio neq; animantibus rationis expertibus a natura inest, neq; cuiuis homini. Quibus autem honoris ac laudis innata est cupiditas, illi vero sunt, qui plurimum a pecudum natura differunt, ac viri plane, non homines duntaxat existimantur. Quo fit, vt equidem arbitrer, merito vos omnia in regno, quæ fertis, ferre: quando supra mortales ceteros vobis honos defertur. Nulla enim voluptas humana videtur ad diuinam accedere propius, quam ea, quæ ex honoribus percipitur, delectatio. Ad hæc Hiero: Verum, mi Simonides, ait, etiam tyrannorũ honores illis mihi consimiles venereis congressibus esse videntur, qualibus eos vti demonstrabam. Nam neq; obsequia profecta ab iis, qui non redamarent, pro gratificationibus habenda nobis esse videbantur; neq; congressus venerei vi extorti, voluptatis vllam habere speciem. Eodem scilicet modo nec obsequia pręstita ab illis, qui nos metuunt, pro honoribus haberi debẽt. Nam qui dicere possimus eos, qui vi coacti de sellis adsurgũt, idcirco surgere, quod homines iniustos honore cupiant adficere? Vel eos, qui superiorib. de via cedũt, idcirco decedere, vt iniustos homines honore adficiant? Plerique certe etiam iis, quos odere, munera largiuntur; idque tum maxime, quum metuunt, ne quid ipsis mali ab eis accidat. Verum hæc mea quidem sententia seruilia putari merito debẽt, quum honores ex iis oriantur, quæ his sunt contraria. Nam quum hominum ea est opinio, vt existiment aliquem ad bene de ip. is promerẽdum satis esse idoneũ, eiusq; se bonis fruituros arbitrantur; tum vero si eum & prædicando in ore habeant, & tanquam bonum proprium singuli

* De hoc loco consule nostras notas. Æ.P.

guli ſpectent,ac lubentibus animis ei de via cedant, de ſellis adſurgant,cum beneuolentia, non metu, virtutis ac beneficiorum in rempublicam cauſſa coronis ornent, munera largiantur: videntur mihi & illi, quotquot hæc obſequia præſtant, reuera ipſum honore proſequi; pariterque 914
is,quem his dignantur, reuera honore adfici. Quinetiam illum,cui talis honos defertur,felicem prædico. Nam animaduerto,inſidias ei nullas fieri,ſed aliis eſſe curæ, ne quid ipſi accidat: adeoque hunc metus, inuidiæ, periculi expertem,æuum beatum agere. Tyrannus autem, ſat ſcito, mi Simonides,neque noctu,neque interdiu viuit aliter, atque ſi propter iniuſtitiam damnatus ad mortem ab hominibus vniuerſis eſſet. Poſteaquam hæc omnia Simonides audiuiſſet:Qui vero fit,inquit, Hiero, quod quum tam ærumnoſa res ſit regno potiri,idque tu animaduerteris, tanto malo temet nõ liberes? Nimirum nec tu,nec quiſquam alius vnquam ſponte ſua regnum reliquit, poſteaquã ſemel id nanctus eſſet. Quia enim, ait,mi Simonides, hac ipſa in parte miſerrimum quiddã eſt tyrannis. Nec enim ea quis liberari poteſt. Nam qui tandem tyrannus quiſpiam tãtum opum habeat,quantum ſatis ſit ad perſoluendum iis, quib. abſtulit ſua? qui compenſare poſſit iis vincula, quos vinculis conſtrinxit? qui tot animas occiſa iis reſtituat,quos ſuſtulit? Nimirũ ſi vlli alij,mi Simonides,laqueo vitã vt finiat, expedit: equidem reperio maxime tyranni e re eſſe, vt id faciat. Nam illi ſoli neque retinere, neq; deponere quæ mala ſunt, expedit. Et Simonides hoc ipſius ſermone excepto: Te vero,inquit, non æquo eſſe erga tyrannidem animo non miror,Hiero. Quippe dum amari ab hominib. cupis,hãc eſſe tibi impedimento arbitraris. At ego poſſe me docere arbitror,imperium minime prohibere, quominus quis diligatur: immo etiam in hoc vitam priuatam ſuperare. Verum in hac conſideratione non ad hoc reſpiciendum eſt,num is, qui cum imperio eſt, propterea quod potentiam maiorem habeat, beneficia præſtare maiora poſſit: ſed ſi paria faciant,homo priuatus & rex, cogites velim, vter paribus beneficiis plus ſit initurus gratiæ. Ordiar autem minimis ab exemplis. Primum aliquem viſum amanter tum princeps, tum priuatus aliquis, ſalutet: vtrius cõpellationem magis illi,qui audiat, gratam fore arbitraris? Age vero,ſi ambo

aliquem laudent, vtrius prædicationem exiſtimas eo magis pertingere, vt voluptati ſit? Facta re ſacra, honore aliquem vterq; adficiat; ab vtro putas exhibitum honorem, maiorem mereri gratiam? Aduerſa valetudine laborantis
915 vterq; ſimiliter curam habeat, an non clariſſime adparebit, profectam ab iis, qui plurimum poſſunt, curã & officia maximam quoq; læticiam adferre? Donentur æqualia, annon heic etiam perſpicuum erit, profecta ab iis, qui plurimum poſſunt, dimidia beneficia plus poſſe, quam totam hominis priuati largitionem? Equidem puto etiam diuinitus fieri, vt hominem, qui cum imperio & poteſtate ſit, honor ac gratia quædam comitetur. Nõ tantum enim hominem pulchriorem efficit imperium, ſed eumdem contemplamur magis, vbi iam nanctus eſt imperium, quam quum priuatus eſſet: atq; etiam magis auemus cum illis colloqui, qui eximio ſupra ceteros in honore ſunt, quam cum aliis, qui nobis ſunt pares. Amores itidem, qua in parte tu maxime tyrannidem vituperabas, minime ſenectutẽ eius, qui cum imperio eſt, moleſte ferũt: neq; vlla ratione id turpe ducitur: cum quocunq; tandem ille conuerſetur. Nam ornamẽto eſt eis maximo, ꝙ apud illum in honore ſunt: itaq; fit, vt ſi quid offendat, hoc ipſo tegatur; pulchritudo vero ſplendidius eluceſcat. Enimuero quum ex parib. officiis maiores vos ineatis gratias, & multo plura, quam nos, prꝭſtando iuuare poſſitis alios, atq; etiã multo plura largiri: cur non magis vos amari conſentaneũ fuerit, quã priuatos homines? Et ſtatim excepto ipſius ſermone Hiero: Quia, mi Simonides, inquit, neceſſe nos eſt multo etiã plura eiuſmodi agere, quã priuatos, ob quæ hominũ in odio ſum⁹. Exigẽdæ pecuniæ, ſi quidem ad res neceſſarias ſumtus habere volumus: cogendi quidã ad cuſtodiendũ ea, quæ cuſtodia indigent: puniendi iniuſti, & coercendi, qui petulantes eſſe volũt. Quod ſi celeritatem occaſio temporis poſtulet, ad ſuſcipiendã vel terra vel mari expeditionẽ, non ignauis res cõmittenda eſt. Præterea mercenario milite opus eſt regi, in * quo elationem animi ciues grauius ferunt, quam quidquã aliud. Arbitrantur enim, hos a tyrannis ali, non vt eis honori ſint; ſed vt viribus ipſi ſint potiores. Ad quę rurſus Simonides: Ego vero, mi Hiero, non nego harum omniũ rerum curam ſuſcipiendam eſſe: ſed tamen videntur mihi curationes aliæ in odiũ adduce-

* Conſule noſtras notas. Æ.P.

adducere, aliæ magna cum gratia coniunctæ esse. Nam docere, quæ optima sunt, & pulcherrime illa præstantem prędicare atque in honore habere, ea curatio cum gratia quadam fit. 916 At eum, qui non recte aliquid agit, conuiciis incessere, cogere, multare, punire: hæc vero cum odio quodam potius fieri necesse est. Quamobrem aio equidem id, quod necessitas requirit, debere illum qui cum imperio est, aliis puniendum mandare: præmia vero per seipsum largiri. Quod sane recte fieri, rerum euenta testantur. Nam quum choros decertare volumus, præmia quidem præfectus ipse proponit, congregandi autem ipsos munus choragis datur, itemque aliis docendi, & cogendi eos, qui non sat recte aliquid præstent. Ita statim heic quod cum gratia coniunctum est, per præfectum ipsum curatur: quæ vero * dura sunt, per alios. Quid igitur impedimento sit, quo minus etiam res ciuiles ceteræ consimili ratione peragantur? Diuisæ sunt enim vrbes vniuersæ partim in tribus, partim in classes, partim centurias, ac singulis partibus præfecti quidam sunt. Quamobrem si quis his quoq; tamquam choris præmia proponeret ob insignem armaturam, ob ordinis obseruationem, ob rem equestrem, ob fortitudinem militarem, ob iustitiã in cõmerciis: consentaneum esset, futurũ vt etiã hæc omnia per contentionem acriter exercerentur. Ac profecto ad id, quo opus esset, celerius impellerentur: si quidẽ honoris cupiditate ducerẽtur: itemq; citius pecuniã cõferrent, quãdo sic vsus postularet: &, quod quidẽ fructuosissimũ est, quamquã per contentionẽ agi minime cõsueuerit, ipsa agricultura magnũ incrementũ sumeret, si quis per agros, vel per vicos, optime terrã excolẽtibus præmia constitueret, adeoque ciuibus, qui totis viribus in id incumberent, multa bona conficerentur. Nam & prouentus augerentur, & modestia multo magis occupationum comes esset: ne dicam, etiam facinora minus in iis, qui opus faciunt, existere. Quod si etiam mercatura reipublicæ commodum aliquod adfert, maior mercatorum numerus excitabitur; si is, qui plurimum negotiatur, adfectus honore fuerit. Quod si futurum pateat, vt qui sine aliorum molestia prouentum aliquem reipublicæ excogitat, & ipse ornetur: ne illa quidem consideratio * relinquetur. Denique summatim vt dicam, si in omnibus perspicuum esset, non cariturum hono-

*cõtrariæ. Æ.P.

*per negligẽtiã prætermittetur. Æ.P.

re, si quis boni alicuius auctor exstiterit: multos hoc etiam
917 impelleret, vt studiose boni aliquid inuestigarent. Iam si
multis commoda reipublicæ curæ sint, necesse est magis a-
liquid inueniri, & hominum studia excitari. Quod si me-
tuis, Hiero, ne propositis ad multa præmiis, magni sumtus
fiant: cogitato, nullas esse merces vtiliores, quam quæ prę-
miis redimuntur. Vides in equestribus, & gymnicis, & sce-
nicis certaminibus, quam exiguis præmiis ingentes sum-
tus, multique labores, & studia hominum eliciantur? Et
Hiero: Recte tu quidem, inquit, illa mihi dicere videris, Si-
monides. Ceterum de stipendiario milite num proferre
quid potes, vt videlicet propter ipsos minus in odio simus?
an ais principem virum amicitia hominum conciliata sa-
tellitum opera nihil amplius egere? Immo, inquit Simoni-
des, egebit certe. Nam scio perinde vt equis, ita & homini-
bus quibusdam accidere, vt quanto magis ipsis necessaria
suppetant, tanto sint petulantiores. Hos igitur magis mo-
destos reddet ortus a satellitibus metus: bonis autem egre-
giisque viris nulla re tantum mihi posse prodesse videris,
quantum his ipsis stipendiariis militibus. Nam tui cor-
poris custodes alis, & multi iamdudum domini vi suis a
seruis sunt interemti. Quod si primum hoc militi merce-
nario imperetur, vt succurrant omnibus, tamquam si es-
sent satellites omnium ciuium, si quid animaduerterint:
quumque soleant, vt omnibus notum, existere facinorosi
homines in ciuitatibus, hos quoque si obseruare iubean-
tur: scient ciues, hanc se vtilitatem ex eis percipere. Dein-
de ruri opus facientibus, ac iumentis quoque consenta-
neum est hos & fiduciam, & securitatem præstare posse:
idque perinde priuatim tuis, atque aliis, qui passim in re-
gione degunt. Possunt etiam ciuibus præstare otium, per
quod liceat ipsis res suas curare, si loca opportuna custodie-
rint. Ad hostium præterea repentinas & occultas insidias
vel præsentiēdas, vel impediendas, quinam paratiores fue-
rint, quam illi, qui semper armati sunt, & vno quasi corpo-
re coniuncti? Etiam in ipso bello quid ciuibus est milite
stipendiario vtilius? Nam eos & ad laborandum pro aliis,
& adeundum pericula, & excubandum promtissimos esse,
consentaneum est. Finitimas quoque ciuitates an non pro-
918 pter eos, qui semper armati sunt, necesse est etiam pacis
maxime

maxime cupidas esse? Nam qui merendis stipendiis conscripti sunt milites, maxime tum amicorum fortunas tueri, tum hostium pessundare possunt. Iam si ciues intelligant, hos nihil iniuste agentibus haud nocere; sed illos impedire, qui alios lædere volunt; iniuriam passis succurrere, pro ciuibus & sollicitos esse, & pericula obire: qui non eos necesse est lubentissime sumtum in hos conferre? Alunt certe priuatim custodes rerum etiam minoris momenti. Necesse est etiam, mi Hiero, vt boni publici caussa de tuis quoq; facultatibus sumtus facere non recuses. Nam equidē arbitror ea, quæ ciuitati impendantur, vtilius expendi: quā quæ rex priuatim insumit. Consideremus sane rem singillatim. Vtrum existimas domum immenso sumtu elegantissime exstructam ornamento tibi maiori esse, quam si vrbem vniuersam mœnibus, templis, columnis, foris, portubus instruas? Num si armis ipse plane formidabilibus ornatus sis, maiori hostibus terrori fueris; quam si ciuitas vniuersa bene tibi sit armis instructa? Vtrum te prouentus plures putas habiturum, si tantum quæ priuatim ad te spectant, ad fructum comparata tibi sint; an si viam ac rationem excogitaueris, qua ciues vniuersi quæstum industria sua faciant? Iam quod omnium præclarissimum & magnificentissimum studium esse ducitur, vtrum te putas maiori cum decore currus instructurum, si vnus inter omnes Græcos maximam curruum copiam instituas, & ad celebres illos Græciæ conuentus mittas: an vero si maxima ciuiū pars equos alat, & plurimi decertēt? Vtrum putas esse pulchrius, currus præstantia vincere; an vrbis, cuius es præses, felicitate? Equidem ne conuenire quidem aio, vt rex cum priuatis hominibus certamine congrediatur. Nam si vincas, non eris in admiratione, sed inuidia, veluti qui sumtus ex re familiari multorū facias: at si vincaris, maxime omniū irrisioni eris expositus. Equidē tibi, mi Hiero, propositum esse certamē aduersus aliarum vrbiū præsides aio, inter quos si tu ciuitatem, cuius es princeps, felicissimam reddas: scito te pulcherrimo & magnificentissimo inter homines certaminis genere victorem futurū. Primum effeceris, vt a subditis tuis diligaris, quod tu quidem expetis: deinde victoriam tuam non vnus præconio suo publicaret, sed virtutem tuam prædicarēt homines vniuersi. Suspicereris itidē, ac diligereris, 919

non solum a priuatis hominibus, sed a multis etiam vrbibus: nec priuatim esses in admiratione, sed publice apud omnes. Liceret tibi, si velles, quod securitatem adtinet, spectatum aliquo proficisci; & heic manenti liceret hoc ipsum facere. Semper enim esset apud te cœtus frequens eorum, qui edere specimina vellent, si quid haberent vel sapientiæ, vel pulchræ, vel egregiæ rei; atque illorum etiam, qui tibi cuperent operam inseruiendo nauare. Quisquis adesset tibi, socius esse tibi vellet; & qui abesset, videre te cuperet. Adeoque non tantum ab hominibus diligereris, sed etiam amareris. Forma præstantes non ipse tentares, sed tentari te ab eis patereris. Non esset, quod tibi metueres; sed potius alij, ne quid accideret tibi, metuerent. Parerent tibi subditi, eosque videres sua sponte de te sollicitos esse. Si quid esset periculi, non auxiliarios tantum, sed etiam propugnatores, eosque alacres cerneres. Multis muneribus dignus iudicareris, neque copia deesset, bene tibi volenti vicissim illa impertiendi. Omnes ob commoda tua tecum gauderent, omnes pro bonis priuatim tuis, tamquam propriis dimicarent. Omnes quæ apud amicos essent opes, thesauri tui forent. Tu vero, mi Hiero, amicos collocupletare ne dubites, qui temetipsum hoc modo ditaturus sis. Ciuitatis augeto commoda, tibimet ipsi potentiam adiuncturus. Comparato reipublicæ belli socios. Patriam existimato, domum tuā esse: ciues, socios: amicos, liberos tuos: liberos, nihil aliud, quam tuum ipsius animum. Atque hos omnes beneficiis superare contendito. Nam si amicos benefaciendo viceris, resistere tibi hostes minime poterunt. Denique si hæc omnia præstiteris, scito hæc plane quiddam te longe humanis in rebus pręclarissimū felicissimumq; consequuturum; vt tametsi beatus sis, inuidiam tamen haud experiaris.

XEN. DE PROVENTIBVS
Argumentum.

1. Qua ratione ciuitates suis ex finibus honeste, iusteq; victum sibi parare poßint. 2. Agri Attici solum, eiusq; natura. 3. Ex fructu solū, vbi fructus nascitur, facile cognosci. 4. Collatio agri Attici cum aliarum vrbium agro. 5. Athenarum situs, opportunitas, pulchritudo, commoditas. 6. Aduenarum cura quantam vtilitatem, &

tem, & quomodo Rebuspub. afferat. 7. Aduenæ ab indigenis quomodo tractandi, & caussæ. 8. Cur pleriq; mortales Athenis habitare cuperent. 9. Athenarum vrbs ad exercendam mercaturam, & maximos quæstus faciendum cur esset aptissima. 10. Boni mercatores a Reipub. magistratibus, aliisq; priuatis hominibus cur honorandi, variisq; rationibus ad mercaturam exercendam inuitandi. 11. Quam necessariæ sint pecuniarum a ciuibus, ac aliis incolis collationes factæ. 12. Cur ædificia publica mercatorib. in locis opportunis a Repub. sint ædificanda, & certo pretio locanda. 13. Ex argenti fodinis quantus fructus percipi possit, si recte parentur, & opus in iis accurate fiat. 14. In argenti fodinis quomodo gerere nos debeamus si magnum fructum, non autem damnum inde percipere velimus. 15. Quomodo ex mancipiis publice coemptis, & publice locatis Respub. prouentus augere possit. 16. Quomodo pacis, vel belli tempore mancipia Rempub. iuuare; Quomodo etiam ipsa tuto in argenti fodinis opus facere possint. 17. Qua ratione vrbes populosæ reddi possint. 18. Respub. quænam dicantur beatissimæ, & qua ratione tales reddantur. 19. Pacis commoda. 20. Belli calamitates. 21. Quæ numine propitio suscipiuntur, ea melius, feliciusque nobis succedunt. Quare pietati studendum.

Alterum eiusdem libri argumentum priore breuius.

In hoc libello traduntur variæ rationes, quibus Atheniensis Reipub. prouentus augeri poterant, vt ciues legitimis artibus ex agro suo victum honestum sibi pararent. 1. Ex marmore, quod pulcherrimum, ad varios vsus necessarium, & copiosissimum in Attica nascebatur. 2. Ex aduenarum, & inquilinorum pensionibus. 3. Ex mercatoribus, qui merces emebant, vel vendebant, vel permutabant, vel importabant, vel exportabant. 4. Ex pecuniarum collatione a ciuibus, & vrbis incolis facta. 5. Ex publicis ædificiis mercatorum causa a Repub. ædificatis, certoque pretio publice locatis. 6. Ex publicarum nauium locatione. 7. Ex argenti fodinis. 8. Ex mancipiis publice coemptis, & publice locatis. 9. Ex aliorum locorum publicorum locatione. 10. Rerumpub. felicitas quibus in rebus sita. 11. Pacis bona. Belli mala. 12. Pietatis ab hominibus cultæ fructus.

XENO-

920 XENOPHONTIS RATIONES REDITVVM, SEV DE PROVENTIBVS.

Lōge priori præstat hæc versio.



EQVIDEM in hac sententia sum perpetuo, vt quales sint præsides, tales & respublicas esse statuam. Quia vero nonnulli ex iis, qui hactenus Atheniensium reipub. præsunt, scire quidem illi, quid iustum sit, nō minus, quam homines ceteri perhibentur, at propter inopiam plebis cogi, vt paullo se gerant erga ciuitates suas iniquius: considerare mecum ipse adgressus sum, an aliqua ratione ciues suis ex finibus ali possint, quæ quidem ratio esset iustissima. Existimabam enim futurum, vt si id accideret, eadem opera consultum inopiæ ipsorum esset; atq; effectum, ne Græcorum de ipsis aliorum iniquior esset opinio. Cōsideranti vero mihi ea, quæ cogitaram, primum visa est ipsa regio esse talis a natura, quæ maximam prouētuum vim suppeditare possit. Atq; vt intelligatur, hoc vere me dicere; primum, quæ Atticæ natura sit, commemorabo. Anni ergo tempora heic admodum esse mitia, fructus ipsi, qui proueniunt, testantur. Etenim multa, quæ alibi ne pullulare quidem possent, heic fructus suos proferunt. Atq; vt solum ipsum, ita etiam mare, quod regionem ambit, omnium rerū feracissimum est. Quinetiam quæcumq; bona dij singulis anni temporibus suppeditant, ea bona omnia heic & tempestiue admodum incipiunt, & tardissime deficiunt. Neq; tantum potior est iis, quæ in annos singulos & florent, & senescunt: sed habet etiam hæc regio perpetua quædam bona. Nam saxi * natiui perēnis est in ea copia, de quo fana pulcherrima, pulcherrimæ aræ, signa deorum maxime decora fiunt: quod quidem saxum complures & Græci, & barbari desiderant. Præterea solum quoddam est, quod aratum non ferret fructū; at si fodiatur, multo plures alit, quam si frumēti ferax esset. Etenim diuino quodam munere haud dubie sub eo est argentum. Quumq; multæ sint vrbes tum terra, tum mari finitimæ, ne quidem in vllam earum vel exigua terræ argentiferæ vena pertinet. Neque vero absque ratione fecerit, si
921 quis existimet, vrbem hanc Græciæ, immo vero totius terrarum

** Marmor Hymetti montis intelligit.*

rarum

rarum orbis in medio sitam esse. Quanto scilicet longius absunt aliqui ab ea, tanto molestiora vel frigora vel æstus experiuntur. Quotquot item ab extremis Græciæ finibus ad alios itidem extremos pergere voluerint, omnes tamquam circuli vmbilicum Athenas vel præternauigant, vel prætereunt. Ac tametsi ex omni parte ab aquis non adluitur, nihilominus quouis vento, quæ necessaria sunt, adfert; & quæ vult, exportat; quippe quæ a mari vtrimque ambiatur. Etiam terra mercatus multos admittit, quod terra sit continens. Præterea quum barbari plurimis vrbibus vicini negotia facessant, Athenienses vicinas illas habent ciuitates, quæ maximo a barbaris interuallo distant. Horum igitur omnium caussam, vt dixi, positam in ipso esse solo arbitror. Quid si ad natiua bona, primum accedat aduenarum cura? Nā hic mihi prouentus ex optimis esse videtur. Quippe quum illi seipsos alant, & multis commodis ciuitates adficiant; non tamen vllam mercedem accipiunt, sed potius etiam pensionem aduenis impositā offerunt. Existimo autem curam eam suffecturam, si adimamus illa, quæcumq; reipublicæ nulli sunt vsui, ac potius aduenis infamiæ notā inurere videntur: itemq; si liberemus hoc eos onere, ne militatum ire cum ciuibus armati pedites aduenæ cogantur. Etenim magnum quiddam est, si periculum ab eis absit; magnum, a liberis & domo quemque sua discedere. Quinetiam vtile ciuitati fuerit, si potius ciues vna militatū eant; quam si, quod modo fit, eorum ordinibus adiungantur Lydi, Phryges, Syri, aliique diuersi generis barbari, cuiusmodi plerique sunt aduenæ. Præter hoc vero bonum, quod his ordinum militarium societate liberatis existeret; etiam ornamento esset ciuitati, si viderentur Athenienses in prœliis sibimet ipsis potius fidere, quam exteris. Quod si cum aduenis communicemus præter alia, quæ cum ipsis communicari conuenit, etiam rei equestris vsum: arbitror nos id effecturos, vt magis beneuolo præditi erga nos animo, ciuitatem ipsam viribus auctam maioremque reddituri sint. Deinde quum magna pars vrbis intra muros deserta sit, & areæ domorum vacuæ, si decreto ciuitatis concederetur, vt domos exstructas possiderent, quicumque hoc petentes digni esse viderentur: multo plures ac præstantiores 922
etiam ob has caussas arbitror expetituros, vt Athenis

habitent. Quod si etiam magistratum institueremus, qui
vt pupillorum sunt custodes, ita & ipse inquilinorum custos
diceretur, atque illis præmium quoddam proponeretur,
quorum opera plures inquilini existerent: hoc quoq; ma-
iorem erga nos in animis inquilinorum beneuolentiã ex-
citaret, & omnes, vti quidem consentaneum est, quotquot
alibi ciues non essent, Athenis consequi ius inquilinorum
cuperent, & prouentus augerent. Vrbem vero hanc nostrã
ad exercendam mercaturam tum optatissimam esse, tum
maxime quæstuosam, nunc exponam. Primum enim nauis
quælibet heic pulcherrimos ac tutissimos receptus habet,
vbi licet adpulsis tempestatis caussa suauiter quiescere. Pre-
terea mercatores plurimis in ciuitatibus commutare one-
ribus onera necesse est, quod nummis illæ foris inutilibus
vtantur. Athenis vero maxima rerum est ad exportandum
copia, quibus homines egẽt: sin onerare mercibus nauem
permutatis nolint, egregias auehunt merces, quicumq; ar-
gentum auehunt. Nam vbicumque tamdem illud vendide-
rint, vbique plus recipiunt, quam prius habebant. Quod si
quis mercaturæ præfecto præmia proponat, ei scilicet, qui
equissime celerrimeque diiudicet ea, de quibus controuer-
titur, vt impediri non necesse sit illos, qui nauigiis discede-
re volunt: etiam has ob caussas longe plures, & quidem li-
bentius heic negotiarentur. Esset etiam tum vtile, tum ho-
nestum, mercatores & naucleros loco magis honorato in
consessibus ornari; atque illos etiam ad hospitij necessitu-
dinem inuitari, qui nauibus ac mercibus egregiis ciuitati
prodesse viderentur. Hoc enim honore adfecti, non tam
quæstus, quam honoris caussa redire ad amicos propera-
rent. Enimuero quo plures in vrbem admitterentur, Athe-
nasque venirent, eo plus mercium importaretur, exporta-
retur, emitteretur, venderetur, mercedis ac tributi accipe-
retur. Nec ad hæc prouentuum incrementa sumtus vlli re-
quirerentur, preter decreta humanitatis plena, & ipsam di-
ligentiam. Quotquot autem prouentus alios nobis acce-
dere posse puto, ad eos impensis opus fore animaduerto.
Neque tamen despero, quin ciues perlubenter ad has col-
laturi sint, quum mecum ipse cogito, ciuitatem hanc multa
id temporis contulisse, quum Lysistrato duce opem Arca-
923 dibus ferret: multa item, duce Hegesilao. Scio item sæpe-
numero

numero triremes magno sumtu emissas esse, quum quidẽ illis effectis esset obscurum, vtrum id profuturum potius, quam obfuturum esset: minime autem dubitaretur, numquam recepturos quæ contulissent, nec participes futuros eorum, quæ contribuissent. Neque vero tam egregium aliunde lucrum parauerint, quam ex illis ipsis, in quæ factæ prius impensæ fuerint. Etenim qui decem minas cõtribueret, is singulos in dies sesquiquintum velut triobolum nauticum reciperet: qui vero quinque minas, amplius sesquitertio. Plurimi autem Athenienses quotannis plura recepturi essent, quam contribuerent. Nam qui minam prius expenderint, prope duarum minarum prouentum habituri sunt, & eum quidem in vrbe; quod humanis in rebus tutissimum esse, maximeque durabile videtur. Atque arbitror equidem, si litteris mandaturi simus eorum nomina, qui beneficium reipublicæ præstituri sint, ad omnem posteritatem: etiam multos hospites cõtributuros, & quidem vrbes quoq; nonnullas id expetituras, vt monumentis litterarum inserantur. Quinetiam reges quosdam, & tyrannos, & satrapas fore spero, qui desideraturi sint, vt huius beneficij participes fiant. Ceterum vbi iam subsidium comparatum erit, bonum atq; vtile fuerit, naucleris diuersoria quædam præter illa, quæ iam facta sunt, exstrui propter ipsos portus; bonum item mercatoribus, ad loca emtioni ac venditioni opportuna: deniq; publica diuersoria venientibus Athenas adsignari. Quod si etiam nundinatoribus habitationes & tabernæ vendendis mercibus idoneæ tum in Piræo, tum in vrbe parentur: simul id & ciuitati ornamento foret, & multi prouentus inde perciperentur. Videtur etiam mihi conducere, vt periculum fiat, num quemadmodũ triremes publicas habet ciuitas, ita & onerarias naues publicas parare possit, vt eas acceptis fideiussoribus locet, velut alia quoq; publica. Nam si hoc fieri posse videretur, magnus etiam hinc prouentus accederet. Præterea si argenti fodinæ instruerentur ita, vt debebant, existimabam ex eis insignem pecuniæ vim præter fructus ceteros prouenturam. Lubet autem ignaris, quæ potissimum vis atque commoditas earum sit, exponere; qua cognita, rectius etiam iniri a vobis ratio poterit, quo pacto sit eis vtendum. Ignotum autem nemini est, & veteres illas esse, & operas in eis

924 fieri: ac ne conatur quidem indicare quisquam, a quo tempore cœptæ sint. Quum autem hoc modo iam ab antiquo argentifera terra fodiatur, & egeratur; velim consideretis, quantula pars sint eiecti hactenus acerui collium sponte nascentium, quiq; argentum occultant. Neque locum illũ argento abundantem deminui constat, sed amplius semper extendi. Quo etiam tempore maxima hominum in eis copia fuit, nemini vmquam defuit quod ageret: sed semper ea, quæ agenda erant, operarum numerum superabant. Et nunc quoque illorum, qui in metallis habent mancipia, nemo deminuere numerum mancipiorum cupit: sed plura potius, quantum potest, adquirit. Etenim quum pauci fodiunt & quærunt, etiam paucæ, vt equidem arbitror, opes reperiuntur: sin multi, multis partibus copiosior argenti materies prodit. Quo fit, vt hoc solo in opere, quod quidem sciam, nemo fabricas nouas instituentibus inuideat. Præterea qui agros possident, norunt omnes dicere, quot iumentorum iuga, quot operarij ad fundum colendum satis sint: ac si plures, quam sufficiant, adhibeantur, hoc ipsum in damno ponunt. At in his eruendi argenti operibus omnes operariis egere dicũt. Nec enim heic idem accidit, quod in artificum ærariorum copia, vbi quum facta ex ære opera vili venduntur, euerti fortunæ horum solent, & ferrariorũ similiter: itemq; vbi magna frumẽti viniq; copia prouenit, fructibus vili væneuntibus, agrorum culturæ sunt inutiles; adeo quidem, vt multi relicta soli cultione ad mercaturam, ad cauponariam, ad vsuras se cõuertant. Nimirum argenti materies quanto copiosior extiterit, & argenti plus fuerit, tanto plures ad illud opus se conferre solẽt. Etenim supellectili familiæ necessaria cõparata, nõ multum vlterius coemi solet: at argenti nemo adhuc tam multũ habuit, vt nihil amplius requireret: sed si qui permultũ nãcti fuerint, quod redundat, defodiunt; quo quidem non minus delectantur, quam si eo vterentur. Quinetiam quum ciuitates secunda vtuntur fortuna, tum ciuibus maxime argento est opus. Viri enim in arma elegantia, & generosos equos, in ædes & structuras magnificas pecuniam impendere volũt: mulieres vero ad cultum sumtuosum, & mundum aureum animos adiiciunt. Rursus quum ciuitates caritate annonæ
925 laborant, aut bello ingruẽte, quia terra nullo cultu adhibito otio-

to otiosa est, tum ad commeatum comparandum, tum ad auxiliares copias nummos requirunt. Quod si quis dixerit, aurum nihilo esse minus vtile, quam argentum; huic non magnopere repugnabo. Illud tamen scio, quod etiam aurum, si magna eius esse copia videatur, minoris esse soleat æstimationis, & argentum reddat pretiosius. Atque hæc a me idcirco explicata sunt, vt fidenter quam plurimos homines in argenti fodinas mittamus, atque illic substruamus haud dubitanter; quum neque argentifera terra defectura; neque futurum sit, vt argentum vllo vmquam tempore vilescat. Videtur autem mihi ciuitas ipsa hæc ante me perspexisse. Nam peregrinis etiam, si qui velint, excolendi metalla potestatem facit, æquali pensione. Vt autem etiam apertius de adquirẽdo victu loquar, nunc exponam, qua ratione instauratæ argenti fodinæ ciuitati possint esse vtilissimæ. Nec ex iis, quæ dicturus sum, vllam quæro mei admirationem, quasi aliquid difficile repertu inuenerim. Nam quæ dicturus sum, partim etiam nunc omnes cernimus, partim vero eadem ratione se habere præterita, licet audiendo cognoscere. Illud admodum admiratione dignum est, quod quum sentiat ciuitas multos priuatos ex se locupletatos esse, tales non imitetur. Iam pridem enim de iis, quibus ea res curæ fuit, audiuimus; Niciam Nicerati filium in argenti fodinis mille homines habuisse, quos Sosiæ Thraci locarit, qui vltra impensas obolum pro singulis cottidie persolueret, numerumq; mancipiorum hunc semper integrum ac parem exhiberet. Fuerunt & Hipponico sexcenta mancipia eodem isto modo elocata, quæ cottidie minam ferebant vltra impensas: & Philemonidi mancipia trecenta minæ semissem, & aliis, vt cuique facultates suppetebant. Sed quid necesse est vetera commemorare? quum & hoc tempore multi sint homines in argenti fodinis ista ratione locati? Et hæc quidem, quæ a me dicuntur, si peragantur; illud tantum noui fiat, vt quemadmodum priuati comparatis mancipiis prouentum sibi perennem adquisiuerunt; ita coemat & ipsa ciuitas mancipia publica, donec vnicuiq; Atheniensium tria contigerint. An hæc autem, quæ dicimus, fieri possint; secum de singulis cogitans qui volet, iudicet. Hoc quidem plane perspicuũ est, posse fiscum facilius, quam priuatos, pretium mancipiorũ cogere:

928 Senatui quidem certe facile est, per præconem edicere, vt
qui volet, adducat sua mancipia; atque ita quæ oblata fue-
rint, pretio redimere. Posteaquam autem coemta fuerint,
quid caussæ sit, cur aliquis minus velit a republica condu-
cere, quam a priuato, quum iisdem conditionibus obten-
turus sit? Conducunt enim a republica lucos, sacra, domos;
& ab eadem vectigalia redimunt. Vt autem redemtæ res
saluæ sint, licet fisco fideiussores a conductoribus accipere,
quemadmodum etiam ab iis, qui vectigalia redimunt. Im-
mo vero facilius est emtori vectigalis fraudare, quam con-
ductori mancipiorum. Nam quo pacto deprehendi ab ali-
quo possit argentum publicum auerti, quum sit huic simile
priuatũ? Mancipia vero signo publico notata, si pœna con-
stituta sit & vendenti & exportanti, quomodo subduci fur-
to possint? Atq; hactenus ciuitatem & comparari huiusmo-
di homines, & conseruare posse paruit. Si quis rursus cogi-
tet, existentibus multis operariis, exstituros etiam multos,
qui mancipia pro mercede conducere velint: is in hac co-
gitatione futurum confidat, vt multi iam a mancipiis in-
structi, alias insuper operas publicas conducant. Habent e-
nim magnas opes argentariæ, & in ipsis operibus multi se-
nescunt, & multi quoque alij tum Athenienses, tum pere-
grini, corpore quidem illi nec velint, nec possint opus face-
re; sed animi tamen adhibita cura, libenter necessaria sibi
adquisiuerint. Itaq; si primũ cogantur mille ducenta man-
cipia, coniici potest, intra quinq; annos, aut sex, de hoc ipso
prouentu ciuitatem non pauciora sex millibus habituram.
Iam ex hoc numero, si obolum vnusquisq; diebus singulis
immunem adferat, sexaginta talentorum prouentus an-
nuus erit. Ex iis autem si viginti talenta in alia mãcipia im-
pendantur, reliqua quadraginta, prout res postulabit, in a-
lium aliquem vsum conferre ciuitati licebit. Quumq; nu-
merus ad decem millia excreuerit, iam centum talentorũ
prouentus existet. Verum longe plus accepturam rempu-
blicam, testes mihi esse possunt, si qui sunt adhuc, qui me-
minere, quantum vectigal ex mancipiis ciuitas ante ca-
ptam ab hoste Deceleam perceperit. Illud quoque testi-
monio est, quod quũ innumerabiles omni tempore in ar-
genti fodinis opus fecerint, nihil hæ tamẽ ab illis hoc tem-
pore differant, quarum mentionem maiores nostri fece-
runt.

runt. Et ea quidem, quæ nunc fiunt, omnia testantur; num- 927
quam plura mancipia illic esse posse, quam ipsa requirãt o-
pera. Nec enim illi, qui fodiunt, vel profunditatis, vel cuni-
culorum finem inueniunt. Atqui licet hoc tempore nihilo
minus nouum opus facere, quàm prius. Neq; quisquã certo
se scire possit dicere, num in locis hactenus excisis plus ar-
genteæ materiei sit, an necdum apertis. Cur igitur, dicat a-
liquis, non nunc etiam, sicut antea, multi nouum opus faci-
unt? Quia pauperiores sunt, qui res metallicas faciunt, non
ita pridem instaurari cœptas. Operis etiam noui adgressio
periculosa est. Nam qui fructuosum opus excolendum in-
uenit, copiosus & diues efficitur: qui vero non inuenit, ei
sumtus impensi pereunt. Itaq; periculum illud non admo-
dum adire huius ætatis homines volunt. Mihi tamen habe-
re videor quod dem consilium in hoc quoq; negotio, quo-
modo noui operis instituendi ratio tutissima esse possit. A-
thenis enim decem sunt tribus, quarum cuiq; si ciuitas pa-
rem mancipiorum numerum concederet, ipsæ vero fortu-
nam communem experiundo, nouũ opus adgrederentur:
ita fieret, vt inuentum ab vna quidpiam, vniuersis vtilitatẽ
exhiberet. Sin duæ, aut tres, aut quatuor, aut etiam dimidia
pars tribuum inueniret, haud dubie maiores ex eiusmodi
operibus vtilitates caperẽtur. Omnes enim spe sua frustra-
ri, præteritorum exemplo caret. Possent etiam priuati eadẽ
ratione se coniungendo & consociando, fortunam tutius
periclitari. Neque vero metuendum est, ne vel fiscus priua-
tos his structuris lædat, vel priuati fiscum: sed vt armorum
ac belli socij, quo plures cõiuncti fuerint, hoc se mutuo fir-
miores reddunt; sic in argenti fodinis quo plures erunt, qui
faciant opus, eo plus bonorum & reperient & reportabũt.
Expositum, qua ratione constituta republica, vniuersis A-
theniensibus de publico ad victum necessaria suppeditari
posse arbitrer. Quod si qui sunt, qui existiment, ad hęc con-
ficienda permagnis impensis opus esse, nec vmquam satis
magnam pecuniam conferri posse; ne sic quidem animum
despondere debent. Non enim ita comparata res est, vt aut
simul omnia fieri, aut ex eis vtilitatem nullam capi necesse
sit; sed vbi quæq; primum ædificata fuerint, vel domus, vel
naues, vel emta fuerint mancipia, statim hæc vtilitatem ad-
latura sunt. Quinetiam vel ob hanc caussam vtilius erit 928

hæc particulatim, quam simul omnia fieri. Nam si subito ędificemus multi, maiori cum sumtu, & peius absoluemus, quam si res particulatim fiat. Mancipiorum autem permagnum quærentes numerum, & deteriora, & carius emere cogemur. Sin vero pro ratione facultatum rem conficiemus, quæ erunt recte instituta, rursus imitari licebit: sin autem in aliquo peccatum fuerit, ab eo abstinebimus. Præterea si omnia simul fierent, paranda quoque nobis esset omniũ copia. Sin alia perficiantur, alia differantur; adquisitus iam ante prouentus necessaria suppeditabit. Illud fortasse videri possit omnibus summopere metuendum, ne, si ciuitas valde multa mancipia compararit, etiam opera nimis magna copia onerentur. Verum hoc quoque metu liberati erimus, si non plures, quam ipsa requirunt opera, singulis annis immittemus. Ita mihi quidem videtur in his rebus eam sequi rationem optimum esse, quæ sit facillima. Quod si rursus existimatis ob tributa, hoc bello exacta, ne tantulum quidem posse contribui: sane quantum ante factam pacem vectigalia reddebant, tantum in administratione reipublicæ anno proximo impendite: quæ vero amplius illa reddent tum propterea, quia pax est, tum quia inquilinorum & mercatorum ratio habebitur, ac pluribus huc confluentibus & importabũtur, & exportabuntur plurima, & ad portum mercatus erunt frequentiores; hæc inquam recipientes, vt quam maximi sint prouentus, efficere debetis. At si quis est, qui vereatur, ne si bellum ingruat, hoc sit inane institutum: is cogitare debebit, si quidem hæc efficiãtur, bellum fore formidolosius hostibus ipsis, qui inferent, quam ciuitati nostræ. Quid enim ad belli vsum hominum multitudine vtilius? Nimirum hi multis reipublicę nauibus explendis idonei fuerint, multi terra graues hostibus esse pro republica possint, modo quis eorum curam suscipiat. Mea quoque fert ratio, belli etiam tempore fieri posse, vt argenti fodinæ non deserantur; præsertim quum non procul a metallis sitis ad mare, quod meridiem versus extenditur, vna sit munitio in * Anaphausto, altera vero in Thorico, versus mare aquilonale: quorum locorum alter ab altero stadiis circiter LX distat. Si igitur hæc duo terciũ aliquod castellũm in editissimo saltus loco excitetur, in vnum locum ex omnibus his castellis operas conuenire licebit,

*Anaphlysto. recte.

929

uebit; ac si quid hostile senserint, breue spatium quilibet ad tutum receptum habebit. Quod si maiores hostiũ copię irruerint, ac frumentum, aut vinum, aut pecudes inuenerint extra munitiones; ea nimirum secum auferent. Si maxime argẽti metallis potiti fuerint, quid aliud habituri sunt, quo vtantur, nisi saxa? Et quo tãdem modo in metalla hostes irruptionẽ facere possint? abest enim a metallis ex interuallo proximo vrbs Megara multo lõgius quingentis stadiis, absunt deinde proximo ex interuallo Thebæ multo amplius sexcentis. Itaq; si ad argẽti fodinas illinc alicunde venerint, vt ipsam vrbem prætereãt, necesse est: ac si pauci fuerint, ab equitibus, & illis, qui præsidij caussa regionem circumeũt, eos interemtum iri consentaneũ est. Vt vero deserta regione sua, cum magnis copiis e finibus suis exeant, non facile fuerit propterea; quod vrbs Atheniensis ita longe propior esset futura ciuitatibus eorum, quam illi ipsi, qui ad metalla se conferrent. Si tamẽ accedant, quo nam modo illic manere possint, a commeatu destituti? Quod si copiarum aliqua cum parte pabulando necessaria parare velint, erunt in periculo tum pabulatores, tum res ipsæ, de quibus contendendum: sin exeant semper omnes, non tam oppugnabunt alios, quam ipsi oppugnabuntur. Non igitur illa tantum de mancipiis pensio ciuitati ad alendos suos incremẽtum adferet, verum etiam vbi magnus hominum ad metalla concursus erit, plures & ex foro, quod illic instituetur, & ex publicis ad argẽti fodinas ædificiis, & ex fornacibus, & omnibus aliis, prouẽtus accedent. Fiet enim & illic ciuitas admodum populosa, si ad hunc modum instructa fuerit: nec fundi minoris erunt istic dominis suis, quam heic ad vrbẽ fundos possidentibus. Itaq; si quę dixi, facta fuerint, non solum pecuniis copiosiorem, verum etiam magis paratam ad faciundũ imperata, magisq; studiosam ordinis, & bellicosiorem fore ciuitatẽ nostram cõfirmo. Nam qui se iussi fuerint exercere, multo diligẽtius obibunt in exercitiis peragẽda, si victus eis copiosior suppetet, quam qui gymnasiarchæ parent in decursione cum facibus: itidemq; constituti ad præsidia castellorum, & gestare parmas, & regionem obire iussi, hæc omnia maiore studio faciẽt, si victus cuiq; pro laboribus suis tribuatur. Quod si euidẽs esse videtur, pace ad 930
hoc opus fore, si prouentib. hisce potiri ciuitas velit: an non

par fuerit, etiam pacis cuſtodes quoſdam conſtitui? Nam delectus hic magiſtratus efficiet, vt omnes mortales & lubentius & frequentius hanc vrbem adeant. Si qui vero iudicant, eamdem ciuitatem in pace perpetua minus potentiæ, gloriæ, celebritatis habituram in Græcia: hi ſane rem opinione mea non rite cõſiderant. Nam beatiſſimæ dicuntur reſpublicæ, quæ longiſſimo tempore in pace permanſerint. Et Athenarum ea ratio eſt, vt in pace ſupra ciuitates alias omnes incrementum ſumant. Quis eſt enim omnium, qui huius vrbis, ſi quieta ſit, adiumento non indigeat? Atq; vt a naucleris & mercatoribus ordiamur, an non qui frumento, vino, eoq; ſuaui, oleo, pecudibus abundant, item qui & conſilio, & re, quæſtum facere poſſunt? His addantur opifices, ſapientiæ profeſſores, philoſophi, poetæ, quiq; iſtorum opera tractãt, & qui rerum ſpectatu, qui auditu dignarum, qui ſacrarum & religioſarum ſtudio tenentur. Præterea ſi qui multa cito vendere & emere velint, vbi facilius quod cupiunt adſequentur, quam Athenis? Quod ſi nemo his contradicit, ſed nonnulli dum ciuitati principatũ recuperare cupiunt, bello magis, quam pace, id effici poſſe arbitrantur: ij velim primum Medica mihi tempora conſiderent, vtrum vi potius, an noſtris erga Græcos beneficiis & maris principatum, & Græciæ quæſturam adepti ſimus. Præterea quum ſæuius vti hac præfectura viſa ciuitas, imperium amiſiſſet; an non tum quoq; ab iniuriis abſtinẽtes, rurſus ab inſulanis ad hoc ſponte ſua permotis naualẽ præfecturam conſequuti ſumus? Quid? an non Thebani quoq; prouocati beneficiis imperij ſummam Athenienſibus conceſſerunt? Quin & Lacedæmonij non vi coacti a nobis, ſed beneficiis adfecti, Athenienſibus vt quod vellent de principatu conſtituerent permiſerunt. Nunc vero propter hanc rerum in Græcia perturbationem caſus quidam hoc adtuliſſe ciuitati noſtræ videtur, vt nullo negotio, ſine periculo, ſine ſumtu, Græcos ſibi rurſus adiungere poſſit. Ciuitates enim, quæ inter ſe bella gerunt, niti licet vt recõciliemus: licet etiam, ſi qui in illis diſſideant, in gratiam vt redeant, efficere. Si declaretis vobis eſſe curæ, vt templo Delphico li-
931 bertas priſtina reſtituatur, idque efficiatis non belli cum aliis ſocietate, ſed mittendis per Græciam legatis: nihil erit mirum, ſi Græcos omnes vobiſcum vnanimes, confœderatos,

deratos, socios habebitis aduersus illos, qui templum Delphicum a Phocensibus desertũ occupare conati sunt. Quod si etiam præferatis, dare vos operam, vt terra mariq; omnia pacata sint: equidem cunctos existimo votis expetituros, vt Athenæ, secundum patriam cuiusq; suam, maxime saluæ sint. Si rursus quisquam est, qui existimet bellum, quam pacem esse reipublicæ nostrę magis fructuosum ad pecuniam conficiundam: non video, qua ratione hęc melius diiudicari possint, quam si quis res ante gestas consideret, & earum qui fuerint euentus ciuitati nostræ secum reputet. Reperiet enim, quondam in pace permultum pecuniæ in vrbem inuectum, quæ omnis pecunia bello absumta fuerit. Intelliget etiam, si considerare volet, hoc quoq; tempore multos prouentus bello defecisse; & eos, qui percepti sint, in omnis generis vsus exhaustos esse. Iam vero pacato mari, eosdem & auctos esse, & iis vti licere ciuibus arbitratu suo. Si quis autem me roget, an etiam aliquo iniuria ciuitatem hãc adficiente, censeam cum eo pacem colendam: equidem id dicere nolim, sed hoc potius adfirmo, nos hostes facilius vlcisci posse, siquidem a nobis auctor iniuriæ nullus existat. Quippe sic aduersarij nullos habebunt armorum bellique socios. Sed enim si nihil est eorũ, quæ a me dicta sunt, quod fieri non possit, & quidem facile; ac istæc agendo si Græcis amiciores & gratiores erimus, vrbẽ tutius incolemus, gloria maiore fruemur, plebs rebus omnibus ad victum necessariis abundabit, locupletes impensis bellicis liberabũtur, quumq; futura sit maior omniũ rerum copia, magnificentius etiam quam nunc dies festos celebrabimus, & templa instaurabimus, itemq; muros & naualia reficiemus, sacerdotibus, senatui, magistratibus, equitibus more patrio prębere solita restituemus: quo pacto non fuerit operæ pretium, nos hæc quam primum adgredi, vt etiam nobis adhuc superstitibus rempublicam in tuto collocatam felicemque videamus? Quod si vobis hęc agenda placuerit, equidem id consilij dederim, vt aliquibus Dodonam Delphosq; missis, deos illos cõsulatis; an satius, meliusve sit huic ciuitati, tam in pręsentia, quam in posterum, hanc eius formam institui. 93a Si adnuerint, censerem rursus interrogandos, quosnam deos nobis conciliando, quam rectissime atque optime simus hæc effecturi. Quoscumque vero deos illi selegerint, iis li-

tando placatis, rem ordiri par erit. Nã quæ res numine propitio suscipiuntur, eas semper reipublicæ melius feliciusq; cessuras, consentaneum est.

XEN. DE RE EQVESTRI.

Argumentum.

Xenophon ob insignem equestris rei peritiã usu longo partam, artis equestris hic præcepta tradit, unde minimo cum sumptu maximam utilitatem ac voluptatẽ omnes mortales priuatim, & publice percipere possunt. Ac primum quidem docet quo pacto quis in equorum emptione quam minimum circumueniri possit. 2. Quales pulli sint emendi. Quomodo totum corpus, ac singulæ corporis partes sint explorandæ. Bonarum, ac malarum partium dignoscendarum quænam sit ratio. Cur a pedibus initium explorandi sit ducendum, & ad reliquas reliqui corporis partes ascendendo sit progrediendum. 3. Futuræ magnitudinis indicia. 4. Pullorum tractandorum modus. 5. Pullorum amor qua ratione sit captandus, nobisque conciliandus. 6. Equum nobis ferendis idoneum, qualem, & quomodo comparare debeamus, & quid primum hic obseruandum, ne per imprudentiam fallamur. Deinde quomodo tractandus, ut eo commode possimus uti. 7. Equi morigeri, præcipue vero bellatoris equi, exploratio, tractatio, usus. 8. Suspicax, meticulosus, aut sæuus equus, cur non sit emendus. 9. Equi boni virtutes, malique vitia. 10. Equorum stabulum ubi, quomodo, cur ædificandum. 11. Equi nausea quid indicet, & quod remedium flagitet. 12. stabula qualia esse debeant, ne equis noceant. 13. Equorum curatores quomodo tam in stabulis, quam extra, sibi commissos equos curare, tractare, & exercere debeant. Hic ipsius curæ, tractationis, & exercitiorum partes ordine recensentur. 14. Iubæ, cæterique longiores pili cur equis a Deo dati. 15. Equus quomodo sine curatoris periculo detergi, frænari, ducique possit. 16. Quomodo conscendendus, quibus verbis vel ad officium alacriter faciendum sit incitandus, vel in officio continendus. Et quid ei, qui equum iam conscendit, accurate sit præstandum. 17. Habenarum qualitas, earumque tenendarum, & tractandarũ ratio. 18. Verus equitandi modus. 19. Equorum exercitia quænam laudanda, aut vituperanda. Causæ. 20. Peractis exerci-

ercitiis, vbi, quando, quomodo de equis descendendum. 21. *Variorum exercitiorum genera, quibus tam equi, quam equites assuefaciendi. Loca, in quibus exercendi, tempus, modus, caussa.* 22. *Ignauorum, & generosorum equorum tractandorum diuersa ratio.* 23. *Quid vtrique nobis vel prosint, vel obsint.* 24. *Qua ratione spectabilior, & magnificentior equorum incessus reddi possit.* 25. *Frænorum duplex genus, & qualitas.* 26. *Quomodo quis equum ad operam egregiam sessori, dominoque nauandam excitare possit.* 27. *Equitis, & equorum armatura.* 28. *Arma, quibus equites ad hostem lædendum instructos esse decet, simul & telorum in hostes eiaculandorum modus,*

XENOPHONTIS DE DE RE EQVESTRI.



VONIAM rei nos equestris vsum adsequutos inde ducimus, quod equitando sane longo tempore nos occupari cōtigerit: amicis etiam iunioribus indicare volumus, qua ratione futurum existimemus, vt equos rectissime tractent. Scripsit quidem & Simo librum de re equestri, qui Athenis equum aheneum in Eleusinio dicatum posuit, & ab se præstita in basi cælauit. Nos autem in iis, quæ forte nobis oblata sunt huius, si qua cum rationibus nostris conueniunt, ea de nostris haud expungimus: sed multo libentius amicis hæc quoque vel illa de caussa trademus, quod arbitremur, fidem nos inde maiorem inuenturos, quia vir equestris rei peritus in eadem nobiscum sententia fuerit. Quæcumque vero prætermisit, nos indicare conabimur. Primum autem scribemus, quonam modo minime aliquis in equorum emtione circumueniatur. Itaque pulli necdum adhuc domiti corpus explorandum esse constat. Nam qui nondum conscenditur, animi satis clara non præbet indicia. In corpore vero pedes primum spectandos dicimus. Sicut enim domus vsui nulli fuerit, si pulchre structæ sint partes eius,

Hæc interpretatio noua, est & accurata.

superiores, fundamētis inferius haud locatis, vt oportebat;
ita nec bellatoris equi fuerit vsus vllus, si cetera bonus o-
mnia, pedes malos habeat. Nequit enim dotibus* illis aliis
vti. Pedes sic aliquis explorare queat, si vngulas primū spe-
933 ctet. Præstant enim pedes bonitate, si spissæ potius vngulæ
sint, quam si tenues. Deinde nec illud negligendum an ar-
duæ sint, an humiles vngulę, tam anterius, quam posterius:
Nam arduæ remotam a solo testudinem, quem vocant, ha-
bent: depressæ vero, tam firmissima, quam maxime tenera
parte pedis pariter ingrediuntur, vt inter homines qui val-
gi dicuntur. Etiam sonitu recte memorat Simo pedum bo-
nitatem prodi. Nam vngula concaua solo impacta velut
cymbalum resonat. Quia vero hinc orsi sumus, indidem ad
alias partes corporis adscendemus. Igitur ossa, quæ supra
vngulas sic eminent, vt infra tamen* Cynepodas sint, nec
admodum esse recta debent, vt in capris; quia quum durio-
ra sint, equitem succutiunt, & huiusmodi crura facilius et-
iam inflammantur: nec eadem ossa debent esse valde de-
pressa: Nam ceteroqui partes illæ cynepodum callosæ de-
glabrarentur, & exulcerarentur, siue per glebas, seu per sa-
xa sit equus agendus. Ossa tibiarum oportet esse crassa. Ete-
nim ea corporis fulcra sunt. Neq; tamen aut venas aut car-
nes crassas, habere debent. Nam alioquin equo per aspera
gradiente necesse sit eas partes sanguine repleri, & rumo-
res callosos existere, crassaque fieri crura, cum abscessu cu-
tis: quæ si laxior fiat, etiā sura sæpius abscedit, & equo clau-
dicandi caussam præbet. Iā vero si genua pullus inter ince-
dendum molli flexu moueat, hoc ipso coniecturam feceris,
eum etiam habiturū agilia crura, quū ad equitationis vsum
idoneus erit. Quippe solēt omnes genua progressu tēporis
etiam mollius & agilius inflectere: Non autem abs re mol-
lis hæc agilitas præcipuam laudem habet. Nā minus & of-
fendit & fatigatur equus talis, quam cui rigida crura sunt.
Femora sub armis si crassa sint, robustiora pariter, & venu-
stiora, sicut etiam in corpore virili, videntur. Pectora quo
latiora sint, eo sunt elegantiores & aptiores equi, siue for-
mam spectes, seu robur, & vt equus non variato motu, sed
eodem diu continuato cruribus vtatur. A pectore ceruix e-
ius enata sit, non prona, sicut in verre; sed recta velut in gal-
lo tendat ad verticem, & laxa sit, qua contrahitur & incur-
uatur.

*fortasse, vllis aliis. Æ.P.

*a pedibus caninis dictæ partes; callosæ crurium in equis, inter vngulam & suram.

natur. Caput sit osseum, idque mandibulum paruam habeat. Sic equi collũ ante sessorem erit, & oculus ante pedes spectabit. Formæ vero talis equus minime vi cogere sessorem poterit, etiamsi valde sit animosus. Quippe quum equi 934
vim moliuntur, non collũ & caput inflectunt, sed extendũt. Maxillæ quoque considerandæ sunt, ambæne teneræ sint, vel duriores, an alterutra. Nam qui maxillas dissimiles habent, ab oris altera parte contumaces fiunt. Indicia vigilãtiæ potiora sunt in oculis prominẽtibus, quã intra concauitem abditis; & equus oculis eiusmodi præditus, etiam longius prospexerit. Nares patulæ compressis ad respirandum commodiores sunt, & equi speciem magis terribilem efficiunt. Nam & quum equus equo irascitur, & quum inter equitandum ferocior euadit, magis diducit nares. Vertex equi maior, aures minutiores, equinum caput elegãtius reddunt. Si prominentium armorum extremitas sit altior, & equiti sedem magis tutã præbet, & vt armi firmius corpori adhæreant, facit. Eadem si duplex sit, ad insidẽdum mollior erit, quam simplex, & adspectu gratior. Latera profũdiora, & ad aluum turgidiuscula, simul efficiunt, vt equus ad insidendum plerumq; commodior sit, & robustior, & pabulo melius fruatur. Lumbi quo latiores & breuiores sunt, eo facilius adtollit partes equus anteriores, & posteriores facili' adtrahit: eodemque modo fit, vt venter quamminimus adpareat, qui vastior partim deformat equum, partim debilitat, & ad gestandum minus aptum reddit. Coxas oportet esse latas & carnosas, vt laterib. & pectori respondeant. Quod si solida sint hæc omnia, leuiora simul ad cursum erũt, & equum magis acrem exhibebunt. Si femora equi sub cauda distincta fuerint linea latiori, etiã crura posteriora spatiosius subiiciet. Id vero si faciat simul & pernicius sub equite, quum agitabitur, & firmius incedet; & omnia, quã aliter, erunt meliora. Licebit ex ipsis hominibus hoc coniicias. Quippe quũ aliquid adtollere de terra volũt, magis omnes id crura diuaricando, quam iisdem coniunctis, facere nitũtur. Coleos equus grandes habere non debet, quod in pullo deprehendi nequit. De talis posterioribus, deque tibiis, & callosis crurum partibus, qui cynepodes sunt, & de vngulis, eadem dicimus, quæ de anterioribus. Nunc ea scribere volo, de quibus equi magnitudinem coniiciens, mi- 935

nime quispiam aberrauerit. Cuius enim pulli tibiæ statim ab ortu fuerint altiores, is maximus fieri solet. Nã omnium quadrupedum tibiæ progressu temporis magnitudine non admodum crescunt, sed proportione quadam apta corpus etiam reliquum pro ratione tibiarum sumit incrementum. Qui formam pulli ad hunc modum explorant, facile consecuturi nobis equum videntur, qui pedes habeat bonos, & robustus sit, & corpulentus, & elegans, & iustæ magnitudinis. Si maxime quidam inter crescendum mutantur, nos tamen hæc confidenter in explorando sequi possumus. Nam longe plures ex deformibus pulchri, quam ex pulchris deformes fiunt. Scribendum etiam nobis videtur, quomodo pulli sint instituẽdi. Res equestris in vrbib. mandari solet iis, quibus opes inprimis idoneæ sunt, & reipublicæ pars non minima creditur. Longe vero satius est, vt iuuenis quidem tum valetudinis suæ, tum equestris rei studiosus sit, aut si iam equitare norit, vt exerceatur, quam vt pullorum sit domitor; profectior autem, vt domus, amicorum ciuilium, bellicarumque rerũ curam potius gerat, quã pullis instituendis occupetur. Si quis autem de pullis idem mecum sentit; pullum instituendum locabit, & ita quidem; vt non aliter, ac si puerum artis alicuius discendæ caussa locet, scripto complectatur, quomodo instructum sibi reddi velit. Id enim ostẽdet domitori, quid efficere studio suo debeat, si mercede potiri velit. Opera vero danda, vt pullũ domitor mãsuetum, tractabilem, hominum amantẽ accipiat. Horum pleraque domi efficiunt equisones, si norint, etiam sine labore famem, sitim, irritationem in pullis existere: sed eosdem nõ nisi per homines & pabulo, & potu potiri, & rebus molestis liberari posse. Nam hac ratione non tantum a pullis homines diligi, sed expeti quoque necesse est. Etiam illa tangenda sunt, quorum contrectatione solet equus inprimis delectari. Sunt autem hęc, quæ spissitudine pilorum abundant, & quib. si molestum aliquid accidat, opẽ ipse ferre nequit. Equisoni quoque præcipiatur, vt pullum per turbam ducat, & ad varias species, varios strepitus atque sonos
936 propius admoueat. Horum si qua reformidat pullus, non a sæuiente, sed deleniente doceri debet, esse illa minime terribilia. De pullis instituendis hæc minus perito præscripsisse, mea quidem opinione satis est. Iam vbi quis equum compa-

comparare vult, qui agitari ceperit; admonitiones quasdã adscribemus, quas scire debet, qui nolit equorum in emtione circumueniri. Primum non ignoret, quæ sit ætas equi. Nam qui dentes pullinos, ætatis indices, amisit; neque spe delectat, nec perinde reuendibilis est. Vbi iuuenem esse constiterit, cognoscendum est, quomodo frænum ore, verticis habenas ad aures admittat. Id vero nequit obscurum esse, si frænum in conspectu emtoris & iniiciatur, & eximatur. Hinc animaduertendum, quonam modo equitem dorso suscipiat. Ex equis enim plerique difficulter admittunt, quæ iam ante intelligunt admissa laborandi necessitatem sibi adlatura. Hoc quoque considerandum, an conscensus ab equis aliis digredi velit, vel an equos adstantes inspectans, ad eos sessorem auferat. Sunt etiam, qui propter educationẽ malam ex ipsis agitationibus se fuga domum recipiunt. Ex oris altera parte duriores prodit equitatio, quæ * pedica nominatur; ac multo magis ipsa equitationis mutatio. Nam pleriq; sessorem auferre non conantur, nisi simul & ab improbiore maxilla iuuentur, & impet[illegible] ipse domum tendat. Etiam sciri oportet, an dimissus ad cursum celeriorem paullo momento inhibeatur, & an reuerti velit. Hoc quoque non ignorari conducit, an excitatus ictu perinde, ac prius, parere velit. Quippe nullius vsus est & famulus, & exercitus contumax. Equus vero contumax non tantum inutilis est, sed etiam sępenumero perpetrat ea, quę proditor solet. Et quia nobis equum bellatorẽ comparandum suscepimus, periculum eius faciundum in omnibus, quæ in bello tentari consueuerunt. Ea vero sunt, transilire fossas, superare muros, in tumulos euadere cum impetu, de tumulis desilire. Faciundum quoque periculum & sursum agitãdo per accliuia, & per decliuia, & per transuersa. Nam his omnibus & animus exploratur, an tolerans; & corpus, an sanum sit. Non tamen is, qui hæc non admodum bene 937
præstat, reiiciendus est. Etenim plerique, non quia non possint, sed quia rudes sint, in his deficiunt. At vero si didicerint, & adsuefacti sint, & exercitati, hæc omnia recte præstiterint; modo sani sint, & non ignaui. * Suspicaces tamen cauendi. Nam qui valde formidolosi sunt, vt hostem de se lædi non sinunt, ita sæpenumero etiam in grauissima pericula coniecto sessori detrimentum adtulerunt.

* *quod in ea constringãtur equi ad certam ingrediẽdi rationẽ vel inuiti, tanquam pedica.*

* *Suspicaces equi sunt, qui facile sibi metuunt.*

Cognoſcendum quoq; , num aliqua ſæuities inſit equo, vel
aduerſus equos, vel aduerſus homines; & an ſe titillari non
patiatur. Etenim hæc omnia non poſſunt nō iis eſſe grauia,
qui equum talem poſſident. An autem ſe fræнari, & cōſcen-
di, ac vel in gyrum, vel aliter agitari recuſet, multo facilius
cognouerit aliquis; ſi poſt exhauſtos ab equo labores, rur-
ſus ea facere, quæ prius ante agitationē, adgrediatur. Quip-
pe ſi qui laboribus exhauſtis, iterum labores ſubire volunt;
indicia ſatis idonea firmi ac tolerantis animi præbent. Ad
ſummam, is equus, cui boni ſunt pedes, qui manſuetus eſt,
qui ſatis velox, qui ſuſtinere labores & velit & poſſit, ac ma-
xime qui pareat; in actionibus bellicis equiti, haud dubie
nec vllius rei grauis, & ſalutis auctor inprimis exiſtet. Qui
vero vel propter ignauiam multū impellendi ſunt, vel pro-
pter animoſitatē nimiam magno cum labore demulcendi;
pariter & negotium manibus equitis exhibent, & in peri-
culis exanimant. Iam vbi quis equum ſibi probatum com-
parauerit, ac domum duxerit; commodū erit, ea parte do-
mus eſſe ſtabulum, vbi dominus equum creberrime con-
ſpiciet; commodum, ſic equile conſtrui, vt non magis equi
pabulum e præſepi, quā domini cibus e penu ſubtrahi fur-
to poſſit. Qua quidem in re qui negligens eſt, ſeipſum ne-
gligere mihi videtur. Nam perſpicuum eſt, dominum in
periculis equo corpus ſuum credere. Nec tantum hāc com-
moditatem habet equile munitum, ne pabulum furto ſub-
trahatur; ſed etiam vt conſtet, quando pabulum equus e
præſepi non egerat. Id vero ſi quis ſentiat, intelligat licet,
vel os eius ad nauſeam vſque humoris abundans, remedij
alicuius indigere, vel laſſum corpus quiete reficiendum, vel
hordei faſtidium, vel alium quemdam languorem obrepe-
938 re. Sunt autem omnia non aliter, ac in homine, magis ab
initio etiam in equo curabilia; quam vbi vel inhæſere mor-
bo firmius, vel in eis peccatum fuerit. Quemadmodum ve-
ro & pabuli, & exercitiorū equi ratio haberi debet, vt cor-
pus robuſtum efficiatur; ita pedes quoque muniendi ſunt.
Humida læuiaque ſtabula bonas etiam a natura corrum-
punt vngulas. Itaque ne ſtabula ſint humida, defluxum ha-
bere debent; ne læuia, lapides coniunctim defoſſos, qui
magnitudine pares ſint vngulis. Nam huiuſmodi ſtabula
pedes inſiſtentium lapidibus equorum ſolidiores efficiunt.

Secun-

Secundum hæc in locum equus educendus curatori, quo destringatur; & post prandij pabulum solutis loris remouendus a præsepi, quo iucundius ad pabulum vespertinum accedat. Vt autem & stabulum exterius optimum sit, & equi pedes corroboret: lapidum rotundorum palmarium,* minæ pondus habentium, plaustra quatuor aut quinq; passim substernat, & ferreo labro includat, ne diffundantur. Quippe dum his institerit, numquam non diei partem aliquã velut in via lapidea ingrediendo exiget. Necesse est etiam, vt vngulis perinde vtatur, dum & destringitur, & pungitur, atq; inter incedendum. Pedum quoq; testudines a lapidib. hoc modo substratis solidantur. Sicut autem vngularum, quo firmę sint; ita etiam oris, vt sit tenerũ, cura geri debet. Eadẽ vero & hominis carnem, & os equi tenerius efficiunt. Videtur etiam nobis viri equestris esse, vt equisonem edoctũ habeat, quomodo cũ equo sit agendum. Ac primũ scire hunc oportet, numquam præsepialis capistri nodũ ea parte capitis, adstringendum, cui verticis habenæ adhiberi solent. Quũ enim equus ad præsepe freqũter caput mouere consueuerit, nisi capistrum auribus ita sit adplicatum, vt non noceat; sæpenumero partes illas exulcerat. Ob eas autem exulcerationes fieri necesse est, vt equus & ad frænandum, & ad destringendum se difficiliorem præbeat. Fuerit hoc quoq; bonum, vt equiso mandatum efferendi cottidie fimi, & stramentorum equi, vnum aliquem in locum, habeat. Id enim si faciat, simul eo labore nullo negotio defungetur, & equo proderit. Etiam * sciat equiso camũ equo admouẽdum, siue ad destrictionẽ, seu ad volutabrum educat. Adeoq; semper, quocumque duxerit equum sine fræno, camum adhibere debet. Quippe camus vt respirationem non impedit, ita mordere non sinit: idemque si equis adhibitus sit, magis ab insidiis homini struendis auocat. Supra caput adligari debet equus. Nam omnia, quæ circum os equo molesta contingunt, sursum elato capite declinare solet. Itaque sic adligatus si quid declinet, laxat potius vincula, quam rumpit. Strigili vsurus a capite ac iuba incipiat. Nam frustra sit, inferiora purgare; si superiora necdum munda sint. Deinde reliquo corpore cunctis ad expurgandos equos factis instrumentis erigere pilos, & puluerem extergere pro natura pilorũ debet: at spinæ pilos alio nullo tãger

*hoc est libra, fere.

*Equisonẽ etiam scire oportet camum equo admouere. Æ.P. 939.

instrumento, nisi quod manibus eos fricabit, & secundum naturalem eorum situm emolliet. Quippe sic illam in equo sellam quamminimum læserit. A qua caput eluendum est. Quum enim osseum sit, dolorem sentiet equus, si ferro vel ligno purgetur. Iuba quoq; anterior humectanda. Quum enim prolixi sint hi capilli, sicut equum in adspiciendo non impediunt; ita depellunt àb oculis, si qua molesta iis accidant. Deos quoque putandum, hos equo capillos aurium magnarum loco dedisse, quas asinis & mulis ad depellendas oculorum iniurias concesserunt. Eluenda quoque cauda cum iuba, quo capilli crescant; caudæ quidem, vt eam lõgissime porrigens equus, abigere molesta possit; colli vero, vt adminiculum, quod adprehendet conscensor, copiosum habeat. Etiam venustatis caussa diuinitus equo iuba, capillus anterior, cauda contigit. Eius argumentũ hoc fuerit, quod equæ gregariæ non perinde asinos ad coitum admittant, dum iubatæ sunt. Propterea tondent ad coitum equas omnes illi, qui volũt, vt ab asinis ineantur. Crura ceteris membris abluẽdis eximimus. Vt enim vtilitatis nihil habet, ita etiam noxia est vngularum humectatio cottidiana. Nimia quoq; repurgatio eorum, quæ sub aluo sunt moderanda. Nam equo maximam illa molestiã exhibet, & quo partes eæ mundiores fuerint, eo plura sub aluo dolorem equo concitantia colligunt. Quod si maxime laborem in his perpetuum aliquis impenderit, nõ tam cito liberatur ab eis
940 equus, quin statim similis sit immundis. Quapropter hæc omittenda sunt. Crurum quoq; detersio, quæ dumtaxat fit ipsis manibus, sufficit. Indicabimus hoc etiam, quemadmodum aliquis suo cum damno minimo, & equi commodo maximo defricatione vtatur. Nam ita si detergat sordes, vt in eamdem cum equo spectet partem; periculum erit, ne in faciem ab equo tum genu, tum vngula percutiatur. Sin aduersus equum intuens, & extra crus ipsum inter detergẽdum ad scapulã constitutus defricuerit: nec ipse damni hoc modo quidquam acceperit, & possit itidem equi vngulam aperiendo testudini remedium adferre. Similiter & crura posteriora purget. Saltim id obseruet, qui versatur apud equum; & hæc, & alia sane omnia, quæ fieri oportet, minime sic faciunda; vt ore recto & ad caudam accedatur. Quippe si vtraque parte nocere homini equus adgrediatur, viribus homi-

homine superior est. At si quis a latere adierit, is minimo cum damno suo, multa cũ equo poterit agere. Iam vbi ducendus est equus, vt aliquis a tergo sequens eum ducat, propterea non probamus, quia ductor hoc modo minime sibi cauere potest, & equo facere nullo negotio licet omnia, quę vult. Rursus vt aliquis antecedens a fronte longo cum loro ductorio doceat equũ subsequi, propter has caussas reprehendimus; quod equo nocere liceat, vtrocumque velit a latere, atque etiam se cõuertere possit & in ductorem aduersum irruere. Quod si plures equi sic ducantur, qui nam fiet, vt a se inuicem abstineant? Qui vero a latere duci consueuit equus, is minime nec equos nec homines lædere possit, & equiti cõmodissime paratus ad manum fuerit, si quãdo celeriter in eum sit adscendendũ. Vt autẽ curator equo frænũ etiam recte iniiciat, ad læuum latus equi primum accedat; deinde circum caput habenas iniiciẽs, in summis armis eas deponat, verticisque lorum dextra tollat, lęua lupos admoueat. Hos si admittat, totum fræni reticulũ ei scilicet induendum erit. Sin os pandere nolit, fręnum equi dentib. adhibendo digitus sinistræ maximus buccę inseratur. Nam plerique, si hoc fiat, os laxant. Si ne ita quidem admittat, labrũ ad dẽtem, qui caninus dicitur, premat. Paucissimi quidem, si hoc eis accidat, frænum non recipiunt. Etiã in his instructus sit curator. Primum, ne ducat equũ habenis. Sic enim pars oris altera fit durior. Deinde, vt a maxillis interuallo conueniente frænũ sic absit, vt sensus eius equũ non fugiat. Nam si valde maxillis incumbat, ori callũ obducit. At si nimis ad os extremum demittatur, potestatẽ præbet equo se contumaciter gerendi, si frænum simul mordeat. Et nequaquam equus huiusmodi reb. exacerbandus est, quum laborem subire debet. Quippe tantum in hoc momenti sitũ est, vt equ⁹ admittere frænũ velit; vt si quis nõ admittat, omnino inutilis sit. Quod si nõ tantũ frænetur, vbi laborandũ est equo, verumetiã quum ad pabulum ducitur, & quum ex agitatione domum reducitur; mirũ non sit, frænũ oblatũ ab eo sponte rapi. Bonum hoc quoq;, scire curatorem, quo pacto sessor more Persico in equum sustollendus sit: vt & ipse dominus, si morbo languerit, aut prouectior fiat, habeat hominem a quo facile imponatur in equum; & alij, cui velit, homine cõcedendo gratificari queat, a quo sustollatur.

Vnum autem hoc ad equos & præceptum, & institutum est
optimum; numquam vt iracunde cum equo agatur. Nam
ira quiddam est inconsideratum. Itaque sæpenumero facit
ea, quorum pænitere necesse sit. Quum etiam suspectum
aliquid habens equus, id adire non vult; docendus est, in eo
nihil esse terribile, præsertim equo animoso: sin id fieri ne-
queat, equitem ipsum adtingere oportet id, quod terribile
videtur, equum leniter adducendo. Qui vero verberib. eos
cogunt, etiam metum maiorẽ incutiunt. Putant enim equi,
quum interim aliquid graue ferunt, etiam id ab illo, quod
suspectum habent, proficisci. Quum sessori curator equum
tradit, non improbamus sane, si norit equũ sic ei subiicere,
quo facilis adscensus sit. Ipsum tamen equitem in hoc exer-
cere se debere ducimus, vt etiã equo se non præbente con-
scendere possit. Nam aliquãdo alius atq; alius equus offer-
tur, & idem aliquis alias alij inseruit. Iam quum eques ali-
quis acceperit equum, tamquã in eum cõscensurus: scribẽ-
942 dum modo, quæ facere debeat eques, vt in re equestri tam
sibi, quam equo, plurimum conferat. Primo lorum ducto-
rium, ad inferiorem fræni partem, vel ad menti cathenam
religatum, commode manu sinistra sumat, & ita laxum, vt
nec in adscendendi conatu subleuandi sui caussa iubas e-
quinas ad aures prehendens, nec ab hasta insiliens, equum
conuellat. Dextra sumat habenas iuxta summos armos, vna
cum iuba; ne vllo modo inter ascendendum os equi fræno
torqueat. Posteaquam ad conscensum se leuiorem reddide-
rit, sinistra corpus subleuet; simul dextram extẽdens, se su-
stollat. Nam ita conscendens, ne quidem a tergo deforme
spectaculum exhibebit. Et fient hæc inflexo crure, ne genu
quidem in equi dorsum imponendo; sed in latus dextrum
tibia traiiciatur. Vbi pedem circumactum in alteram partẽ
transtulerit, tunc etiam equo clunes imponat. Bonum quo-
que nobis esse videtur, vt etiam a dextro latere in equũ insi-
liendi vsum aliquis sibi paret; si forte contingat, vt eques si-
nistra ducat equum, hastam dextra teneat. Nec aliud heic
discendum, quam vt sinistris partibus corporis ea peragat,
quæ illic dextris faciebat; quæ sinistris illic, iam dextris heic
agat. Et laudamus hanc adscensionem propterea, quod hoc
modo simul atq; conscẽderit equum, paratus sit ad omnia,
si forte subito pugnandum sit aduersus hostes. Vbi iã inse-
derit

derit vel equo nudo, vel ephippio, nō laudamus sessionem, qualis est in sella; sed eam, quæ crurib. diuaricatis equitem velut erigit. Sic enim & femorib. equo firmius adhærebit, & erectus tam iacula vibrare, quam ferire validius ex equo, si ferat vsus, poterit. Tibiam quoque cum pede fluxam ac liberam inde vsque a genu demittere oportet. Nam si quis crure rigido in aliquid impegerit, etiā crus fortasse fregerit. At tibia fluxa, licet aliquid in eam impingat, & cedere possit, & femur loco suo non mouerit. Debet etiā eques ita corporis sui partes, quæ supra coxas sunt, exercere consuefaciendo, vt quammaxime sint agiles. Sic enim & laborib. magis suffecerit, ac si quis eum vel trahat, vel trudendo impellat, minus euerti possit. Vbi iam insidet equo, primum 943
docere debet eum, vt placide quiescat, donec subduxerit ipse, si quid oporteat, & habenas æquales reddiderit, & hastā ita sumserit, vt gestari facillime possit. Deinde brachium sinistrum lateri admodum teneat. Hic enim gestus equitem maxime decet, ac manui robur inprimis addit. Habenas laudamus æquales, non fragiles, nec lubricas, nec crassas: vt ea manus, quoties opus est, hastā quoq; prehendere possit. Signo dato, vt equus progrediatur; pedetentim fiat initiū. Nam in hoc minimum est perturbationis. Habenas, si *cernuus incedat equus, manib. superiori earum parte teneat: sin erectiori capite, inferius. Hoc enim formam equi maxime decorauerit. Secundum hæc si naturali cursitet incessu, reddetur corpus eius absque molestia laxius, & libentissime ad virgæ incitationē accedet. Quum enim magis probetur, vt a sinistris initium fiat; ita maxime hinc incipiet, si equo post conscensionem ad dextram currente, signum ei virga dederit. Quippe dum sinistrum sumere vult hinc incipiet; & vbi ad sinistram se conuertit, tunc & inflexionis initium faciet. Solet enim equus, si conuertatur ad dextram, dextris insistere; si ad læuā, sinistris. Eā vero laudam⁹ equorum agitationem, quæ pedicæ nomen habet. Nā adsuefacit equos, vt ab vtraque maxillarū parte conuertantur. Et mutare motum equi bonum est, vt vtraq; agitationis ratione similes sibi maxillæ fiant ambæ. Laudamus & pedicam altera parte longiorem potius, quam rotundam. Sic enim libentius conuertetur equus, iam recti cursus satur; & simul ad cursum rectum, & ad inflexionem exercebitur. Etiam

*Lectio marginis ex Polluce.

inhibendi sunt in reflexionibus equi. Nec enim vel facile,
vel tuto fieri potest; vt equus in cursu citatiore paullo mo-
mento se reflectat, præsertim si locus pauitus sit, aut lubri-
cus. Inter inhibendum quamminime fræno flectendus in
obliquum equus, nec in alterum latus ipsi sessori procum-
bendum. Ceteroquin ei sciendum, leuem suffecturam oc-
casionem ad hoc, vt tam ipse, quã equus, humi iaceant. Vbi
244 iam post inflexionem directe prospiciet equus, tum vero ad
celeritatem incitãdus erit. Nimirum constat, in bellis quo-
que fieri reflexiones, vel hostem insequendi, vel receptus
caussa. Quapropter vtile est equos exercere, vt reflexi cursu
celeriore ferantur. Postea quam exercitij satis habere iam
videbitur equus, bonum erit etiam post quietem eum subi-
to ad cursum celerrimum incitare, tam ab equis aliis, quam
in equos; rursumq; ab hac celeritate proximo quodã in lo-
co quiescere, ac vbi steterit aliquamdiu, denuo reflexum in-
citare. Quippe manifestum est, venturum aliquando tẽpus,
quo amborum vsus ei futurus sit necessarius. Vbi iã descen-
dendi tempus erit, non hoc fiat inter equos, nec iuxta cœ-
tum aliquem hominum, nec extra spatium agitationis: sed
quo loco laborem equus perferre cogitur, ibidẽ & requiete
potiatur. Et quoniam equo nonnumquam currendum erit
per decliuia, montuosa, transuersa; nonnumquam transili-
endum, & exsiliendum, & desiliẽdum; ad istæc omnia pror-
sus & instituere & exercere tam seipsum, quam equum de-
bet. Hoc enim modo & salutaris alter alteri fuerit, & vtilis.
Si quis autem nos eadem bis repetere putat, qui de iisdem
& prius & nunc loquamur: sane non hoc est, bis dicere. Nã
in emtione periculum fieri iubebamus, an equus hæc præ-
stare posset; nunc vnicuique sic equum suum docendum di-
cimus, & docendi rationem litteris prodemus. Nã qui trãsi-
liẽdi rudem prorsus accepit equum, is humi demisso loro
ductorio, prior ipse transire fossam debet: deinde loro du-
ctorio sic vrgendus equus, vt transiliat. Si nolit, flagellũ ali-
quis aut virgã totis viribus adhibeat. Ita non solũ id spatiũ,
sed maius etiã, quam oportebit, trãsiliet; ac deinceps nõ o-
pus erit verberibus, sed vbi dũtaxat accedentẽ a tergo quẽ-
dam conspexerit, saltabit. Postquã ita transilire adsueuerit,
etiã conscensum primo deducat ad minores, inde maiores
fossas. Quũ vero iam saltaturus est, calcaribus eum pungat.
Simili-

Similiter & quum eũ exsilire, & quum desilire docet, calcaribus exstimulet. Nam si hæc omnia toto simul corpore faciat equus, tam sibimet ipsi, quam sessori minore cum periculo præstabit; quam si vel in transiliendo, vel sursum proruendo, vel desiliendo, a tergo posteriora deficiant. Ad decliuia primũ instituendus est in solo molli. Tamdem vero, quum adsueuerit, multo libentius per decliuia, quam per accliuia curret. Si qui vero metuunt, ne dum aguntur equi per decliuia, scapulas & armos rumpant: bono esse animo poterunt, vbi cognouerint, Persas & Odrysas vniuersos, per decliuia cursu certantes, equos habere Græcorum equis non minus sanos. Nec omittemus, quo pacto sessor ad hæc omnia se debeat accommodare. Nam ad impetum equi subitum, anterius ei propendendum; quod hoc modo minus deprimetur equus, & minus equitem sursum iactabit: paulloque post, dum inhibetur equus, se retrorsum erigat. Sic enim minus ipse succutietur. Dum fossa transilitur, & in accliuia pergitur, non malum est, iubam adprehendere; ne simul equus & difficultate loci, & fræno grauetur. In agitatione vero decliui seipsum resupinet, & equum fręno contineat: ne præceps tum ipse, tum equus, deorsum feratur. Rectum est etiam, nonnumquam in aliis atque aliis locis, & interdum longas, interdum breues equitationes instituere. Nam & illa minus equo sunt odiosa, quam si semper in iisdem locis, & eodem modo agitetur. Quia vero necessarium est, vt omnigenis in locis equum agens, eidem firmiter insideat, & armis ex equo recte vti possit; idcirco rei equestris exercitium in venationibus, vbi tum idonea loca, tum feræ sunt, reprehendi non solet: vbi vero nulla est horum copia, fuerit hæc quoque non inutilis exercitatio, si duo equites sic inter se rem componant, vt alter in equo per omnigena loca fugiat, & hastam subinde retro transferens abscedat; alter insequatur cum iaculis in cuspidem pilarem desinentibus, & cum eiusdem formæ hasta. Quum intra iactum teli peruenerit, illa iacula cuspidis pilaris in fugientem coniiciat; quum ad interuallum, quo hasta ferire licet, capiendum feriat. Bonum hoc quoque, vt his inter se congressis, alter hostem ad se tractum subito protrudat. Hæc enim est hostis deiiciendi ratio. Vicissim is, qui trahitur, recte faciet; si equum abigere nitatur.

Quippe si hoc faciat is, qui trahitur; citius trahentem deie-
946 cerit, quam ipse ceciderit: Iam si aliquando, dum castra castris opponuntur equites cōtra se prouehantur, & ad hostilem vsq; phalangem aduersarios insequātur, ad suam vero vicissim refugiant: heic etiam scire bonum est, quam diu nō procul aliquis a suis abest, recte tutoque facturum, si equo in hostes adacto, totis viribus inter primos vrgeat: vbi vero propior hostibus fuerit, equum in potestate retineat. Non enim abs re sic maxime damnum hostibus inferens, ipse nullum ab eis acceperit. Ceterum mortalibus hoc datum diuinitus, vt alios oratione docere possit homo, quæ faciunda sint. Equū vero vt nihil oratione profecto docueris, ita si pro voluntate tua quiddam agenti vicissim gratum aliquid feceris, & contumacem castigaueris; hoc inprimis modo didicerit, vbicumque debet, obsequi. Paucis hoc quidem dicitur, sed in equestri re tota locum habet vbique. Nā & frænum facilius admittet, siquidem eo admisso boni aliquid ei contingat: itidemque tum transiliet, tum exsiliet, ac in aliis omnibus obsequetur, si postquam imperata fecerit, aliquam requietem exspectet. Et hactenus quidem hæc exposita sunt, quomodo quamminime circumueniatur is, qui pullum & equum emit; quomodo quamminime comparatum vsu corrumpat, præsertim si equus cum ostentatione sit exhibendus, qui habeat ea, quibus equiti ad bellum sit opus. Tempus autē fortasse fuerit, vt etiam scribamus, si quando contingat, vt vel animosiore quis equo, vel ignauiore, quam par sit, vtatur; quonam modo rectissime vtroque possit vti. Primum igitur hoc sciendum, in equo id animum esse, quod in homine sit iracundia. Itaq; sicut hominem minime quis ad iram prouocet, qui molestum ei quidquam neq; dicit, neq; facit: ita nec animosiorem equū ad iram aliquis commoueat, qui re nulla eum offendit. Statim igitur in adscensu adhibenda diligentia, ne quidquam molestum equo fiat, dum conscenditur. Vbi conscenderit eques, & diutius quieuerit, quam alioqui forte fecisset: ita deinde signis eū placidissimis loco moueat. Hinc a tardissimo incipiens, sic eum ad velociorem motum deducat; vt ipsemet equus se minime sentiat ad progressum celeriorem accessisse. Quidquid autem repente iusserit eques, id equum animosum nō aliter, atq; hominē ipsum, perturbat:

siue subito cõspiciat aliquid, seu audiat, seu patiatur. Scien- 947
dum ergo, repentina perturbationis caussam equo præbere. Quod si etiam equum animosum concitatius proruentem, quam par sit, inhibere velis: non eum conuellere subito debes, sed placide fræno adtrahere; vt eum mitigando, non vi cogendo, ad quiescendum permoueas. Agitationes quoq; prolixiores magis mitigant equos, quam crebræ inflexiones: itemq; remissiores diu demulcent, & placant, & minime concitant equum animosiorem. Si quis autem existimat, equum se agitatione celeri & diuturna fatigatum, mansuetiorem effecturum: is contra statuit, quam fieri solet. Nam equus animosus in huiusmodi agitationib. in primis vi nititur vti, & in ira perinde, atq; homo iracundus, sæpenumero tam seipsum, quam sessorem, multis adficere malis grauissimis consueuit. Etiam continendus est equus animosus, quo minus celerrime proruat; & ab eo prorsus abstinendum, ne cum alio quouis equo certaminis caussa committatur. Nam equi plerumque contentiosissimi etiam existere solent animosissimi. Fræna quoque his aptiora læuia, quam aspera. Si tamen & asperum iniectum fuerit, laxitate id efficiendum, vt læui simile sit. Bonum vero est, vt eques se consuefaciat ad sessionem quietam in equo animoso, & vt eum alia sui parte non tangat, quam quibus partibus equum sessionis tutioris caussa tangimus. Sciendum autem, solere præcipi, vt equi poppysmi sibilo mitigentur, clogmo excitentur. Quod si quis initio lenius equũ tractet cum clogmo, durius cum poppysmo: nimirum ad poppysmum incitari adsueuerit, ad clogmum mitigari. Eodem modo nec ad clamorem, nec ad tubam, vel ipse videri debet ad equum accedere perturbatus, vel ei turbulentam aliquam speciem exhibere: sed in huiusmodi casu equum sedare, quãtum eius fieri potest, & eidem tum prandij, tum cœnæ pabula, si quidem id fieri liceat, offerre. Rectissimum vero consilium hoc fuerit, vt equus admodum ferox ad vsum belli nõ ematur. De inerti equo sufficere mihi videtur id scripsisse, omnia huic faciunda iis contraria, quibus vtendum in animoso consulimus. Si quis autem equo ad bellum idoneo sic vti voluerit, vt etiam inter equi- 948
tandum magnificentior & spectabilior sit: is vti nec os equi fræno torqueat, nec eum calcaribus & flagris vrgeat,

abſtinere ſe debet: quæ plerique dum faciunt, ſplendorem quemdam præ ſe ferunt. Contraria nempe iis agunt omnia, quæ cupiunt. Etenim dum equorum ora ſurſum trahendo torquent, cæcos reddunt eos, qui ante ſe ſpectare debebant: dum calcaribus vrgent, & flagris cædunt, ita territos obſtupefaciunt; vt perturbati, ſe periculis exponant. Ea vero fieri ab equis ſolent, qui motum equitationis moleſtiſſime ferunt; ac fœde, non egregie ſe gerunt. Si quis autem ſic equum inſtituat, vt motus equeſtres fræno laxiore peragat, & ceruicem ſurſum adtollat, & a capite gibberis inſtar incuruet: ita ſcilicet illum impellat ad præſtandum ea, quibus equus ipſe gaudet ac exſultat. Et his eum gaudere, vel hoc argumento conſtat. Nam quoties ipſe ad alios accedit equos, fœminei præſertim ſexus; tunc & ceruicem ad ſummum adtollit, & caput agili maxime motu recuruat; ac alte quidem mollia crura tollit, caudam vero ſurſum tendit. Itaque ſi quis eum ad iſta deducat, quæ ipſemet effingit, quum pulchritudinem ſuam in primis oſtentat: tum vero talem exhibebit equum, qui & voluptatem ex agitatione capiat, & magnificus ſit, & pernix, & ſpectabilis. Quo autem modo putemus hæc poſſe perfici, nunc enarrare conabimur. Primum igitur habere fræna non pauciora duobus oportet. Horum læue ſit vnum, & orbes habeat maiuſculos; alterum graues ac depreſſos orbes, & echinos acutos: vt vbi frænum huiuſmodi prehenderit, ob aſperitatem ægre ferens, dimittat; vbi læue cum iſto commutauerit, eius læuitate delectatus, quæ facere per illud aſperum edoctus fuerat, etiam læui vtens efficiat. Sin iſta læuitate contemta, frequenter huic incumbere velit: hanc ipſam ob cauſſam læui maiores orbes addimus, vt os pandere per hos cogatur, atque ita lupos admittat. Licebit & aſperiorem variare tum implicando, tum extendendo. Quotcumque vero fræna fuerint, mollia ſint omnia. Nam durum quacumq; parte prehenderit equus, totum ad maxillas tenet; ſicut & veru quacumque parte quiſpiam pre-
949 henderit, totum ſuſtollit. Alterum vero ſic comparatum eſt, vt cathena. Quam enim partem eius aliquis tenet, ea ſola non flexa manet; reliquis pendulis. Has dum fugientes in ore ſemper venando captat equus; lupos a maxillis dimittit. Eam ob cauſſam pendent & annuli de axibus in

medio

medio, vt hos tam lingua, quam dentibus insequendo prensans, frænum ad maxillas corripere negligat. Si quis autem ignorat, quod frænum molle, quod durum sit; hoc quoque litteris complectemur. Est enim molle, quum axes ita & latas & læues commissuras habent, vt facile flectantur. Itidem omnia, quæ circum axes adhibentur, si larga sint, ac minus densa, magis etiam sunt mollia. Si vero fræni partes omnes difficulter discurrant, & cohæreant; hoc scilicet est, durum esse ac rigidum. Qualecumque vero frænum equus habeat, eo peraget hæc omnia; modo eques talem illum efficere voluerit, qualem descripsimus. Os quidem equi sursum impellendum non adeo grauiter, vt effugere diuertendo velit; nec adeo placide, vt non sentiat. Vbi sursum caput impellendo ceruicem adtollit, mox ei frænum concedendum erit. Quinetiam in aliis equo, sicuti monere non desinimus, officium recte facienti vicissim indulgendum. Quumque senserit eques, & elatione ceruicis equum, & habenarum laxitate delectari: tum vero nihil ei molestum adferre debet, quasi ad laborem cogere; sed blandiri, quasi potius eum quiescere velit. Sic enim animo maxime promto ad agitationem celeriorem procedet. Nec argumentum nobis deest, quo constet, equum cursu velociore delectari. Quippe nullus omnino equus, vbi effugerit, gradatim incedit; sed cursu fertur. Hoc enim a natura delectari solet, nisi quis eum vlterius, quam tempestiuum sit, ad cursum cogat. Quidquid vero tempestiui vsus modum superat, id omnibus in rebus nec equo, nec homini gratum est. Vbi iam ad agitationem quamdam gloriosam peruenerit, adsuefactus scilicet a nobis erit in agitatione priori, vt post inflexiones ad motum celeriorem tendat. Si quis autem equum iam sic institutum simul & fræno retineat, & signo dato ad impetum excitet: tum vero pressus ille quidem a fræno excandescit, sed concitationis signo accenditur, ac pectus protendit, & irascens altius crura tollit, non mollia tamen. Quippe quum offenduntur equi, 95
non ideo cruribus vti mollioribus solet. At si quis equo sic excitato frænum concesserit, ibi præ gaudio, quod ob laxitatem se lupis liberatũ existimet, glorioso quodam gestu, cruribusque mollibus exsultabundus fertur, & in omnibus exprimit elegãtiam illam, cum qua solet equos alios adire.

Ac talem qui spectant equum, & liberalem adpellant, & spontaneum, & equestrem, & animosum, & fastuosum, simulque iucundum & terribilem adspectu. Quæ quidem si quis est, qui adfectat, hactenus exposita norit. At si quis equo ad pompas idoneo, & erigente se, & splendido vti voluerit: sane non quouis ab equo hæc exspectet, sed existere prius animum in eo magnum, & robustum corpus oportet. Quod autem plerique existimãt equum, cui crura mollia sint, etiam corporis adtollendi facultatem habiturum, non ita comparatum est: sed potius hoc illius erit, cui lumbi molles sunt, & breues, & robusti. Nec iam de lumbis ad caudam loquimur, sed de iis, qui ad aluum, inter latera & coxas existunt. Talis equus subiicere crura posteriora prioribus haud exiguum ad spatium poterit. Itaque si quis eo sic subiiciente, frænum sursum adducat; posterioribus quidem partibus in talos incumbit, anterius vero corpus sic adtollit, vt ab aduersis & venter, & verenda conspiciantur. Hæc vero quum facit, frænum ei remittendum est; vt quæ pulcherrima præstantur ab equo, & faciat lubens, & ita facere iudicio spectatorum existimetur. Et hæc quidem sunt qui docent equos, dum eos alij virga subter talos pulsant, alij quemdam propter equum currentem baculo cædere subiectas femoribus partes iubent. Nobis ea docendi ratio iudicatur optima, quemadmodum semper dicimus, si comitetur hoc in omnibus, vt equus voluntati agitatoris obsequens, vicissim ab eo quietem impetret. Nam equus ad quæ præstanda cogitur, vt Simo quoque monet, ea nec intelligit ipse, nec magis pulchra sunt, quam si quis histrionem flagris & stimulis ad agendum impellat. Quippe multo plura fœde, quam belle peregerit, qui sic excipiatur, & e-
251 quus, & homo. Nimirum ex signis equus percipiens omnia pulcherrima pariter & splendidissima debet exhibere. Quod si etiam, quoties equitationis motu exercetur equus, ad copiosum vsque sudorem agitetur; quoties autem pulchre semet erigit, cito descendat eques, & frænum adimat: omnino fore sciendum, vt ad erigendum se non inuitus accedat. Atque huiusmodi sane in equis tam dij, quam heroes, equitantes pingi solent; & homines, qui equis scite norunt vti, magnificentiam quamdam præ se ferunt: estque tam vehementer pulchrum quiddam equus semet

erigens,

erigens, tam admirandum, atque ſtupendum; vt omnium
ſpectantium, tam iuuenum, quam ſenum, oculos detineat.
Nemo certe vel ab eo diſcedit, vel ſpectare deſinit, dum
ſplendorem ille ſuum oſtentat. Quod ſi contingat alicui,
talem equum nancto, vel tribunatus, vel equitum magi-
ſterium; non hoc dumtaxat eniti debet, vt ſolus ipſe ſit
ſplendidus: ſed multo magis, vt comitatum vniuerſum ſpe-
ctatu dignum exhibeat. Itaque ſi ex iis equis, cuiuſmodi
maxime laudari ſolent, præcedat quiſpiam, qui ſummam
ad altitudinem, & creberrime corpus erigens, paullatim
admodum progrediatur; ſequentur hunc equi ſcilicet alij
gradatim. Et quid in hoc ſpectaculo ſplendidum fuerit? At
vero ſi ductor equum excitauerit, ac neque nimia cum ce-
leritate, neque tarditate nimia, ſed ea ratione præcedat,
qua fiunt equi & animoſiſſimi, & in primis truces, & ſpecie
ad labores obeundos maxime decenti: eo nimirũ modo &
ſtrepitus quidam repentinus, & repentinus hinnitus atque
flatus equorum aderit. Itaque non ipſe tantum, ſed totus
etiam comitatus ſpectatu dignus videbitur. Si denique fe-
liciter equum aliquis emerit, ad laborum tolerantiam e-
ducarit, eodem recte tum in exercitiis ad actiones belli-
cas, tum in agitationibus ad oſtentationem comparatis, &
in prœliorum certaminibus vtatur: quid huic obſtare poſ-
ſit amplius, quo minus equos pretij maioris efficiat, quam
eos acceperit; ac tum probatos habeat, tum ipſe rei eque-
ſtris gloria floreat, niſi diuinitus impediatur? His adiun-
gere volumus & illam deſcriptionem, quonam modo ar-
matum eſſe oporteat eum, qui periculum in equo ſit adi-
turus. Primum ergo dicimus, loricam ſiue thoracem ad
corpus factum eſſe debere. Si recte congruat, corpus i- 952
pſum hunc geſtat: laxum nimis humeri ſoli portant. Ad-
modum anguſtus, vinculum eſt, non armatura. Quia ve-
ro inter expoſita vulneribus letalibus & ceruix eſt, fieri
debere dicimus aptum ceruici quoque tegumentum ope-
re thoracario. Nam hoc & ornamentum adferet, & ſi iu-
ſto modo fabricatum fuerit, equitis faciem vſque ad nares,
vbi ſic ille voluerit intra ſe recipiet. Galeam ducimus o-
ptimam, quæ Bœotij ſit operis. Etenim ea tegit extra tho-
racem eminentia prorſus omnia, nec proſpectum impe-
dit. Thorax quoque ſic elaboratus ſit, vt nec in ſeſſione,

nec inclinatione prona ferat obstaculum. Circum partes inter vmbilicum & pubem, cum pudendis, & aliis in horum ambitu, tales totque primæ sunto; vt illa membra tegantur. Et quoniam sinistra quoque manus si læsa sit, equiti perniciem adfert; inuentam & huic muniendę laudamus armaturam, cui nomen manus inditum. Nam & humerum illa tegit, & brachium, & cubitum, & partes habenarum contiguas, simulque tum extendi, tum contrahi potest. Præterea partem sub alis a thorace destitutam obtegit. Dextram attolli necesse est, siue iaculum eques vibrare, seu percutere hostem voluerit. Quidquid igitur heic a thorace impedimentum adferre potest, remouendum: & huius loco pinnæ velut in quibusdam cardinibus erunt adplicatæ, vt quum dextra diducitur, & ipsæ pariter explicētur; quum reducitur, vicissim claudantur. Quod instar tegumenti tibiarum adhibetur brachio, commodius nobis esse videtur ad eam partem tuendam, quam si adligatum sit armaturæ. Quod nudari solet, dum dextra sustollitur, muniendum iuxta thoracem tegumento vel e pelle vitulina, vel ære facto. Nam alioqui locus maxime letalis incustoditus erit. Quoniam vero si quid equo accidat, etiam sessor in periculo summo versatur; armandus & equus ipse tum frontis, tum pectoris, atque laterum tegumentis. Hæc enim & equitis femora muniunt. Omnium vero maxime protegendus equi venter: is enim & letalibus expositus est maxime vulneribus, & debilissimus. Potest autem ephippio protegi. Debet illud etiam lorum, quod ephippium constringit & continet, sic esse consutum; vt & tutior equiti sit sessio, & equi sella non lædatur. Et aliis quidem partibus hoc modo & equus & eques armati sint. Tibias autem cum pedibus
953 exstare consentaneum est extra femorum tegumenta, munitæque fuerint hæ partes, si earum indumenta de illo corio fiant, ex quo crepidæ confici solent. Etenim hoc modo simul & armatæ tibiæ, & calceati pedes erunt. Et hæc quidem ad hoc comparata sunt arma, ne lædi quis possit, modo dij propitij fuerint. Hostibus autem lædendis ensi præferenda machæra siue * gladius incuruus. Nam ab equite, qui est in sublimi, vehementior est ictus copidis aut sicæ, quam ensis. Hastæ fuscinatæ loco, quoniam illa fragilis est, & incommoda gestatu potius corneas tragulas duas probamus.

*ξίφος ἐπικαμπές. Sic macherā vetus glossariū exponit. Idē copis siue sicis sica se-

bamus. Etenim harum altera coniici potest a perito, altera reseruari ad vsum vel in aduersos, vel a latere, vel a tergo constitutos: simulque firmiores hæ sunt, quam hastæ, ac gestatu commodiores. Iaculi vibrationem, quæ longissimum ad spatium fiat, laudamus. Nam hoc modo plus temporis conceditur, vt se quispiam auertat, & tragulam denuo sumat. Scribemus etiam paucis, quæ iaculandi ratio sit optima. Quippe si quis partes sinistras anterius protendens, & dextras reducens, deque femoribus insurgens, sursum erectam nonnihil cuspidem emiserit: ita nimirum & vehementissimo cum impetu, & longissime feretur iaculum, atque etiam dexterrime, siquidem emissa cuspis semper ad scopum spectat. Et hæ quidem admonitiones, & documenta, & exercitia rudi adhuc equiti a nobis præscripta sunto. Quæ vero tum scire, tum exsequi conueniat equitum magistrum; alio libro declarauimus.

cando dicta.

XEN. DE MAGISTERIO EQVIT.

Argumentum.

1. Boni equitum magistri munus. 2. Vnde primum initia sint ducenda ei, qui equitum magister esse cupit. 3. Quid, cur, quomodo a Deo petendum. 4. Huius magisterij partes, finis, vsus. 5. Equos quales esse conueniat, vt equitibus prosint. 6. Equites quomodo sint docendi, vt sibi & Reipublicæ sint vtiles. 7. Cur equitum magistro ciuitas tribunos adiutores addat. 8. Equitum in numerum ex legum præscripto quinam, & cur sint referendi. 9. Quomodo equites ab equitum magistro ad imperata facienda prompti reddi possint. 10. Quales equi ab eodem vel admittendi, vel reiiciendi. Causæ. 11. Quonam modo equites optimi euadere possint. 12. Cur Atheniensis Respublica propemodum quadraginta talenta quotannis in equitatum impenderet. 13. Ex bono equitatu quid commodi Respub. percipiat. 14. Obedientiã voluntariam quomodo magister equitum sibi conciliare valeat. 15. Præmiorum, ac honorum quanta vis & efficacia ad hominum animos ad res præclaras impellendũ. 16. Ordinis pulchritudo, necessitas, vtilitas, 17. Imperia quibus cõmittenda. 18. Cõfusionis quãta fœditas, & incõmoda. 19. Equitũ magister, postquã equitatũ egregie suis omnib. numeris absolutũ reddidit, quib. præcipue studiis

operam dare debeat. 20. Pompæ, quas equitum magister populo debebat exhibere, quomodo Diis, & spectatorib. gratißimæ essent. 21. In equitum lustrationibus quis ordo seruandus, ut equitatio spectatu sit pulcherrima. 22. In itinere faciendo quid obseruandũ. 23. Itinera tam propriæ, quam alienæ ditionis, equitum magistro tenenda. Causæ. 24. Quid ei faciendum, nisi hanc notitiam habeat. 25. Transfugis, & exploratoribus quanta fides adhibenda, quanta prudentia, quanto iudicio hic sit opus. 26. Speculationũ, & excubiarum ratio. 27. Prudentis esse ducis in pericula se non vltro coniicere. 28. Quomodo tuto, vel saltem paruo cum periculo hostes aggredi poßimus. 29. Equitum magister quarum rerum notitiam habere debeat, si munere suo dignum se præstare velit. 30. Quomodo vel minorem, vel maiorem copiarum numerum hostibus specie tenus, non re ipsa spectandum præbere: quomodo fiduciam vel metum nostris, vel aliis militib. iniicere poßimus. 31. Quibus, quando, cur, aduersus quos, & quomodo, fraude liceat vti. 32. Fraudes aduersante Deo nihil prodesse. 33. Simulationis aduersus hostes commoda, neceßitas, honestas. 34. Boni ducis officiũ. 35. Duces quomodo militum beneuolentiam sibi cõcilient. 36. Magistrum equitum qualem esse oporteat. 37. Metus vis quanta. 38. Militaris disciplina cũ domi, tum foris; cur seuere sit obseruanda. 39. Obedientiæ commoda. Contumaciæ calamitates. 40. Equestris artis vtilitas, ac voluptas. 41. Quando magnas copias, quando paruas in hostem ducere conducat. 42. Celeritas in rebus bellicis quam vtilis, & necessaria. 43. Omnis repentinus hostium aduentus quantum aduersariis terrorem incutiat. 44. Multa bonis ducibus ex tempore pro rerum varietate comminiscenda, & facienda, vt victoriam adipiscantur, vel saltem periculum imminens vitent. 45. Sine Dei fauore rem nullam a mortalibus feliciter geri. Quare precibus aßiduis, & pietatis veræ studiis Deum colẽdum esse constat.

Alterum eiusdem libri longe breuius argumentum.

Hic boni equitum magistri munus per singulas partes fuse declaratur. Quid ipsum equitum magistrum, quid equos, quid equites, quid domi, quid foris, quid pacis, quid belli tẽpore facere deceat, vt sibi, vt suis, vt patriæ prosit, prolixe demonstratur. Virtutes in equitum magistro, in equis, & equitibus necessariæ recensentur, & contra-

contraria virtutibus vitia, a quibus eos abstinere oportet, pluribus indicantur. Virtutum præmia, vitiorumque pœnæ proponuntur. Passim vero multa dicuntur, quæ nos ad pietatis studium inflammare possunt.

XENOPHONTIS DE MAGISTERIO EQVITVM. 954

PRIMVM rem sacram faciens, deos precaberis, vt ea tibi concedant & intelligere, & proferre, & agere; de quibus & diis gratissimum sit imperium tuum, & tibi, amicis, reique publicæ cumprimis acceptum, & gloriosum, & longe vtilissimum. Diis placatis, equites instruendi tibi sunt, tum vt numerus lege præscriptus compleatur, tum ne iam ante collectæ copiæ minuantur. Quippe si non accedant equites ad priores alij, pauciores semper euadēt. Nam alios ob senectutem abdicare se necesse est, alios aliis de caussis deficere. Postquam equitatum compleueris, adhibenda cura, sic vt equi alātur, quo perferre labores possint. Quippe si laboribus impares sint, nec adtollere se, nec euadere fuga possunt. Id quoque curandum, vt ad vsum idonei sint. Nam contumaces potius hostes, quam suos in præliis iuuant. Etiam illi remouendi sunt, qui calcitrant, postquam equitem susceperūt. Qui enim tales sunt, sæpenumero plus mali, quam hostes, inferunt. Haberi debet & pedum ratio, vt etiam in aspera regione agitari possint; quum esse constet in iis locis inutiles, vbi dolorem in agitatione sentiunt. Quum equi tales existunt, quales esse debent, exercendi & equites; ac primum vt in equos insilire possint. Nam plerisque iam salus hinc parta. Alterum esto, vt in locis omnigenis equitare norint, quandoquidem & hostes alias in aliis locis existunt. Vbi iam firmiter equis insederint, eius erit habenda ratio, vt ex equis iacula quam longissime vibrent, & alia facere possint, quæ facere viros equestres oportet. Secundum hæc armandi tum equi, tum equites; vt ipsi minime vulnerentur, & hostes damnis adficere maximis possint. Hinc efficiendum, vt equites morigeri sint. Nam absque hoc nec equorum bonorum, nec equitum his recte in-

Hic liber à Xenophōte scriptus putatur ad Gryllū filiū. Interpretatio noua est, & accurata.

sidentium, nec armorum elegantium vsus vllus fuerit. At-
955 que his quidem omnibus, vt egregie fiant, præesse cum im-
perio magistrum equitum par est. Et quia ciuitas rata dif-
ficile quiddam esse, perfici hæc a solo magistro equitum o-
mnia, tribunos ei deligit adiutores, & * consilium adiun-
git, cum mandato, vt equitatus curam vna cum ipso gerat:
recte mihi facturus videris, si tribunos sic instruas, vt tecum
ea velint, quæ ad equitatus commoda pertineant; & orato-
res idoneos habeas in consilio, qui & dicendo terrorem e-
quitib. incutiant, melioribus in metu futuris, & eos in con-
silio mitigent, qui forte plus æquo difficiles se præbituri
sint. Ac istæ quidem admonitiones ad ea spectant, quæ dili-
gentiam tuam requirunt. Quo autem modo hæc singula
rectissime peragantur, nunc dicere adgredior. Equitum in
numerum ex legis præscripto referes eos, qui & facultati-
bus, & viribus corporis præstent; idque vel in ius vocando,
vel persuadendo. Sum autem in hac ego sententia, vt hos
in ius vocandos existimem; quos nisi quis vocet, id quæstus
caussa facere videatur. * Nam minus potentibus statim
hoc correctionis loco fuerit, si primos cogas, qui plurimū
possint. Præterea videtur hoc modo mihi quispiam & iuue-
nes ad equitationis studium adducturus, si splendorem e-
questris rei prædicet; & illos, quorum in potestate sunt,
minus aduersantes habiturus, si plane futurum ostendat, vt
propter opes alere cogantur equos, si non abs te, saltim ab
alio quopiam. Quod si tuis auspiciis rei se dent equestri, te
filios eorum a sumtuosis & insanis equorum emtionibus
auocaturum, & operam daturum, vt equestris rei peritiam
quamprimum consequantur. Hæc vero quum dices, etiam
præstare conaberis. Equites, quotquot operam nauant in
præsentia, sic excitatum iri arbitror, vt melius & alant &
curent equos; si consilium eis futurum denuntiet, vt equi-
tationes in posterum duplicentur, & equi reiiciantur, qui
pares in itinere aliis esse non poterunt. Etiam hoc vtile fu-
turum arbitror, vt denuntietur, reiectum iri equos violen-
tos. Nam hæc eos impulerit comminatio, tales vt equos
distrahant, & alios prudentius emant. Bonum quoque de-
nuntiari, futurum, vt calcitrantes in agitationibus equi re-
iiciantur. Nequeunt enim tales in acie collocari, sed vbi
956 ducendum in hostem, hos vltimos sequi necesse est. Ita-
que

*Cōmissarios nūc vocamus. De senatu non loquitur.

*al. Nam minus potentes statim a recusando dimoueris.

que propter improbitatem equi, nec equitis vsus aliquis est. Vt autem & pedes equorum sint optimi, si meliorem aliquis, faciliorem que rationem tenet, ea sane vtatur: sin minus, equidem vsu edoctus aio, proiiciendos passim lapides e via sumtos, qui * minæ pondus habeant, plus minusve, atq; in his constituendum equum ad destrictionem, quum a præsepi remouetur. In illis enim lapidibus numquam equus ingredi desinet, siue destringatur, seu pungatur. Qui periculum huius rei fecerit, tum aliis, quæ profero, fidem habebit; tum pedes equi teretes effici conspiciet. Vbi iam equi fuerint, quales esse oportet: quonam modo equites ipsi futuri sint optimi, nunc cõmemorabo. Iunioribus quidem inter eos auctores simus, vt in equos insilire discant. Laudem vero iure mereberis, si quem eis adhibueris, qui doceat. Ætate prouectiorib. haud parum profueris, si consuefeceris eos, vt more Persico ab aliis in equos subleuentur. Ad hoc autem, vt equites omnigenis in locis firmiter equis insidere possint, frequenter educere, quum bellum non geritur, fortasse molestum fuerit. Itaque conuocatis equitibus consulere debes, vt exercitiis vtantur, siue rus in equis prouehantur, seu alio pergant; e viis declinando, & omnigenis in locis equos celeriter agendo. Nam hoc & parem cum educendo habet vtilitatem, nec molestiæ tantum exhibet. Commodum id etiam eis in memoriam reuocari, quod ciuitas in equitatum ad * XL talenta propemodum quotannis impendere cogatur: vt si bellum existat, equitatus ei quærendus non sit, sed in promtu habeat, quo instructo possit vti. Nam vero consentaneum est, equites hæc cũ animis suis expendentes, rem equestrem diligentius exercituros: vt bellum si moueatur, non inexercitatis de patria, de honore ac gloria, de vita sit dimicandum. Bonum quoq; denuntiari equitibus, te nonnumquã eos educturũ, ac per omnigena loca præiturũ. In exercitiis etiam * cõtrariarum prouectionum in alia atq; alia loca nonnumquam educere prodest. Hoc enim & equitib. & equis vtilius. Ex equis autẽ iaculari mea quidẽ opinione sic plurimi consuescent, si tribunis futurum denuntiaueris, vt ipsi duces cogantur cuiusque tribus iaculatores ad exercitia iaculandi adigere. Nam excitabũtur ambitione quadam, ceu videtur, vt quisque iaculatores ciuitati quamplurimos instruat. Ad id quoque

*hoc est libræ, fere.

xxiiiiters aureûm cõ ronatorũ.

*al. cõtrarias prouectiones antecedẽtib:

957

tribuni plurimum mihi videntur momenti adlaturi, vt e-
quites egregie sint armati; si persuasum eis fuerit, multo ad
ciuitatem esse gloriosius, splendore tribus ornari, quam
suo dumtaxat indumento. Nec difficulter hoc ipsis persua-
deri posse crediderim, quum honoris & gloriæ studio tri-
bunatum ambiuerint. Poterunt autem suis arma secūdum
legem imperare, sineque suis impensis equites adigere de
præscripto legis, vt arma sibi de stipendio suo comparent.
Vt vero qui reguntur abs te, libenter pareant; nō leue quid-
dam, verbis ostendere, quam multa commoda contineat
obœdientia; sed magnum aliquid in hoc quoque, si secun-
dum legem reabse potior efficiatur morigerorum condi-
cio, contraq; deteriori loco in omnibus sint contumaces.
Vis autem in hoc mihi maxima videtur esse ad impellen-
dos tribunos, vt ambitiose dent operam, quo suam quisque
tribum egregie instructi ducant; si quos circum te præcur-
sores habebis, pereleganter armis ornaueris, maximeque
iaculationum ad exercitia coegeris, & auctor ad iaculandū
fueris, ipsemet in hoc genere plurimum exercitatus. Quod
si quis etiam tribubus eorum omnium præmia proponere
possit, quæcumque in spectaculis exerceri ab equitatu præ-
clare solent: eum ego facillime cunctos Athenięses ad stu-
dia contētionum excitaturum arbitror. In ludorum id qui-
dem adparatu perspicitur, quam modicorum præmiorum
caussa multi labores, magnique sumtus impendantur. Iu-
dices eiusmodi reperiendi sunt, apud quos si victoria poti-
antur, inprimis exsultent. Vbi iam equites in his omnibus
exercitati fuerint, etiam ordinis esse peritos oportet; cuius
obseruatione fiet, vt pulcherrimas diis pompas agant, in e-
quitationibus cum laude se gerant, fortissime sic vsu po-
scente dimicent, expeditissime ac minima cum perturba-
tione itinera conficiant, transitusque difficiles superent.
Quo autem ordine vtendo hæc mihi rectissime perfecturi
videantur, eum declarare nunc adgrediar. Distinctę sunt in
ciuitate tribus. In his inquā ego debere primū non sine tri-
bunorū singulorum iudicio & sententia decuriones ex illo-
958 rum numero constitui, qui & ætate vigeant, & ambitione
maxima quadam in hoc ferantur, vt aliquid egregium &
peragant, & audiant. Hi principes in ordine collocantor.
Secundum eos totidem numero de prouectioribus & in
primis

primis prudentibus deligendi, qui vltimi sint in hisce decu-
riis. Nam si comparatione res explicanda, ferrum quoque
sic ferrum maxime scindit, quum eius & anterior & media
pars valida, non destituitur ab eo, quod vires ad impellen-
dum idoneas habeat. Quod medios inter primos & vlti-
mos adtinet, postquam decuriones sibi proximos delege-
rint adstites, aliis hos sequentibus; ita par creditu scilicet,
quemlibet sibi fidelissimum adstitem habiturum. Ducem
sane modis omnibus idoneum constitui oportet. Nam si
vir ille fortis sit, siue pergendum aliquando in hostes erit,
cohortatione sua robur anterioribus indet; seu recipiendi
se tempus adsit, prudenter abducendo tribules haud abs re
melius conseruaturus videtur. Iam si decuriones numero
pares fuerint, plures partes æquales efficient diuidendo,
quã si fuerint impares. Hic ordo mihi de caussis hisce pro-
batur, quod ita primum omnes principi constituti loco cũ
imperio futuri sunt. Iidem vero, qui cum imperio sunt, ma-
gis ad se quodam modo pertinere putant, vt egregium ali-
quid gerant, quam si priuati sint. Deinde quum aliquid a-
gendum est, multo efficacius est, quod per eos denuntiatur,
qui cum imperio sunt, quam quod opera priuatorum. His
hoc ordine collocatis, quemadmodum ab equitum magi-
stro prædici tribunis solet, quo prouehi loco quisque debe-
at: sic & decurionibus denuntiatum a tribunis esse oportet,
quo loco singulis pergendum. Nam hæc si prius indicata
fuerint, longe meliori ordine fient omnia; quam si perin-
de, ac de theatro, temere fortuitoque discedentes, mutuo
semet offenderint. Etiam paratiores animis ad pugnã sunt
anteriores, si ex aduerso quid irruat, vbi locum hunc suum
esse norunt: nec minus vltimi, si a tergo fiat in eos impetus,
quum sciant esse turpe, locum in acie suum deserere. Sin or-
do nullus seruetur, seipsos & angustiis in itineribus, & locis
difficilibus superandis perturbant: nec quisquam est, qui
sponte sua se ad pugnandum cum hoste componat. Et in
his quidem omnino equites vniuersi prorsus esse debẽt ex-
ercitati, si modo duci operam sine recusatione nauaturi
sunt. At ipsi equitum magistro hæc esse curæ debent. Pri- 959
mum, vt pro equitatus incolumitate diis rite litet. Deinde,
vt feriis pompas spectatu dignas exhibeat. Præterea & alia,
quæ ciuitati exhibẽda sunt, vt quam pulcherrime pro virili

exhibeat; tum in Academia, tum Lyceo, & Phalaro, & in hippodromo. quæ quidem admonitiones aliæ sunt. Quo autem modo hæc singula pulcherrime peragi possint, nunc dicam. Pompas & diis & spectatoribus fore gratissimas arbitror, si quotquot deorum tam fana, quam signa sunt in foro, Mercurialibus a statuis exorsi, vndique in honorem deorum cum ipso foro ac fanis circumequitent. Liberalibus autem chori præterea gratificari solent tum aliis, tum duodecim diis tripudiando. Vbi iam circumuecti rursus ad signa Mercurialia peruenerint, tum deinde pulchrum mihi fore videtur, si per tribus equi celerius vsque ad Eleusinium incitētur. Nec de hastis omittam, quomodo illæ neutram in partem minime sibi mutuo illidantur. Debent enim singuli suas hastas inter aures equi tenere, si quidem & terribiles, & distinctu faciles futuræ sint, & speciem multitudinis exhibituræ. Postquam celerior istæc agitatio finem habuerit, pulchrum rursus eos mutata ratione procedendi, eadem via, qua prius, ad fana pedetētim reuehi: quo quidem modo fiet, vt quidquid est in equo, cui eques insidet, & diis & hominibus exhibitum sit. Nec equidem ignoro, minime ad ista facienda equites adsuetos esse: sed nihilo minus hæc & egregia, & pulchra, & spectatoribus iucunda fore iudico. Quin & alia quædam ab equitibus instituta certamina noua intelligo, postquam magistri equitum eis persuadere potuerunt, quæ voluissent. Quoties quidem in Lyceo ante iaculationem agitationes instituunt equites, sane pulchrum quiddam fuerit, vtrasque tribus quinque tamquam ad prœlium a fronte prouehi, ducente magistro equitum & tribunis ordine tali, quo spatij latitudo expleatur. Vbi vero cardinem aduersi theatri superauerint, vtile visum iri arbitror, si tot simul equites, quot modice satis erit, per decliuia prouehi posse celeriore cursu ostēderis. Neque me fugit, libenter eos hæc exhibituros, si concitatius e-
360 quos agere se posse confidant. At vero si maneant inexercitati, videndum ne hostes hæc eos aliquando facere cogant. Dictum de ordine in lustrationibus, quo pulcherrima institui equitatio possit. Si vero ductor, a valido instructus equo, in exteriore semper serie circumuehatur; ita fiet, vt semper ipse celerius equum incitet, & qui exterius cum eo sunt, concitatius itidem ferantur. Itaque consilium semper

aliquos

aliquos velocius agitantes inspiciet, & viribus equi nō defi-
cient, dum vicissim quies eis concedetur. Quum autem in
Hippodromo spectaculum edendum erit, pulchrum sane
sic eos primum instrui, vt a fronte compleatur equis hippo-
dromus; & e medio, qui erunt illic homines, exigantur.
Pulchrum & hoc, si dum tribus in aduersa prouectione se
mutuo fugiunt, & celeriter insequūtur, magistris equitum
tribus quinque ducentibus, sese mutuo tribus vtræque per-
equitent. In hoc enim spectaculo terribile quiddam est,
quod aduersis frontibus contra se prouehantur; & plenum
splendoris, quod hippodromo perequitato, rursus aduersi
contra se consistant. Itidem pulchrum, ad alterum tubæ si-
gnum celerius eos contra se ferri. Quum vero iam consti-
terint, tertia vice rursus post tubæ clangorē celerrime pro-
uehi contra se mutuo debent; & vbi perequitauerint, fine
iam ludis imponendo, in phalange cuncti cōstituti, qui vo-
bis mos est, ad consiliū equis aduehantur. Horum speciem
magis existimo bellicosam, magisq; nouam visum iri. Mi-
nime vero dignum munere magistri equitum, vt ipse tar-
dius tribunis inuehatur, & eodem modo cum ipsis equitet.
Quum autem in Academia, loco pauito, instituendæ erunt
equitationes; hæc quæ moneam, habeo. Ne ipsi deiiciātur
aliquando ex equis, resupinare se inter agitandum debent:
vt equi non cadant, in reflexionibus inhibendi & retinendi
sunt. In cursu recto celeriter eos agi oportet. Ita consilium
& tutam & pulchram agitationem inspiciet. In itineribus
vero prospicere semper debet equitū magister, vt & equo-
rum sedilibus in dorso quiete consulat, & equites pedibus
incedentes reficiat: quod equitatione mediocri, & pedestri
incessu mediocri fiet. Quod si curæ tibi mediocritas erit,
haud aberrabis. Nam quisq; sibi motum statuit, ne impru-
dentes nimio labore grauentur. Quum iter facis, & obscu- 961
rum est, an hostibus sis occursurus: per vices quiete tribus
reficiendæ. Periculosum enim fuerit, tunc aduentare pro-
pius hostes, vbi ex equis omnes descenderint. Quod si
per angustas vias tibi transeundum sit, ita duces, vt aciem
in cornu protendi iubeas: sin latas in vias incidas, rursum
iubebis tribus vniuscuiusque frontem dilatari: vbi de-
nique perueneritis in planiciem, tribus omnes in pha-
langem constituendæ. Hæc enim & exercitij caussa

facere bonum est, atque etiam iucundius, sic itinera confi-
cere; vt profectiones ordinum equestrium varietate condi-
antur. Quum extra vias per loca difficilia prouehimini,
perquam vtile fuerit tam in hostili, quam pacata regione,
quosdam ex adparitoribus cuiusque tribus antecedere; qui
si forte in saltus inuios inciderint, ad peruia transeuntes e-
quitibus indicent, qua equi agendi sint, ne toti ordines ob-
errent. Si periculosum alicubi sit iter, prudentis erit equi-
tum magistri curare, vt ante præmissos etiam præmissi qui-
dam alij præcedant, qui res hostium perquirendo explo-
rent. Etiam vtile tam ad inuadendum, quam ad cauendum,
vt vbi difficiles sunt transitus, alteri alteros exspectent: ne
postremi, dum itineris ducem insequuntur, verberibus e-
quos concidant. Ac norunt quidem propemodum hæc o-
mnes, sed pauci curæ laborem tolerare volunt. Oportet i-
tem equitum magistrum adhuc tempore pacis in hoc in-
cumbere, vt peritus sit tam hostilis, quam suorum regio-
nis: ac si nullam earum notitiam ipse habeat, ex aliis sibi
singulorum locorum maxime gnaros adiungat. Magnum
enim discrimen est inter ducem peritum viarum, & impe-
ritum: vt etiam is, qui hostibus insidias struit locorum peri-
tus, multum ab imperito differt. Curæ sint & exploratores
ante bellum susceptum, vt haberi possint & ex ciuitatibus
vtrisque amicis, & ex mercatoribus. Omnes enim ciuita-
tes admittere semper eos, vt beneuolos, solent; qui ali-
quid important. Vtiles sunt nonnumquam & ficti trans-
fugæ. Nec tamen sic exploratoribus fidendum, vt omitta-
tur cautio; sed ita paratum semper esse oportet, quasi si iam
nuntiatum sit, hostes aduentare. Licet enim valde fide-
les sint exploratores, in eo tamen difficultas est, vt aliquid
962 in tempore nuncient, quum multa in bello accidere im-
pedimenta soleant. Eductiones equitatus minus hostes
sentient, si potius ex denuntientur, quam si præconis voce,
vel per edictum imperentur. Ad hoc igitur, vt eductiones
denuntiando fiant, bonum erit constituere decuriones, &
cum decurionibus quinionum quoque duces: tum vt pau-
cissimis vnusquisque denuntiet, tum etiam vt duces hi qui-
nionum suo tempore procedentes, absque perturbatione
frontem aciei exporrigant. Vbi præcauendum est, equi-
dem occultas semper & speculationes & excubias laudo.

Sic enim & excubiæ simul pro amicis habentur, & hostibus simul insidiæ struuntur. Minus etiam speculatores ipsi, quum nihil de eis constat, insidiis hostium expositi sunt; & hostibus hoc modo sunt formidabiliores. Nam scire, quasdam esse collocatas alicubi excubias; sed vbi sint, & quo numero, nescire: id vero fidentibus hostes animis esse prohibet, & habere suspecta cogit omnia loca. Manifestæ vero excubiæ tam * periculorum, quam fiduciæ caussas apertas habent. Præterea licebit occultas habenti excubias, vt cum paucis manifestis ante illos occultos excubans, hostes in insidias pertrahere conetur: nec idoneum minus venandis hostibus, etiam post occultos cum aliis manifestis nonnumquam excubare. Nam hac quoque ratione nō aliter circumueniuntur hostes, ac prius indicata. Prudentis etiam ducis est, in periculū vltro se non coniicere; nisi quū manifestum est, potiorem ipsius, quam hostium, condicionem futuram. At hostibus suppeditare caussam voluptatis maximæ, multo iustius esse proditio sociorum, quā fortitudo, iudicabitur. Prudens id quoque facinus, illuc progredi, vbi vires hostiū debiles sunt, licet interuallo magno distēt. Nam minus est in vehementi labore periculi, quam si prœlio cum potioribus decertandum sit. Quod si medias inter munitiones & castella tuorum penetrauerint hostes, licet longe viribus superiores sint; pulchrum tamen eos hinc adgredi, quacumq; tamdem a parte clam hostibus adsis; nec minus honestū, id simul ab vtraq; parte fieri. Quum enim alij se recipient, adequitantes ab alterutro latere tui, tū perturbabunt hostes, tum saluti suorum consulent. Dictum iāpridem, bonum esse, dati operam, vt res hostium per exploratores cognoscantur. Ego vero esse omnium optimum existimo, vt aliquis ipse, si de tuto quopiam loco liceat hostes alicunde contemplari, num in aliquo peccent, inspicere conetur. Ac siquidem aliquid eis furtim adimi poterit, ad hoc furtim peragendum idonei quidam mittendi: quod autem rapinæ expositum, mittendi qui rapiant. Si hostibus aliquo proficiscentibus, pars quædam copiarum hostilium debilior a tergo maneat, quam ipse sit, aut sumta fiducia palari ausit: ne hoc quidem ignorare debet, sic tamen, vt manu validiore venetur id, quod est debilius. Potest autem hæc animaduertere, qui mentē eis adhibet; quandoquidē

*formidinum.

963

& beſtiæ, quibus intelligentia minor eſt quam homini, puta miluij, ſi quid incuſtoditum ſit, rapere norunt, & prius in tuta ſe recipere, quam capiantur: & lupi, quæ cuſtodia deſtituuntur, venari ſolent, & in obſcuris abdita furantur. Idem lupus, ſi canis inſequens ſuperueniat, viribus inferiorem adgreditur: ſin ille ſuperior ſit, iugulatis iis, quæ nanctus eſt, diſcedit. Vbi vero lupi cuſtodiam contemnere auſi fuerint, ordinatis ſuis partim ad abigendos cuſtodes, partim ad rapiendum, ita neceſſaria ſibi adquirunt. Quum igitur beſtiæ prudenter in agendis hiſce prædis ſe gerant, quomodo non par fuerit eum, qui homo ſit, ſapientiorem ſe declarare beſtiis, quæ ipſæ capi arte ab homine ſolent? Hoc quoq; ſcire vir equeſtris debet, quonam ex interuallo peditem ceperit eques, & quantũ ad interuallum equi tardi celeres effugerint. Itidem ad equitum magiſtri munus pertinet ſcire loca, quibus in locis pedites equitibus ſuperiores ſint, ac viciſſim peditib. equites. Etiam ſollerti artificio moliri debet, vt pauci equites, multi eſſe videantur; & multi viciſſim, paucorum ſpeciem habeant: itemq; ſi præſens ſit, vt abeſſe videatur; ſi abſit, adeſſe: neq; tantum vt norit hoſtib. ſua furtim præripere, verum equites etiam ſuos furtim circumueniendo, adoriri hoſtes de improuiſo. Egregium & hoc artificium, ſi poſſit, quum ipſe viribus inferior eſt, metum hoſtibus incutere, ne ſe adoriantur: quum potior ipſe viribus, eorumdem animis indere fiduciam, vt adgrediantur.
964 Sic enim & ipſe minimum detrimenti acceperis, & inprimis hoſtes in errore deprehendere poſſis. Ne vero, quæ fieri nequeant, præcipere videar: prodam ſane litteris, quomodo & illa fiant, quæ in his difficillima videntur. Itaque ne quis in conatu vel inſequendi, vel abſcedendi, offendat; ex eo conſequetur, ſi vires equorum perſpectas habeat. Quonam vero modo perſpectas habere poſſit? ſi animum adtendat in aduerſis prouectionibus, quæ cum beneuolentia fiunt, quales & e perſequendo, & fugiendo diſcedant. Quum vero volueris equites multorum habere ſpeciem, vnum hoc primum eſto, ſi liceat, ne prope hoſtes fraudẽ aliquã moliaris. Tutius enim, quod e longinquo fit, & ad fraudem aptius. Deinde ſciendum, equos cateruatim incedẽtes ſpeciem multorum habere, propter ipſius animalis magnitudinem: quum diſperſi, facile numerari poſſint. Præterea tibi

tibi copiosior equitatus adesse videbitur, quam sit reabse, si curatores equorum inter equites constituas, præsertim hastas, aut hastis aliquid simile tenentes; siue consistentem alicubi equitatum exhibeas, seu traducas. Nam hoc modo necesse est aciei molem & maiorem, & spissiorem videri. Sin multos velis haberi pro paucis, siquidem eiusmodi loca tibi sint ad manum, in quibus occultare liceat; nimirum in aperto quosdam exhibens, in obscuro quosdam abdēs, hac subtractione numerum equitum deminues: si vero locus ipse totus oculis expositus sit, ordinatas in vnam seriem decurias ex interuallo traduces; & equites quidem cuiusque decuriæ, qui hostibus ante oculos sunt, hastas tenere rectas debent; ceteri depressas, & minime supereminentes. Licet etiam terrorem hostibus incutere, tum fictas insidias, tum auxilia ficta, fictosque rumores excogitādo. Tum vero confidentissimi sunt hostes, quum aduersariis multa negotia, multas occupationes exhiberi audiunt. His ita descriptis, ipsius iā ducis fuerit id moliri, vt pro re præsenti sēper aliquam fallaciam struat. Nam reuera nihil adeo fructuosum in bello, atq; fallacia. Quum vero etiā pueri, quoties ludunt, prætextu fallendi faciant, quæcumq; possunt, vt paucos habentes, multos habere videātur; & multos habere se præferentes, speciem paucorum exhibeant: quid vetet, quo minus etiam viri, si fraudibus animum adiiciant, huiusmodi artificiis vti possint? Nam si cum animo suo meliores in bello condiciones aliquis expendat, is maiorē earum partem, & quidē insigniores fraude captatas & partas inueniet. Quapropter vel non capessendum imperium, vel vt hoc quoq; præstare possit diuinitus præter alia petēdum, & ipsimet in hoc adnitendum. Qui mare vicinum habent, iis ad fraudem hoc quoq; commodum, vt dū naues instruunt, aliquid terra gerant: ac vicissim, dum terra insidias se moliri simulant, mari rem adgrediantur. Etiam hoc equitū magistri est, docere ciuitatem, quā debile quiddam sit equitatus a peditatu destitutus; vt vna cū equis, & pedites habeat. Nec minus ad officiū magistri equitum pertinet, vt peditibus acceptis vti possit. Ac licet pedites non tantum certis locis, sed etiam post equos occultare. Nam longe grandior est eques homine pedestri. Hæc vero equidem vniuersa, & si qua moliri aliquis præterea volet in conatu hostis 965

aut vi,aut arte ſuperandi, diuina cum ope ſuſcipienda con-
ſulo: vt numine ſibi placato ac propitio, fortunam quoque
proſperam prædicare poſſit. Nonnumquam & illud aptiſſi-
mum ad fraudem, ſi nimis ſe cautum quiſpiam ſimulet,
aleæque belli tentandæ nequaquam cupidum. Hoc enim
hoſtes eo ſæpius adigit, vt omiſſo cauendi & excubandi ſtu-
dio, magis delinquant. Si quis ſemel viſus fuerit adeũdi pe-
riculi cupidus eſſe, poteſt hoſtibus etiam quieſcendo, dum
aliquid ſe facturũ ſimulat, negotia faceſſere. Sed enim ex a-
nimi ſui arbitrio nihil formare quiſpiam poſſit, ſi non ea, de
quib. aliquid fingendum, ita comparata ſint, vt artificis vo-
luntati cedant: nec itẽ ex hominibus abſq; numinis ope ſic
aliqui vmquam inſtructi erunt, vt amore proſequantur il-
lum, qui eis cum imperio præeſt; niſi eum ſe prudentiorem
iudicauerint in iis, quæ ad certamina cum hoſtib. ineunda
pertinent. Hinc quoq; conciliari beneuolentiam illorum,
qui reguntur, cõſentaneum eſt; ſi comiter aliquis eos com-
plectatur, ac proſpicere ſe declaret, vt & victum habeant, &
tuto ſe recipiant, & idonea muniti cuſtodia quieſcant. In
præſidiis manifeſta debet eius eſſe cura de pabulo, & tentò-
riis, & aquis, & excubiis, & aliis rebus neceſſariis; itemque
prouidentia ipſius, & vigilantia pro iis, quos regit. Vbi co-
pia quadam rei alicuius abundat is, qui aliis præeſt; lucro-
966 ſum erit, id ſuis impertiri. Minime vero contemnent eum,
qui cum imperio eſt; ſi quæcumque, vt paucis rem com-
plectar, ſuos facere iuſſerit, ea rectius ipſis facere viſus fue-
rit. Quapropter exordiens ab inſcendendis equis exerce-
re omnia debet ad rem equeſtrem pertinentia: quo præ-
fectum ſuum poſſe videant in equo & foſſas tuto traiice-
re, & muros ſuperare, & de tumulis ſe demittere, & idonee
iaculari. Nam hæc omnia nonnihil ad hoc conferunt adiu-
menti, ne contemtui ſit. Iam ſi rerum gerendarum peritum
eſſe norint, & idoneum ad efficiendum, vt hoſtibus ipſi po-
tiore loco ſint; & animis præterea impreſſerint, eum nec te-
mere, nec abſq; numinis ope, nec extis aduerſantib. in ho-
ſtes ducturum: hæc ſcilicet eiuſmodi ſunt omnia magis vt
morigeros præfecto reddant illos qui eius imperio conti-
nentur. Ac prudentem ſane quemuis eſſe conuenit, qui
cum imperio ſit: at populi Atheniẽſis equitum magiſtrum
longe aliis præſtare tum cultu deorum immortalium, tum

vſu

vsu rei militaris oportet; quum ei finitimi sint aduersarij, tam equites numero pares, quam pedites sane multi. Si agrum hostilem sine reliquæ ciuitatis auxiliis inuadere conetur, aduersus illos ambos ei solo cum equitatu periclitandum erit. Sin hostes in Atheniensium regionem irrumpant, primum aliter non venient, quam aliis ad suos equitibus adiunctis, & cum illis præterea peditum copiis, quibus Athenienses vniuersos impares ad pugnam futuros existiment. Itaque si contra tãtum hostium multitudinem ciuitas tota prodire velit, vt opem regioni ferat; spem bonam concipere licebit. Nam & equites deo iuuante meliores, si quis eorum curam cõuenientem gerat, & pedites numero non inferiores erunt: quorum quidem nec corpora deteriora sunt, & animi longe laudis auidiores, si deo propitio recte fuerint exerciti. Maiores sane quod adtinet, non minus Athenienses eorum nomine, quã Bœoti, semet efferũt. Si vero ciuitas ad rem naualem se conuerterit, & mœnia tueri satis sibi duxerit, vti tum quoq; factum, quũ Lacedæmonij Græcis vniuersis sibi adiunctis Atticam inuaserunt; equitesq; sitis extra muros esse subsidio voluerit, ac solos contra copias aduersariorũ omnes periclitari: tũ vero primũ, mea sane sententia, diuino erit opus auxilio firmo, atq; ipsum deinde magistrum equitum esse virũ prorsus absolutum conueniet. Nam & prudentia magna contra longe plures, & audacia requiritur, quum occasionis se opportunitas obtulerit. Itidem arbitror eũ laborib. perferendis idoneum esse debere. Si enim exercitu tali præsente, cui ne tota quidem ciuitas se putet obiiciendam, periclitari velit: nimirum feret, quidquid illi virib. superiores faciundam statuerint, nullam ad rem peragendam satis ipse idoneus. At vero si extra muros sita tot equitib. custodiat, quot hostium rebus speculandis sufficient, & iis maiori ex parte in tutum subducendis, quibus hoc opus est; sique non minus idonei sunt ad prospiciendum pauci, quam plures: sane tum ad custodiendum, tum ad subducendum in loca pacata non minus erunt opportuni, qui nec seipsis, nec equis suis satis fidunt. Nam metus in custodiendo socius acer esse videtur. Itaq; rectum consilium capiet, qui de his custodes ac præsidiarios efficiet. Eos vero, qui constituta iam custodia superfuerint, si quis vt exercitum habere se duxerit; sane perexi-

guus hic ei videbitur. Nã in vniuersum erit inferior ad pugnæ periculum aperto marte subeundũ. Sin eis vt prędonibus vtatur, satis superque magnas ad hoc institutum copias habebit, vti quidem adparet. Debet autem, meo iudicio, paratos semper habere suos, & occultando suas actiones & consilia, num in aliqua re delinquat hostilis exercitus, obseruare. Solent vero plerumque milites, quanto plures sunt, tanto magis peccare ac labi. Nam vel ob curam parandi res necessarias, hinc inde disperguntur; vel iter absq; ordine facientes, alij præcedunt, alij longius, quam par & opportunum sit, a tergo manent. Huiusmodi errores & peccata minime relinquenda sunt impunita, nisi quis regionem totam castra dispersi militis esse velit: & hoc recte prouidendum, vt debere se sciat, facinore quodã edito, prius abscedere; quam maiores hostium copiæ ferendi auxilij caussa superueniant. Sæpius etiam, dum iter facit exercit⁹, ad eas vias peruenit, in quibus multi plus efficere, quã pauci, minime possint. Itidem ad loca transitu difficilia licebit animum adtendenti, ac tuto subsequẽti, sic arbitratu suo rẽ gerere; vt quam multos ex hostibus velit, inuadat. Nõnumquam commodum & castra metantes, & prandẽtes, & cœ-
968 nantes; & e cubili surgentes adgredi. Sunt enim milites in his omnibus inermes, ac breuiori quidem tempore pedites, equites diutius. Speculatorib. & excubiis numquã insidiari desinet. Nã pauci semper ad hoc constituũtur, & interdũ ab exercitus robore procul absunt. Vbi vero satis hostes in his sibi cauent, recte faciet, si ope diuina fretus in hosticum occulte contendet; vbi prius ei curæ fuerit, quotnam singuli in locis, & qua parte regionis excubias agãt. Quippe nulla tam pulchra præda est, vt captarum excubiarum. Et decipi facile possunt excubitores. Nam quidquid exiguo numero viderint, persequuntur: idq; sibi mandatum existimant. In receptu considerãdum, ne fiat in eam partem, qua suis opem laturi hostes occurrant. Qui vero facultatem habituri sint adficiendi detrimento copias longe se potiores absque discrimine suo, eos haud dubie necesse est adeo præstare ceteris; vt ipsi quidem in equestris rei bellicis operibus exerciti athletæ, hostes vero rudes esse videantur. Possit autem hoc primum ita fieri, si ad prædam exituri, sic equitationi laborando adsueuerint, vt tolerare labores militares

litares queant. Qui enim ad hæc & equi & equites studio-
se non adsuefiunt, haud dubie non aliter ac fœminę contra
viros in certamen descendent. Edocti vero & adsuefacti
transilire fossas, superare muros, in tumulos saltu euadere,
de locis sublimibus tuto descendere, aduersus accliuia ce-
leriter agere; hi scilicet inexercitatis ad ista tantum præsti-
terint, quantum pedestribus alites: ac rursus illi, quorum
pedes laboribus obduruere, tantum iis, qui vias asperas
non triuere, quantum sani claudis: gnari denique loco-
rum in procursionibus, & receptibus, tantum ignaris
præstiterint, quantum videntes cæcis. Hoc quoque scien-
dum, equos recte comparatos, non eos esse, qui adeo sagi-
nati sint, vt in laboribus suffocentur; sed qui sint ad equita-
tionis laborē idonei. Et quia fræni ac ephippiis vti licet, vbi
loris cōcinnata sunt & refecta; numquam his carere magi-
ster equitum debet. Nam exiguo sumtu destitutos ab his v-
tiles reddiderit. Si quis autē existimet, multis se negotiis
oneratum iri, si res equestris ei sic exercenda sit: is cū animo
suo cogitet illos, qui ad ludos gymnicos exercentur, multo
plus laboris ac molestiæ sustinere, quam eos, qui rem eque- 969
strem studio maximo tractant. Etenim exercitia pleraque
gymnica cum sudore suscipiuntur, quum maior equestris
rei pars cum voluptate coniuncta sit. Quippe quod opta-
re quispiam fortasse possit, vt alitis instar volet: ei nihil in
rebus humanis equitatione similius est. Quinetiam in
bello victoriā adipisci, multo gloriosius est, quam in lucta.
Nam ad ipsam quoq; ciuitatem eius gloriæ pars aliqua ma-
nat. Ac plerumq; dij per victoriam, felicesque successus in
bello, coronare ciuitates solent. Itaq; scire equidē nequeo,
quænam aliæ res potius exerceri, quam bellicæ, debeant.
Hoc quoque cogitandum, prædones maritimos propter-
ea, quod ad labores adsuefacti sint, victum ab iis sibi parare
posse, qui viribus longe sunt ipsis potiores. Conuenit & ter-
ra prædas agere, non eos, qui fructus e reb. suis percipiūt;
sed qui victu carent. Nam aut opus faciūdum, aut victitan-
dum ex iis, quæ labor alien⁹ excoluit. Aliter nec viuere, nec
pace potiri, facile. Reuocandum & hoc in memoriā, ne quis
in superiores se viribus sic inuehatur; vt a tergo receptum
equis difficilem ob locorum asperitatem habeat. Quippe
non par in fuga, & in persequendo impingenti, periculum

propoſitum eſt. Monere libet, in eo quoque cautionem ad-
hibendam. Etenim quidam in eos pergentes, quibus ſe ſu-
periores eſſe putant, tam infirmas omnino copias ſecum
ſumunt, vt ſæpenumero patiantur ea, quæ aliis ſe illaturos
exiſtimabant: at illos inuadentes, quibus ſe certo ſciunt in-
feriores eſſe, vires omnes, quas habent, adducunt. Ego ve-
ro his adſero contraria plane faciunda, vt quum in opinio-
ne ac ſpe victoriæ copias aliquis educit, exercitui ſuo non
parcat, quantuſcumque is fuerit. Numquam enim magnæ
victoriæ quemquam pœnituit. Quum autem ſe multo ſupe-
riores adgreditur, ac futurum proſpicit, vt tametſi pro viri-
bus omnia geſſerit, fugere tamen cogatur: tum longe ſatiꝰ
eſſe aio, paucos potius, quam multos adduci; ſed omnino ſe-
lectos equos, & viros præſtantiſſimos. Tales enim & effice-
re aliquid, & tutius ſe recipere poterunt. Ac ſi contra ſe po-
tiores adductis ſuis omnibus, recipere ſe velit: neceſſe eſt
tardiſſimis equis vtentes capi, alios ob rei equeſtris imperi-
tiam labi, alios ob locorum difficultates intercipi. Non e-
970 nim facile eſt, ad magnum aliquod ſpatium talem inuenire
locum, qualem aliquis optet. Quinetiam fiet vt ob equo-
rum multitudinem in ſeipſos corruant, & mutuo ſe non pa-
rum impedientes, damnis adficiant. E diuerſo & equi, & e-
quites boni, e manibus hoſtium diffugere poſſunt; præſer-
tim ſi quis arte quadam per equites, quos ſuperſtites habet,
formidinem perſequentibus incutiat. Sunt autem ad hoc
vtiles inſidiæ fictæ. Nec minus hoc quoque commodum, in-
uenire viam aliquam, vnde ſe noſtri tuto conſpiciendos ho-
ſtibus exhibentes, impetum perſequentium reprimant.
Manifeſtum & illud, multo citius paucos pluribus ſuperio-
res euadere tum laborando, tum accelerando, quam mul-
tos paucis. Neque tamẽ hoc equidẽ dico, poſſe aliquos pro-
pterea quod pauci ſint, & laboribus magis ſufficere, & cele-
ritate vincere: ſed eſſe facilius inuenire paucos, quam mul-
tos, qui & curam equis debitam adhibeant, & ipſi rem e-
queſtrem prudenter exerceant. Quod ſi aliquando vſuueni-
at, vt certamen aduerſus equites pares ineundum ſit: mea
ſane ſententia non male quis egerit, ſi cohortes ex vna tribu
duas fecerit, quarum vni tribunus ipſe præſit, alteram du-
cat aliquis hominum opinione præſtantiſſimus. Hic vero
tribuni cohortem aliquantum a tergo ſequatur, atque vbi
iam

iam propius ad hoſtes ventum fuerit, re ſuis denuntiata, in aduerſarios curſu prętereuehatur. Sic enim futurum opinor, vt maiori hoſtibus terrori ſint, & pugna ſuperari difficilius poſſint. Sin vtrique pedites habeant, etiam hi poſt equites occultati, ſubitoque prodeuntes, & hoſtem comminus inuadentes, maius mihi momentum ad victoriam adlaturi videntur. Nam inopinata pleraque, ſi bona ſint, maiorem hominibus lætitiam adferre video: ſi dira, plus terroris incutere. Licet hoc inprimis inde cognoſcere, ſi quis ſecum expendat, quantopere terreantur ij, qui delabuntur in inſidias, tametſi numero longe plures ſint; & quum hoſtes hoſtibus aduerſi conſident, quam ingens primis diebus apud vtroſque metus ſit. Sed enim hæc ordinari, abſque magna difficultate, poſſunt: at eos inuenire, qui & prudenter, & fideliter, & alacriter, & animoſe proruant in hoſtes, id iam boni eſt equitum magiſtri. Nam & dicendi facultate præditum hunc eſſe oportet, & ea faciēdi, de quibus illi quos imperio ſuo continet, tum bonum eſſe cognoſcant & parere 97 f
huic, & ducentem ſequi, & comminus hoſtes inuadere; tum etiam cupidi ſint laudis & celebrationis, ac in ſententia conſtanter perſeuerare poſſint. Iam ſi aliquando vel aciebus ex aduerſo inſtructis, vel locis amborum copiis interiectis, faciundæ ſint equitibus conuerſiones, & inſequutiones, & receptus: ſolent quidem vt plurimum in his vtrique lentius poſt conuerſiones prouehi, mediumque ſpatium celerrimo cum impetu conficere. Si quis autem his ita prius oſtēſis, deinde facta conuerſione celeriter inſequatur, & celeriter ſe recipiat: plurimum ſane damni hoſtibus hoc modo inferre poterit, & inprimis ſecuritati ſuæ proculdubio conſulet; dum celeriter inſequetur, robori ſuorum vicinus; & viciſſim celeriter ab hoſtium robore ſe recipiet. Si quis vero de cohortibus ſingulis occulte vel quatuor, vel quinque præſtantiſſimos equos, & viros, relinquere poſſet longe hi potiori eſſent conditione ad irruendum in hoſtes ſe couertentes. Hæc vt vicibus non multis legiſſe ſufficit, ita quod plerumque ſe offert, exſequendum; & eius habita ratione, quod adeſt, quidquid expedit elaborandum. Omnia vero, quæ fieri oporteat, non magis prodi litteris poſſunt; quam omnia futura ſciri. Hoc autem inter omnes has admonitiones & præcepta mihi quidem optimū eſſe videtur, vt quid

quid aliquis bonum eſſe cognouerit; id vti fiat, diligẽter e-
nitatur. Nam quæ recte intelliguntur, ea neque in agricul-
tura, neq; nauiculatoria, neque imperandi munere fructũ
aliquem pariunt; niſi quis ſtudium adhibeat, vt perfician-
tur. Ego vero futurum adfirmo, vt diis bene iuuantibus hoc
modo totus equitatus ad mille compleatur longe citius, &
minore cum ciuiũ moleſtia; quam ſi ducentos equites ex-
ternos ſtipendio conducerent. Videntur tamen & hi mihi,
ſiquidem acceſſerint, tum dicto magis audientem equi-
tatum effecturi, tum virtutis in certamine mutuo laudis &
honoris auidiorem. Nec me latet, equitatum apud Lacedæ-
monios in exiſtimatione tunc eſſe cepiſſe, quũ equites ſuis
externos adiunxiſſent. Itidẽ vbiq; probari video & in aliis
ciuitatibus equites externos. Nã vſus atq; neceſſitas ad ala-
critatẽ nõ parum confert. Ad equorũ vero pretia pecuniam
habituros arbitror & ab iis, qui vehemẽter ab equitãdo ab-
972 horrent, quandoquidem illi pecuniam pendere malunt, ad
quos munus equeſtris rei pertinet, vt equitare non cogan-
tur; & conſimiliter a locupletibus, ſed robore corporũ de-
ſtitutis; nec minus a pupillis, mea quidem opinione, quibus
opima domi res familiaris eſt. Aduenarum etiã pleroſq; ſi
referantur inter equites, liberaliter ſe geſturos arbitror. Nã
in aliis quoq; munerib. honeſtis, ad quorũ ſocietatẽ a ciui-
bus admittũtur, ambitioſe nonnullos imperata facere vel-
le video. Peditatus item adiunctus equitatui plurimum mi-
hi videtur effecturus, ſi talibus e viris inſtitutus fuerit, qui
hoſtibus maxime ſint contrarij. Poterũt autem hæc omnia
fieri, ſi diuinum ſuffragium acceſſerit. Quod ſi miratur ali-
quis, in hoc ſcripto toties a me repeti, ſuſcipiendas cum o-
pe numinis actiones omnes: is minus ſe miraturum norit,
ſi pericula ſæpius adeat, ſecumque cogitet, aduerſarios in
bello ſibi mutuo inſidiari; ſed raro noſſe, quomodo res illo-
rum comparatæ ſint, quibus inſidiæ ſtruuntur. In his igi-
tur ne quidem inueniri poteſt, quem in cõſilium adhibeat
aliquis, extra deos. Hi vero norunt omnia, futuraque denũ-
tiant, cui volunt, in extis, auguriis, ominibus, viſis ſomnio-
rum. Et conſentaneum ſane vero eſt potius hos agendorũ
auctores illis eſſe velle, qui non ſolum eos, vbi res ita poſtu-
lat, de agendis conſulunt: verum etiam rebus adhuc ſecun-
dis, pro virili deos colunt.

XENOPH. DE VENAT.
Argumentum.

1. Primi venationis autores quinam fuerint. 2. Chironis in venatione, aliusq; præclaris rebus discipuli. Eorum nomina, vitæ genus, studia, mors, honores viuis, & defunctis habiti. 3. Venationis studium quam pulchrum, quam iucundum, quã vtile, quam necessarium iis, qui bellicæ laudis sunt cupidi. 4. Quinam potissimum venationibus operã dare, quomodo, cur, debeat. 5. Quænam ætas venationibus aptissima. 6. Venatorum instrumenta, nomina, magnitudo, qualitas, conficiendorum ratio, vsus. 7. Canum duo genera, nomen, etymologia. 8. Vulpinarum canum vitia. 9. Canes in ferarũ vestigatione quot modis vtãtur. 10. Bonarum canum corpora qualia esse oporteat. Partium singularum descriptio. 11. Canũ bonarũ color qualis sit optimus. 12. Canes ad venationem quando quibus horis, quamdiu, per quæ loca, quomodo sint ducendæ. 13. Leporis venatio. 14. Leporis vestigia pro varia quatuor anni tempestatum ratione quam varia sint. Causæ. 15. Leporis vigilantis, aut dormientis oculi, ac palpebræ quomodo se habeant. 16. Leporis quanta sit fœcunditas. 17. Eius fœtus quales. 18. Quomodo lepus venatores vitare conetur. 19. Leporũ varia genera variis in locis. 20. Quibus in locis potissimum, & cur maxima sit leporum copia. 21. Leporis visus cur non acutus. 22. Quomodo, curue lepus in retia sæpe per imprudentiam incidat. 23. Quanta sit leporis celeritas, ad quam omnia leporis membra sunt comparata. 24. Lepus iter non gradiendo: sed saltando semper conficit. 25. Cursum non cauda, quæ nimium breuis: at aure vtraq; dirigit. 26. Leporis venatio quam iucunda. Causæ. 27. Canum ornatus quisnam sit. 28. Canes ad venationem quando non ducendæ. Cur. 29. Retiarij custodis vestem qualem esse oporteat. 30. Retia quibus in locis præcipue tendenda. 31. Quomodo canes in leporem immittendæ. 32. Quomodo in eum immissæ se gerant. 33. Quibus vocibus ad leporem persequendum a venatoribus sint incitandæ. 34. Quibus ab eo persequendo reuocandæ. 35. Quando, quomodo, cur a venatione domum reducendæ. 36. Quo tempore canes ad fœturam admittendæ. Modus. 37. Quot dies vterus a canibus gestetur. 38. Catulorum educatio. 39. Matres catulorum cur ad suos fœtus alendos sint aliis canibus meliores. 40. Cibi genus, quod catulis offerendum.

quantitas.causa. 41. *Quæ nomina canibus imponenda. Cur.* 42. *Catulorum ad venationem educendarum ætas. modus.* 43. *Captus lepus cur catulis ad discerpendum sit tradendus.* 44. *Quãdo potissimũ lepores cõmode possint inuestigari.* 45. *Hinnulorum, ceruorumque venatio, & canes ad hanc necessariæ.* 46. *Quibus in locis maxima ceruorum copia reperiatur.* 47. *Venationis ratio.* 48. *Ceruarum pro suis fœtibus pugnandi studium, impetus in canes, robur, effecta.* 49. *Capiendarum ceruarum ratio.* 50. *Quibus in locis tendiculæ sint collocandæ.* 51. *Tendicularum parandarum modus.* 52. *Ad ceruos captos quomodo sine periculo sit accedendum.* 53. *Aprorum venatio, & omnia instrumenta, quæ ad hanc sunt necessaria.* 54. *Quam difficilis hæc venatio. Cur.* 55. *Venationis modus.* 56. *Apri quantum robur, & venatori quam periculosum, nisi prouide sibi caueat.* 57. *Leonum, pardorum, vrsorum, & aliarum huiusmodi ferarum venatio, locus, tempus, modus.* 58. *Venationis vtilitas cum ad pacis studia, propter voluptatem, quæ inde percipitur, tum ad res bellicas, quod ad varia laborum, ac industriæ genera, ad tolerantiam, fortitudinem, temperantiam, aliasq; virtutes hominem assuefaciat, ac a vitiis auocet.* 59. *Laboris commoda. Otij incommoda.* 60. *Virtutis cur tam pauci cultores.* 61. *Virtutis encomium.* 62. *Sophistarum ingenia, mores, studia, doctrina, finis, quem sibi proponunt.* 63. *Philosophorum, & Sophistarum collatio, qua demonstrat vtros sequi præstet.* 64. *Venatores quã vtilitatẽ Reipub. afferant.*

Alterum eiusdem libri argumentum priore longe breuius.

Venationis autores. Qui primi venationis studio gloriã insignem sibi pepererint. Canum genera, virtutes, vitia, educatio. Venatorum cultus, instrumenta, eorumq; parandorum ratio, vsus. Canum ornatus. Variarum ferarum varia venatio, tempus, locus, modus, causæ. Venationis vtilitas, honestas, iucunditas, necessitas. Vnde patet cum pacis, tum belli tempore, venationis studium præter voluptatem, ac ornamentum, maximam etiam variis de causis vtilitatem Reipub. afferre.

XENO-

XENOPHONTIS DE VENATIONE.


VENATIONES & canes, inuentum sunt deorũ, Apollinis ac Dianæ: qui Chironem, eo donatum, ob iusticiam ornarũt. Is hoc munere accepto lætatus, vtebatur: ac discipulos tum in venationibus, tum aliis preclaris rebus habebat, Cephalum, Æsculapium, Melanionem, Nestorẽ, Amphiaraum, Peleum, Telamonem, Meleagrum, Theseum, Hippolytum, Palamedem, Vlyssem, Menestheum, Diomedem, Castorem, Pollucem, Machaonem, Podalirium, Antilochum, Æneam, Achillem: quorum quisque suo tempore a diis ornatus fuit. Neque vero miretur quispiam, eorum plerosque, tametsi diis accepti essent, nihilominus viuendi finem fecisse. Hoc enim naturæ tribuendum. Magnæ quidem certe laudes ipsorum exstiterunt. Nec item mirandũ, quod eædem omnium ætates non fuerint. Nam vita Chironis horum omnium vitæ par fuit. Iupiter enim & Chiro fratres fuere, nati quidem illi eodem patre: verum is matre Rhea, hic Nympha Naide. Quo factum, vt hos omnes Chiro ætate præcederet; ac posteaquam Achillem instituisset, vltimus horum mortuus sit. Fuerunt autem hi propter virtutem magna hominum in admiratione, quum diligentia, quam in canibus, venationibus, aliisque disciplinis adhibebant, longe ceteris præstarent. Cephalus certe raptus a diua fuit. Æsculapius maiora consequutus est, vt mortuos suscitaret, ac morbis laborantes sanaret. Atque has ob res & deus est, & apud homines gloriam nominis æternam obtinet. Melanio tantum industria præstitit, vt ei soli amplissimum id temporis Atalantæ coniugium obtigerit, in cuius petitione prestantissimos tunc riuales habuit. Nestoris virtus iam ante Græcorum aures peruagata est. Itaque scientibus eam commemoraturus essem. Amphiaraus, expeditione aduersus Thebas suscepta, maximã laudem adeptus, æternitatem & vitæ & honoris a diis est cõsequutus. Peleus in ipsis etiam diis id sui studium excitauit, vt Thetidem ei coniugem darent, ac nuptias ipsius apud Chironem celebrarent. Tantus vir fuit Telamo, vt Peribœam Alcathoi fi-

Interpretatio priori longe accuratior.

Chironis discipuli. 973

Cephalus. *Æsculapius.* *Melanio.* *Nestor.* *Amphiaraus.* *Peleus.* *Telamo.*

liam, quam expetebat, ex vrbe maxima vxorem duceret:
quumq; Græcorum princeps Hercules, Iouis filius, Troia
capta virtutis quædam præmia largiretur, Hesionen ei de-
Meleager. dit. Quos Meleager honores adeptus sit, notum est: ꝙ vero
in calamitatem inciderit, id non ipsius culpa factum, sed pa
Theseus. tris; qui diuæ in senecta fuerat oblitus. Theseus Græciæ to-
tius hostes solus deleuit, patriaq; sua non parũ amplificata,
Hippolyt⁹. etiã nunc in hominum est admiratione. Hippolytus in ho-
nore apud Dianã erat, & cum ea familiariter colloqueba-
tur; tandem ob pudicitiã pietatemq; felix habitus, viuendi
Palamedes finem fecit. Palamedes dum vixit, longe sapientia sæculi sui
mortales excelluit: quumq; iniuste fuisset interemtus, sic e-
974 ius mortem vlti sunt dij, vt alterius inter homines neminis.
Occisus est autẽ non ab illis, quos nonnulli arbitrantur: ꝙ
ceteroqui non exstitisset horũ alter prope præstantissimus,
alter vero par egregiis: sed homines improbi facinus hoc
Menesthe⁹. perpetrarũt. Menestheus ex venationum studio tantum in-
dustria laborumq; tolerantia præstitit, vt Grecorum primi
faterẽtur, eo se inferiores esse bellicis in rebus, extra vnum
Nestorem: qui quidem nõ excelluisse Menestheum dicitur,
Vlysses & sed cum eo certasse. Vlysses, ac Diomedes, singulis in actio-
Diomedes. nibus illustres exstiterunt; & ad summam, vt Troia capere-
Castor & tur, effecerũt. Castor & Pollux propter existimationẽ ex iis
Pollux. comparatã, quæ a Chirone percepta, passim in Græcia ex-
Machaon hibuerunt, immortales facti sunt. Machaon & Podalirius
& Poda- iisdẽ in rebus omnib. instituti, homines & in artibus, & in
lirius. dicendo, & in bellis egregij exstiterunt. Antilochus pro pa-
Antiloch⁹. tre morti sese obiiciens, tantũ gloriæ consequutus est; vt so-
Æneas, lus apud Græcos amans patris adpellatus fuerit. Æneas pa-
ternis maternisq; diis vna cũ patre conseruatis, pietatis glo
riam tulit: eoq; factum, vt etiã hostes illi soli inter omnes,
quibus Troia capta potiti fuerant, hoc concesserint, vt suis
Achilles. rebus nõ spoliaretur. Achilles in hac educatus institutione,
tam preclara magnaq; monumenta sui excitauit; vt nec di-
cendo, nec audiẽdo de ipso quisquam satietur. Atq; hi ex eo
studio, quo a Chirone fuerunt exerciti, tales in viros euase-
runt: qui quidem etiam nunc ab optimo quoq; diliguntur,
ignauis interim per inuidiam eis obtrectantibus. In Grecia
quidem certe si cui vel ciuitati, vel regi calamitas accidisset,
ab ea per hos liberabantur: sin vniuersæ Græciæ vel cõten-
tio,

tio, vel bellum aduersus barbaros vniuersos esset, per hos ipsos Græci victoria potiebantur: quo factũ, vt per eos Gręcia reddita sit inuicta. Quapropter iuuenes equidẽ moneo, vt neq; venationes, neq; disciplinas alias contemnãt. Nam ex iis egregie ad bellum aliasq; res apti fiunt, de quibus hoc consequi hominẽ necesse est; vt pręclare tum animo consideret omnia, tum dicat, tum gerat. Ac primum quidẽ ad studium hoc venationũ accedere debet is, qui iam e pueris excedit, deinde ad ceteras quoq; disciplinas honoratas se conferat: sic tamen, vt facultatum ratio habeatur, num quis ad vsum suum satis magnas habeat. Sin autẽ, saltim alacritatẽ animi adferat, ac nihil omittat eorũ, quæ præstare potest. Quot autem, quibusq; rebus instructus, ad hæc debeat accedere, dicam; ac pręterea cuiusq; disciplinam, vt his pręcognitis, ita deinde opus ipsum adgrediatur. Neque vero vulgaria quis hæc, exiguiq; momenti ducat: quum absq; iis res ipsa peragi nequeat. Necesse est eum, qui retium studio teneatur, lingua esse Græcum, ætate annorum plus minus viginti, forma corporis agilem & robustum, animo satis parato: vt per hæc superatis laboribus, ipso ex opere delectationem capiat. Retia de Phasiano, vel Karthaginiensi lino tenui, facta esse debent; itemq; casses ad vias collocatæ, ac plagæ maiores. Constent autem retia de filis nouem, & magnitudinem habeant spithamarum quinq;, laquei palmos duos æquent. Margines siue circuitores plagarum enodes relinquãtur, vt moueri facile possint. Casses ad itinera collocatæ filorum sint duodecim, quæ quidem ad * vlnarum duarum, vel quatuor, vel quinq; spatium extendantur: maiores vero plagæ ad vlnas decem, viginti, triginta. Quod si maiora fuerint, tractari non facile poterunt. Vtraq; nodos habeãt triginta, laqueorumq; par sit interuallum, vt in retibus. In summis limbis eæ casses, quæ in viis collocantur, mammillas, quas vocant, habeant: maiores plagæ, annulos: circumactores de funiculis tortis conficiantur. Furculæ retium longitudine palmos decem æquent, nonnullæ minores sint. Harum quæ inæquales sunt, in locis ex altera parte decliuibus æquales ad altitudines retia tollant: ęquales autem, in locis planis adhibeantur. Atque hæ quidem in summo læues sint, & circumflecti facile debent. Furculæ cassium ad vias collocatarũ duplo sint maiores. Plagarũ de-

Qua ratione quisve venator fieri debeat.

975

* *Orgia Græcis, spatiũ expansorũ vtrinque brachiorũ & manuum.*

nique furculæ, quibus feræ grandiores capiuntur, magnitudine quinq; spithamas æquent, & partes illas bifidas paruas habeant, neque profunde incisas. Omnes tamen firmæ sint, atq; ita factę, vt spissitudo longitudini respondeat. Furculis ad retia vel multis, vel paucis vti licet: paucis, quum vehementer, dum consistunt, extendũtur: pluribus, quum remissius. Adsint etiam, quo includantur tam retia quam plagæ, culleus e corio vitulino, itemque falces: vt cæsa materia, quædam obstrui, prout vsus postulat, possint. Canum genera duo sunt. Aliæ castoriæ, aliæ vulpinæ. Castoriis inditũ hoc cognomentum, quod Castor ex venandi labore voluptatem capiẽs, eas potissimum apud se retinuerit: vulpinis, quod ex canibus & vulpeculis natæ sint, earum natura temporis diuturnitate tamdem plane commista. Hæ & deteriores, & plures sunt, exiguæ, naribus aduncis, oculis fuluis, lusciosæ, deformes, rigidæ, debiles, pilis rarioribus, proceræ, proportione corporis non concinna, non animosæ, naribus idoneis destitutæ, vitiosæ pedibus. Ac exiguæ quidẽ, ob paruitatem, sæpenumero in venationibus operam perdunt: quibus nasus aduncus est, ore idoneo destituuntur, ac propterea leporem retinere nequeunt: lusciosæ fuluisque præditæ oculis, deteriores habent oculos: deformes, adspectu turpes sunt: rigidæ, difficulter e venationibus digrediuntur: debiles, ac pilos habentes rariores, tolerare labores nequeunt: quibus altiora, nec proportione satis sunt concinna corpora, grauate discursitant: non animosæ labores relinquunt, ex sole sub vmbras se recipiunt, humi procumbunt: quæ nares bonas non habent, vix ac raro leporẽ sentiunt: quibus pedes vitiosi sunt, etiamsi sint animosæ, labores tamen perferre nequeunt, adeoque propter pedum dolorem deficiũt. Vestigationis per eosdem canes modi complures sunt. Etenim nonnullæ quum vestigia deprehenderunt, nullo de se indicio dato pergunt; vt non animaduertatur, in uestigationi esse intentas. Aliæ mouent solas aures, cauda non mota. Aliis aures immotæ manẽt, extrema tantum cauda nonnihil quassata. Aliæ contrahũt aures, ac vultu tristi per vestigium defixo, caudaq; demissa, & inter crura condita, discurrũt. Multæ nihil horum faciunt, sed insano more vestigia circumlatrantes obeunt, quum in ea inciderint, ac indicia temere conculcãt. Sunt quæ multis ambagibus

Canum genera duo

Vitia vulpinarum canum.

976

bus & erroribus vtentes, dum suspicantur antrorsum tendere vestigia, leporē relinquūt: & quoties ad vestigia accurrunt, coniecturā faciunt: sed vbi leporē vident, trepidāt; nec prius inuadunt, quam illū se loco mouere conspexerint. Quæ vero indagando & transcurrendo aliorū canum inuenta præcipiunt, hæ frequenter respicientes, sibi ipsæ non credūt. Feroces vero sunt, quæ peritas venationis socias progredi non sinunt, sed cum strepitu eas repellūt. Aliæ vestigiis falsis inhærent, & quidquid tandē sit, in quod inciderint, nimia cū ostentatione procurrūt, suæ sibi fraudis consciæ. Quædam hoc idē faciunt insciæ. Nullius pretij sunt, quæ nusquā tritis e tramitibus declinant, vestigia recta ignorantes. At quæcunq; canes vestigia cubiliū ignorant, cursu vero impressa celeriter percurrunt, non sunt indolis bonæ. Rursum pars ab initio vehementes in persequendo, præ mollitie deinde remittunt pars in cursu sequuntur alias, ac deinde aberrant. Quædam in vias stulte incidunt aberrantq;, & reuocantes haudquaquam facile exaudiunt. Multæ ferarum odio, pleræq; hominum desiderio, persequutione omissa, recurrūt. Nōnullę ex vestigiis latratu abducere tentant, pro veris falsa simulantes. Sunt quæ hoc non faciūt, sed inter currendū, si cunde clamorem audierint, ad hunc relicto labore suo temere feruntur. Et aliæ quidē ex nulla certa coniectura cursum mutant, pleræq; multum sibi promittentes, alię quadā ex opinione, nonnullę per simulationem, alię per inuidiam sic a vestigio recedunt, vt semper alias sectentur. Hæc vero vitia pleraque canibus insunt a natura, quædam etiā quod educentur inscite, parum vtiles euadunt. Et huiusmodi quidem canes, studiosos etiam venationis homines auertere possint. Quales autem eiusdem generis esse debeant, quod formas adtinet, & alia eiusmodi, dicam. Primum igitur magnas esse oportet, deinde leuia habere capita, sima, neruosa, inferiori frontis parte fibrosa; oculos sublimes, nigros, claros; magnas frontes, ac latas, discrimina profunda; paruas aures ac tenues, posteriore parte glabras; ceruices longas, molles, ac flexiles; pectora lata, non macilenta; scapulas, ab humeris parum distātes; anteriora crura, parua, recta, teretia, firma; flexus crurum, rectos; latera nō admodū profunda, sed in obliquū tendentia; lumbos carnosos, magnitudine media inter ea, quæ longa & breuia sunt; ilia nec valde

977

mollia, nec rigida inter magna & parua; coxas teretes, posterius carnosas, superius nō connexas, interius cōtractas; inferiora vētris, cum ipso vētre, laxa; caudas longas, rectas, flexiles; femora, non dura; partes femoribus subiectas longas, teretes, satis spissas; posteriora crura prioribus multo grādiora, & superiore parte incurua; pedes, rotūdos. Quod si canes huiusmodi fuerint, robustæ erunt, specie agiles, aptæ proportionis, celeres, & elegantes adspectu, oreq; ido-
978 neo. Sed ita vestigent, vt tritis hominum tramitib. celeriter excedant, capita terræ obliqua admouētes ad vestigia subrideant, auresq; demittāt, oculos hinc inde crebro moveāt, & caudis blandiētes, multis in vtrūq; latus ambagibus per vestigia simul omnes progrediantur. Sed vbi ad leporem ipsum accesserint, tum vero id venatori significēt cursitādo celerius, atq; idem indicantes ipso motu animi, capite, oculis,* mutatione signorum ac indiciorū; acie modo sursum, modo in leporis sessionē directa;* retrorsum in transuersa; diuerso impetu in anteriora, & reabse iam arrigēdo animū, ac gestiendo, quod a lepore nō procul absint. Totis autem viribus persequantur, nec remittant, haud absq; ingēti clamore ac latratu ipso cum lepore qualibet euadentes; ac veloci splendidoq; cursu eum premant, identidem proruendo, iustaq; de caussa latratu altiori vtēdo; nec tamē ad venatorē, omissis vestigiis, redeant. Præter hanc speciē, & hanc venandi rationē, requiritur; vt animosæ sint, & pedibus, & naribus, & † pilis bonis instructę. Animosę erūt, si venationem æstu incumbente non deserant: nariū bonarū, si leporem nudis in locis, aridis, apricis, & †sub accessum sideris odoratu deprehendant: bonis † præditi pedibus, si eodē anni tempore, dum mōtes percurrunt, pedes eorū non findātur: pili boni, siquidē is & subtilis sit, & spissus, & mollis. At colore canes esse oportet minime rufo, neq; nigro, neq; cādido prorsus. Quippe non index hic indolis generosæ, sed vulgaris ac ferinæ. Si rufi nigriue coloris fuerint, villos candidos; si candidi, rufos habeant, circum frontem nitentes. In summis femorum partibus pilos habeāt rectos & lōgos, itemq; in lumbis & cauda infima; superius autem, mediocres.† Satius autē fuerit per mōtes sępe, per rura ducere canes rarius. Nā mōtes peruestigari possunt, & absq; impedimētis hinc inde liquido percurri: quū tramitū causa neutrum

al. variatione gestuum.

† *De toto hoc loco cō sule* Fr. P. *cōm. pag.* 508.

* *Lectio marginis.*

† *Sub canis ortum.* Fr. P. 508.

† *Quia de iisdem canibus ante dixit interpres, instructæ, & animosæ, iā dicendum videtur, præditæ, &, earum. vel genus mutatū dices.* Æ. P.

† *Segetes, & arua, loca culta.* Æ. P.

trum cultis in locis fieri poſſit. Quinetiam ſi maxime lepus
aliquis haud inueniatur, tamẽ per aſpera loca ducere canes
prodeſt: quum pedes hinc bonos conſequantur, & corpora
in huiuſmodi locis exercentes, meliores euadant. Ducantur
autem æſtate, vſq; ad meridiem: hyeme, per totum diẽ: au- 979
tumno extra meridiem: vere intra veſperam. Ineſt enim his
mediocritas. Ceterum leporis veſtigia procul hyeme ſe por
rigunt, quia longæ ſunt noctes: parum autem æſtate, ob ra-
tionem noctis contrariam. Nec vero hyeme olent diluculo,
quum pruina fuerit, aut gelu. Pruina enim vi ſua calorẽ in
ſe contrahens, intra ſe retinet: gelu autem denſat. Quæ quũ
acciderint, ob teneritatem narium canes prius ſentire non
poſſunt, quam ſol dies ve procedens, ea ſoluat. Tũc & canes
olfaciunt, & ipſa veſtigia dum euaporant, redolent. Delet
etiam ea delapſus ros multus. Imbres item, qui longioribus
interuallis cadunt, eductis terræ odorib. faciunt, vt difficul-
ter oleãt veſtigia, donec tellus exſiccetur. Etiam tempeſtas
auſtralis deteriora facit, dum humectans diffundit: ſepten-
trionalis vero, ſi nimis ſæua non ſit, durabilia reddit, & ſer-
uat. Tam pluuiæ, quam guttæ diluunt, & inundant. Lunæ
quoq; calor facit, vt euaneſcant veſtigia, præſertim quum
plena eſt. Et veſtigia tunc quidem rariſſima ſunt, quod gau-
dentes eius luce lepores inter ſe colludant, & procul ſe ia-
ctando magnis interuallis veſtigia diſtinguãt. Eadem tur-
bantur, quum vulpes antea pertranſierint. Ver propter an-
ni temperiẽ, ſatis clara præbet veſtigia: niſi quod terra, ſic-
ubi floret; canibus officit, dum in vnum confundit florum
ac veſtigiorum odores: æſtate vero exilia ſunt, & obſcurio-
ra. Nam terra feruẽs abolet, quidquid halitus & caloris ha-
bent. Eſt enim is tenuis, & canes tunc minus olfaciũt, quod
eorum corpora reſoluta langueant. Autumni tempore ve-
ſtigia pura ſunt. Nam quæcunq; terra producit, ſiue dome-
ſtica, iam cõgeſta ſunt; ſeu agreſtia, ſenio contabuerũt. Itaq;
fructuũ odores ad veſtigia non ita feruntur, vt quidquã ob-
ſint. Itidẽ hyeme, & æſtate, & autũno recta ſunt vt plurimũ
veſtigia, vere autẽ inter ſe perplexa. Nã coit hæc fera quum
alias ſemper, tum hoc tẽpore inprimis: vt a ſimul oberran-
tibus hãc ipſam ob cauſſã id neceſſario fieri oporteat. Olẽt
autẽ veſtigia cubilib. impreſſa diutius, quã in curſu. Nã illa
cubilium inſiſtẽdo; curſus veſtigia currẽdo lepus imprimit.

Itaq; terra per illa denſatur, his non impletur. In ſiluoſis ve-
ro locis redolent magis, quam nudis. Siquidem modo per-
currens lepus, modo ſeſſitans, multa contingit. Procumbit
980 autẽ ad ea, quæ terra gignit, vel ſuperficie ſua continet, &
quidẽ ſub re quauis, ſuper re quauis, in rem quamuis; itẽq;
propius, longius; diu, parum, mediocriter; & in mare non-
nunquã ad id, quod poteſt, exſiliens; & in aquam, ſi quid ex-
ſtans, innatũve ſit aquæ. Lepus igitur cubans eſt, qui cubile
ſibi ſtruit, idq;, vtplurimũ, quum frigora ſunt, tepidis in lo-
cis; quum æſtus, in opacis; quũ ver & autumnus, in apricis:
alia curſitantiũ eſt ratio propterea, quod eis terror a canib.
incutiatur. Sic autem procumbit, vt partes inferiores ſub-
ter ilia collocet, crurib. anteriorib. vt plurimum compoſi-
tis & exporrectis, mento extremis pedibus impoſito, aurib.
ſupra ſcapulas expanſis. Deinde partes etiam molliores te-
git. Habet & pilos ad tegendũ aptos, quippe qui denſi ſint
ac molles. Quũ vigilat, nonnihil conniuet palpebris: quum
dormit, palpebras nullo cũ motu apertas habet, oculis ma-
nentibus immotis. Nares per ſomnum frequenter mouet,
extra ſomnum rarius. Quum terra pullulat, culta magis,
quam montes eum retinẽt. Vbiq; ſubſiſtit, dum inueſtiga-
tur; niſi ſi noctu ingens eum metus inuaſerit. Id ei quũ acci-
dit, loco ſe mouet. Tam fœcundũ eſt animal, vt partim re-
cens pepererit, partim pariat, partim vterum gerat. Paruo-
rum lepuſculorum veſtigia magis olent, quam adultorum.
Nam quum membra eorum adhuc mollia ſint, tota quaſi
tractim terram ſtringunt. Quicunq; recens editi ſunt ad-
modum, eos venationum ſtudioſi Dianæ dimittunt. Anni-
culi curſum primum celerrime conficiunt, reliquos non i-
tem. Sunt enim agiles quidem illi, ſed imbecilles. Veſtigia
leporis captanda ſunt ita, vt ex aruorum parte ſuperiori ca-
nes ducas, præſertim ſi lepores fuerint, qui ad loca culta nõ
veniunt, in prata, in ſaltus, fluenta, ſaxa, loca ſiluoſa. Quod
ſi loco ſe mouerit, clamandum non erit; ne canes adtonitæ,
veſtigia difficulter adgnoſcant. Quum inueniuntur a cani-
bus, iiſdem inſequentibus nonnunquam flumina tranant,
& curſum flectunt, & in conualles ſe abdunt ac inuoluunt.
Non enim canes tantum metuunt, ſed etiam aquilas; a qui-
bus inter ſuperandum loca deuexa ſiluiſque nuda, dum ad-
huc anniculi ſunt, rapiuntur: maiores a canibus impetu fa-
cto

cto auferuntur. Velocissimi sunt montani, campestres minus, palustres autẽ longe tardissimi. At qui locis omnibus oberrant, molesti sunt in cursu. Norunt enim itinera compendiaria, & maxime currunt per accliuia, vel plana: si quæ sunt loca inæqualia, & hæc inæqualiter percurrunt; per decliuia minime feruntur. In persequẽdo maxime conspiciuntur, quum per agrum subactum currunt, si quidem rubor quidam eis adsit: itemq; per stipulas propter splendoris reflexionem. Sunt etiam in tramitibus ac viis conspicui, si quidem hæ plane fuerint. Nam & quod in eis nitidum est, resplendet. Conspici nequeunt, quum ad saxa, montes, loca suberosa, siluisq; densa secedunt, idq; ob coloris similitudinem. Si canes anteuertant, subsistũt; seque humi collocatos erigunt, & num alicubi latratus strepitusue canum in propinquo sit, auribus captant: & vndecumq; hunc percipiunt, inde se auertunt. Interdum tametsi nihil audierint, opinione tamen, ac persuasione sua, propter eadem, & per eadem loca variatis saltibus, & in vestigia vestigiis aliis impressis ita deinde discedunt. Cursu longissima spatia conficiũt, qui nudis in locis reperiuntur, quod ea satis lucis habeant; breuissima, qui in siluosis: quod tenebræ sint eis impedimẽto. Duo sunt autem eorum genera. Nam alij magni sunt, notis nigris varie distincti, qui & albedinem in fronte insignem habent: alij minores, subflaui, exigua cum albedine. Cauda illis vndiq; varia est, his albedine insignis lõgiore spatio. Oculi illis subfului, his subcæsij. Quam circa summas aures nigredinem habent, ea magna est in illis, in his exigua. Minores maxime in insulis, tũ desertis, tum habitatis & excultis reperiuntur: atq; adeo plures sunt in iis, quã in terra continente. Quippe nec in plerisq; vulpes sunt, quæ tum lepores, tum fœtus eorum interficiunt; nec aquilæ, quæ magis in mõtibus vastis degũt, quã exiguis. Et sunt in insulis plerũq; mõtes minores. Venatores etiã raro in desertas insulas veniũt, & in iis, quæ incolũtur, pauci sunt homines, neq; venationis admodũ studiosi. Quæ vero sacræ sunt insulæ, in eas haud fas est canes trãsuehi. Quo fit, vt quũ pauci de iis, qui iam illic existunt, venando capiantur, & plures semper gignantur; necessario magna sit eorum copia. Multæ sunt autem caussæ, quamobrem lepores acutum non cernant. Nam & oculos habent exstantes, & palpebras 982

curtas, quæq; satis oculos obtegere nequeunt: quibus sanè rebus vidēdi vis hebes redditur, quippe quæ dissipetur. Prę terea quum etiam somno plerumq; fruitur hoc animal, parum inde tamen ad visum adiumenti habet. Ipsa pedum velocitas ad obtusionem facultatis cernentis non parum cōfert. Nam celeriter ab obiecto quouis oculos prius auertit, quam quid sit, animaduertat. Etiam canum persequentium comites, ipsæ formidines, inter alia prouidentiam omnem eis adimunt. Quæ caussę sunt, vt imprudens irruens in multa, etiam in retia incidat. Quod si recta via fugeret, non frequenter hæc illi acciderent. Nunc quia complectitur atque amat ea loca, quib. in locis & ortus & educatus est, capitur: quum ceteroquin ob celeritatem, in canum potestatē, insistentium ipsius vestigiis, raro perueniat. Quod si qui capiātur, id casu potius quodā fit, quam natura corporis leporini. Quippe nullum animal est, quod lepori magnitudine par, eum cursu æquet. Eiusmodi scilicet ex partib. corpus eius compositum est. Caput leue habet, idemq; paruum, deorsum spectans, anteriori parte strictius: collum exile, rotundum, non rigidum, iusta longitudine: scapulas rectas, a summo non cōuexas: crura sub ipsis leuia, partib. recte iunctis: pectus haudquaquam angustum: latera leuia, proportionis aptæ: lumbos teretes, cauos, carnosos: ilia mollia, satisq; laxa: coxas rotundas, vndiq; plenas, parte superiori a seinuicem debito ex interuallo distantes: femora oblonga, satis spissa, extrinsecus tensa, interius nō turgida: partes his subiectas, paruas, firmas: pedes anteriores summopere molles, angustos, rectos; posteriores firmos, latos; omnes nihil, quod asperum sit, curantes: crura posteriora priorib. longe maiora, nonnihil extrorsum incuruata: pilos breues, ac leues. Quapropter fieri non potest, quin quod ex huiusmodi partib. compositum est firmum sit, molle, vehementer leue: cuius quidem leuitatis agilis indicium est, quod quum etiam remissius aliquo pergit, saltare solet (gradientem nec vidit quisquam, nec videbit) adeo quidem, vt vltra extraq; priores pedes collocet posteriores, itaq; currat. Manifesto paret hoc in necessitate. Caudam habet ad cursum minus commodam. Non enim propter breuitatem ad dirigendū corpus idonea est, sed hoc vtraq; facit aure. Quūq; 983 in eo est, vt capiatur a canibus, alteram aurem demittit, &

Omnia mēbra leporis ad celeritatē esse cōparata.

detor-

detorquet obliquam; & vtra tandē parte læditur, in hācinnitens, hoc modo celeriter sese flectit, exiguo temporis spatio longe canib. irruentib. post se relictis. Adeo lepidum vero animal est, vt nemo sit, qui, si eum videat, dū vestigatur, dum inuenitur, dum cursū petitur, dum capitur, cuiusvis rei caræ non obliuiscatur. At inter venandum in locis cultis, a fructibus venator quorumuis anni temporū abstineat, latices & flumina relinquat intacta. Nam vt ea tangere fœdū ac improbum est; ita legē venatoriā violāt, qui hoc faciunt. Quod si nulla se fera obtulerit, ad venationē pertinentia refigenda sunt omnia. Canum ornatus sunt collaria, lora, cinctus. Collaria quidē mollia sint, & lata, ne pilos canum adterant. Lora pro manib. ansas habeant, præterea nihil. Nec enim recte canes retinent ac seruant, qui collaria de loris conficiunt. Cinctus habeāt lora latiora, ne canum ilia terāt. Muniti sint etiam insutis aculeis, vt genus suum conseruēt. Venatum canes non educuntor, si cibos, qui offeruntur, nō lubenter accipiant, quod in eis minus cōmodæ valetudinis indicium est; nec si flatus venti magnus sit. Is enim dissipat vestigia, nec canes tūc odorari, nec sagenæ retiave stare possunt. Quod si horum neutrum impediat, ad tertium quēq; diem educuntor. Nec vulpes persequi adsuescant canes. id enim eos maxime corrumpit, vt quum oportet, numquam præsto sint. In educēdo mutanda loca venationum, vt & canes venādi, & venator ipse regionis peritus euadat. Exeundum est autē diluculo, ne vestigatio frustra fiat. Quippe qui venatū serius educunt, canes inuētione leporis, seipsos fructus perceptione fraudāt. Etenim vestigij natura, quū subtilis sit, quouis anni tēpore diu nō durat. Veste custos retiarius minime pōderosa indutus, venatū exeat. Retia collocet ad vias nemorum asperas, decliues, laxas, caliginosas; ad riuos, conualles, aquas perennes. Ad hæc enim loca præcipue lepus se fuga cōfert. Infinitum aliquid; alia dicere, quæcunque huc pertinēt. Aditus, trāsitus, manifesti, subtiles, versus diluculum, non ante lucem faciundi: ne si retia prope feras inquirendas tendantur, audiēs strepitum fera terreatur. Sin magnum intersit spatium, minus ante lucē aliquis ire prohibetur, vt loca retibus tendēdis expurget. Ne quid autem eis 984 obstet, furculæ infigēdæ sunt supinæ; vt plagæ magis tentæ sint, quum adducuntur. Summis furculis totidē laqueos in-

dat, pariq; modo fulciat, adtollens in medio concauitatem plagæ. Ad marginem plagę lapidem oblongum magnumque adnectat, ne rete, quum leporem tenuerit, in contrariã partem tendat. Longa vero & alta indagine cingat, ne forte lepus transiliat. In ipsis inuestigationibus nulla interponenda mora. Quippe venatoris est, & industrij quidem, celeriter omnino ferã capere. Retia maiora in planitie tendat, casses autem in vias coniiciat, & opportunis extra ipsos tramites locis, cassium margines ad humum religans, limbos summos contrahens, inter oras rete sustollentes furculas figens, funiculos summis furculis tensiles imponat, & interualla retium, quibus euadere fera posset, obstruat. Deniq; circumiens vndiq; obseruet. Si vel indago, vel rete inclinauerit, erigat. Leporem vero, dum ad sagenas agitur, antrorsum recta currere sinat, ipse cum clamore post eum currat: atq; vbi iam in casses inciderit, canum iram, non eos adtingendo, sed verbis mitigando compescat: & venatori clamore significet, vel captum esse, vel hac illacue transcurrisse, vel non ab se visum, vel iam conspici. Venator autem neglecto leuiq; vestitu amictus, itidemq; calceatus, venatũ exeat, manu clauam gestans; eumque retium custos sequatur. Ad venandũ vero taciti accedant, ne lepus, si forte alicubi sit in proximo, vocem audiens loco se moueat. Canibus ad siluam, seorsum singulis, ita religatis, vt facile solui possint; casses & retia maiora, ceu dictum, erigunto. Inde retiũ custos excubiam agat, venator ipse canibus secum sumptis ad prædam in casses adducendam abeat. Votis hinc Apollini & Dianæ; quæ ruri colitur, de impertiẽdis primitiis prædæ nuncupatis, canem vnum soluat, quę vestigãdi peritissima sit, idq; si tempus sit hibernum, ipso cum solis ortu; si æstas, ante diem; aliis anni temporibus, quodã inter hæc tẽpore medio. Postquam canis ista rectum feræ vestigium ex aliis variatis & implicitis eruerit, alterã quoq; soluat. Dum vero vestigij finis ab his quæritur, interiecto tempore non
985 magno, singulatim & alias dimittat, ipseq; sequatur, nõ vrgens tamẽ, ac vnãquãq; nominatim adpellet; nec id quidẽ sæpius, ne ante tempus iritentur. Hæ vero præ gaudio & animi ardore procedũt, vestigia cuiusmodi sunt, dupla, tripla, euoluẽtes, hac illac, proruẽtes ad eadẽ, per eadẽ, variata, in orbẽ acta, recta, curua, dẽsa, rara, nota, ignota; prętercurrentes

rentes

rentes se inuicē,caudas celerius quatientes,aures inclinantes,oculis coruscantes. Vbi vero prope leporem erūt,hoc ipsum venatori significabūt, vna cū caudis corpora tota cōcutientes;bellico more irruentes,certatim procurrētes,studiose concurrentes,cito se coniungentes,vicissim a se discedentes,ac rursus irruentes. Tamdē ad leporis cubile perueniunt,& in ipsum incurrent. Ille repente subsiliens,canū in se latratū & clamorē fugiēdo conuertet. Ipsi vero inter persequendū clament,Io canes,Io segnes, certo canes, Recte o canes. Venator obuoluto manui, quocūq; circūdatur,clauaq; sumta,simul incitato cursu more canū feratur,& leporis quidē a tergo,nō vt ei occurrat. Nā venatoris hoc imperiti. Lepus autē se subducens,& celeriter ex oculis se proripiens, rursus ea plerūq; loca circuit, quib. in locis inueniebatur. Exclamet autē venator, In eū puer,In eū puer,Puer inquam,Puer heus. Ille vero significet,capt9 sit,necne. Quod si primo cursu captus fuerit,reuocatis canib. aliū quærat:sin minus quā celerrime potest canū more currat, nec desistat, sed studiose omnia peruadat. Quod si rursum persequentes leporē canes occurrerint, exclamet: Recte, recte,o canes, sequimini canes. Si canes eū lōge anteuerterint, ac iā citato canū more cursu ad eas peruenire nequeat,sed ab ipso cursu aberrauerit,aut eas in propinquo vagantes, aut adlatrātes, aut vestigiis inherentes videre non possit:in transcursu, ad quemcumq; propius venerit, exclamās interroget: He9 tu, vidistine canes? Vbi iā cognouerit,tū vero,si in vestigio fuerint,accedens hortetur,toties cuiusq; canis nomen vicissim efferēs,quoties poterit; & vocis intentionē formet in sonū acutū,grauē,paruum,magnum. Prçter alias vero incitationes,si cursu lepores in monte petātur,sic etiā hortetur: Belle canes, belle o canes. Sin autem vestigiis non inhæreant, sed excesserint, tunc eas reuocet in hunc modum: Retrorsum,retrorsum,o canes. Sed postquam vestigiis adstiterint, circumducat eas, orbes multos crebrosque faciens: & vbicumq; obscura ipsis vestigia fuerint, signum sibi statuat, ipsam indaginē: hinc eas & exhortando & blandiēdo colligat,donec manifesto vestigia cognouerint. Illæ vero,simul ac clara erunt vestigia, semet in ea coniicientes, adsiliētes, consociantes,suspicantes, notantes, fines sibi notos statuētes,cito leporē cursu insequētur. Sed dum illæ sic per ipsum 986

vestigium frequenter huc illucq; prosiliunt, venator se reprimens, cum canib. minime currat; ne contentione quadã vestigia prætereant. At quum iuxta leporem erunt, idque venatori clare ostendent: obseruet, ne metu canum loco se mouens, anterius proruat. Illę vero cum caudis hinc inde se iactantes, in se ipsas ruentes, saltu se adtollentes sæpius, adlatrantes, capita supra modũ erigentes, venatorẽ inspectantes, hæc vera iam esse vestigia per seipsas adgnoscentes, ita demum leporẽ excitabunt, & cum latratu inuadent. Quod si lepus in casses inciderit, aut exterius, aut interius euaserit, ad vnumquodq; horum custos retium clamorem tollat: &, si captus fuerit, alius inquiratur; sin minus, iisdẽ vt ante concitationib. vtendo, persequendus erit. Sed vbi iam serũ diei fuerit, canib. propemodũ insequendo defatigatis; tum vero leporem venator & ipsum cursu defessum inquirat, nihil eorum relinquẽs inexcussum, quæ terra producit, aut supra se continet; sed crebro se huc, illuc conuertat, ne prætereatur. Procũbit enim paullo momento lepus, nec surgit præ lassitudine ac metu. Secum autẽ ducat in eum canes, & incitans has, & verbis animos addẽs, si qua hominis est studiosa, pluribus: si contumax, paucis: si has intermedia, mediocriter: donec leporẽ vel vestigio persequẽs interfecerit, vel in retia cõpulerit. Post hæc autẽ sagenis retibusq; sublatis, canes auocet, & a venatione discedat; alicubi subsistens, si meridies æstiuus sit, ne canũ in itinere pedes vrantur. Hyeme subleuatas laboribus, ad fœturã admittat: vt quietẽ nanctæ, verno tempore subolẽ generosam producant. Nã hoc anni tẽpus ad canũ incrementa maxime conuenit. Sunt autẽ dies
987 quatuordecim,* quib. hac necessitate vrgẽtur. Ad egregios vero canes, dum otio & quiete fruuntur, eas admittat; vt celerius concipiant. Vbi iã vterum gestant, adsidue venatũ eas non educat, sed aliquo interposito spatio; ne studio laboris sibi perniciem adferant. Vterum gestant diebus sexaginta. Catulos, quum nati fuerint, sub ea relinquat, quę partũ edidit; nec alteri cani subiiciat. Nã alienæ curationes ad incrementa parum conferunt. Matrum vero & lac, & halitus bonus est, & complexus grati. Quum iam oberrant catuli lac eis ad annũ vsq; præbeatur, cũ illis escis, quibus omnem ætatem victitaturi sunt, ac pręterea nihil. Graues enim repletiones catulorum crura distorquent, morbos corporib. in

*Consule Æ. P. comment. 519.

gene-

generant, interiora minus proba reddunt. Breuia vero nomina eis indãtur, vt euocari facile possint. Et esse huiusmodi debent: Psyche, Thymus, Porpax, Styrax, Lonche, Lochos, Phrura, Phylax, Taxis, Xiphõ, Phonex, Phlegõ, Alce, Teuchon, Hyleus, Medas, Porthon, Sperchon, Orge, Bremon, Hybris, Thallon, Rhome, Antheus, * Hebe, Getheus, Chara, Leuson, Augo, Polys, Bia, Stichon, Spude, Bryas, OEnas, Sterros, Crauge, Cænon, Tyrbas, Sthenon, Æther, Actis, Æchme, Noes, Gnome, Stibõ, Horme. Ad venationem vero catulos educat, fœminas mensium octo; mares, decem. Ad vestigia cubilium eos non soluat, sed laxatos lõgis retinens loris, canes vestigantes subsequãtur, & catulos per vestigia currere sinat. Vbi iã lepus reperitur, siquidẽ catulorũ species ad cursum egregie comparata sit, non statim eos dimittat: sed vbi cursu lep⁹ aliquod spatium anticipauerit, vt iam non amplius eum intueatur, ibi tũ catuli laxandi erunt. Nam si specie præditos egregia, & ad cursum animosos, cõminus soluat; intuentes hi leporẽ, præ cõtentione rumpuntur, quũ necdum habeant corpora solide cõpacta. Quapropter hoc venatori cauendũ. Sin species turpis ad cursum parũ idoneas arguat, nihil impedit, quo minus abeant. Non enim malũ hoc illis accidet, quum ab initio parum spei sit; futurum, vt leporem capiant. Vestigia vero quæ cursu lepus impressit, catulos insequi sinat, donec eum inuenerint. Vbi lepus ab eis capitur, discerpendum iisdem tradat. Quum ad retia manere nolunt, sed palantes hinc inde disperguntur; reuocet eos, donec adcurrentes inuenire leporẽ adsuescant: ne semper eum absque ordine quærentes, tandem canum a societate se remoueant, quod in eis documentum nõ probatur. Itaq; dum iuuenes sunt, ad casses eis escas obiiciat, 988 vbi quid inuenerint: vt si propter imperitiã in venatu aberrauerint, ad escas redeuntes non amittantur. Hoc vero non amplius faciundũ, quum infestis erunt in ferã animis, & hãc magis adpetent, quã escas. Plerumq; vero canib. ipse venator cibos obiiciet. Nã * quum eis non indigent, pascentẽ nõ adgnoscunt: at quum auide cibũ adpetentes, accipiunt; diligunt eum, qui offert. Lepores inuestigandi sunt, quum nix ita ceciderit, vt terrã operiat. Quippe si niui loca quędã hyeme nigricãtia sint interiecta, difficilis erit inuestigatu lep⁹. Quum ningit flante borea, vestigia diu manifesta exstant.

*Heba,

* Consule F.P. comment. pag. 521.

Non enim cito liquescunt. Sin & auster spiret ac solis splendor accedat; pauxillum durant, cito diffluentia. Quum vero nix continuo cadit, vestigatione nulla vtendum. Nix enim vestigia tegit. Nec item suscipienda, quum magni vẽtorum flatus sunt. Quippe niuem congerens ventus, vestigia delet, vt conspici nequeant. Quapropter ad huiusmodi venationem cum canibus exeundum non est, quandoquidem nix & canum nares adurit, & pedes, & leporis odorem gelu nimio cogit euanescere: sed sumtis retib. venator, alio sibi adiuncto, cultis a locis ad montes transeat, & quum vestigia deprehenderit, secundum ea progrediatur. Si variata sint, ex iisdem in eadem rediẽs, multis ambagib. circumeat, & exitum eorum quærat. Non parum vero lepus oberrat, dubius vbi procumbat. Simul in ipso incessu, quodã vti adsueuit artificio, quod hinc peti persequendo soleat. Vbi vestigium adparuerit, antrorsum progrediatur. Deducetur autẽ ad locum vel opacum, vel abruptũ; quod venti niuem trans eiusmodi loca ferant. Itaq; leporinis cubilib. illic idonea loca multa reliquuntur, quæ quidẽ lepus ipse quæritat. Quũ vero vestigia venatorẽ ad huiusmodi loca ducent, non accedat propius, ne lepus se loco moueat; sed per ambages circumeat. Nã spes est, illic esse leporem: statimq; parebit hoc, quum inde vestigia nullũ in alium se locũ vlterius porrigent. Vbi constiterit, leporẽ illic esse; relinquat eum ibidẽ, veluti mansurũ; & alium quærat ante, quam euanescant vestigia; tẽporis apud animum rationem habens, vt si alios quoq; reperiat, reliquum diei leporibus indagine cingẽdis sufficiat. Quum satis temporis erit, retia singulis obtendat eodem modo, quo in locis nigricantibus; ita quidẽ, vt vbicumq;

989 fuerit, includatur. Retib. autem iam erectis, accedẽs leporem excitet. Quod si fuerit elapsus e retibus, per vestigia sequatur: quoniã ad alia lepus eiusmodi loca perueniet, nisi forte in ipsam niuem se depresserit. Itaque venator, vbi considerauerit, quo loco sit, retibus eum cinget. Si nõ subsistat, cursu insequetur. Nã sine retib. etiam capietur. Quippe celeriter animum despondet, tum ob niuis altitudinem, tum etiam propterea, quod quum inferius ei pedes hirsuti sint, magna niuis moles eis adhæreat. Hinnulis ceruisq; venandis Indicæ canes adhibendæ sunt. Nam eæ robustæ, magnæ, veloces sunt, nec pusillanimes: & quum tales sint, ad

Hinnulorum venatio.

ad labores quoque sufficiunt. Ac teneræ quidem ætatis hinnulos verno tempore venetur. tunc enim nascũtur. Sed primum lucos ingressus, in quibus cerui plurimi sunt, omnia contempletur: & ad locum, in quo fuerint, canum magister cum canibus & iaculis ante lucẽ veniens, canes a silua procul religet; ne, si ceruam viderint, latratus emittant; ipse de specula prospiciat. Videbit autẽ simulac illuxerit, ceruas illuc ducẽtes hinnulos, vbi suũ quælibet in cubili est collocatura. Postquã eos heic reclinarũt humi, & lactarunt, & hinc inde considerarunt, ne conspiciantur a quoquã: ita deinde in locũ aduersum discedentes, suum singulæ custodiũt. Hæc vbi viderit, canes soluat: ipse sumtis iaculis, ad primum hinnulum progreditor, ad animũ reuocãs, vbi locorũ in cubili reclinatum conspexerit, ne forte aberret. Nam pleraq; loca videntur adspectui propius accedentis alia, quã cuiusmodi de longinquo paruerant. Quum autẽ hunc viderit, accedat propius. Ille immotus manebit, humũ versus se deprimens, & se tolli sinet, nisi sit imbre madidus, & valde clamet. Id enim si fiat, non manebit. Nam humor ille, quẽ intra se cõtinet, præ frigore concrescens, vt celeriter inde se proripiat, efficit. Capietur autẽ a canib. cum labore insequentib. Captum custodi retium tradat. Tollet ille clamorem, & cerua partim conspectis his, partim auditis, cursu tenentem inuadet, & eripiendi viam quæret. Interea vero canes incitet venator, & iaculis vtatur. Hunc vbi redegerit in potestatem, ad alios tendat; in quos eodem genere venationis vtetur. Et iuuenes quidem hinnuli, hoc modo capientur: at vero iam grandiusculi, difficilius. Quippe cum matribus, aliisq; ceruis pascuntur, & in eos medios se recipiunt, quoties ab insequentibus cursu petuntur: interdum ante illos procurrunt, 99 a tergo rarius esse solent. Ceruæ autẽ, hos propugnandi studio, canes proterunt & proculcãt. Itaq; captu difficiles sunt, nisi quis statim irruerit, & feras a seinuicem ita dissipauerit; vt solus hinnulorũ aliquis per vim desertus maneat. Eo vero currẽte, canes a tergo cursu primo relinquũtur. Nam & valde formidolosum reddit absentia ceruarũ, & hinnulorũ id ætatis celeritas alia nulla cũ celeritate comparari potest. Secundo autẽ, tertio ve cursu, cito capiũtur. Quippe corpora illorum, quũ adhuc recẽtia sint ac tenera, laborẽ sustinere nequeunt. Solent etiam collocari tendiculæ ceruis, in *De tendiculis, qui-*

bus capiū- montibus,circa prata, riuos, ac flumina, saltus ac valles,ad
tur cerui. viarum aditus atq; transitus, in agris, quocunque adierint. Tendiculas autem oportet e taxo cōtextas esse,delibratas, ne putrescant; & habere coronas plane orbiculares, clauis alternatim ferreis atq; ligneis in reste defixis ac innexis:inter quos maiores sint ferrei,vt pedi cedāt lignei, & eundem ferrei premant. Laqueus autem funiculi coronæ imponendi,cum ipso funiculo,nexus e sparto sit. Quippe putredini hoc minime obnoxium est. Ipse laqueus & funiculus firmi sint. Lignum,quod funiculo adligabitur, quernum,aut ilignum esto;longitudine triū spithamarū,crassitudine vnius palmi,corticemq; suum adhuc habeat. Tendiculas vero collocet aperta scrobe ad quinq; palmos in orbem,superne coronis tendicularum æqualem,inferius subinde angustiorē. Similiter funiculo & ligno scrobem aperiat, quanta demittendo vtriq; conueniat. Hæc vbi fecerit,in fundum scrobis inferius tendiculā æquabili situ imponat;laqueum vero funiculi circumponat coronæ. Et quum funiculū atq; lignū suo vtrūq; loco demiserit, aculeatas atractylidis spinas imponat coronæ,non nimium tendentes extrinsecus, & super eas folia minuta spargat,quę tunc anni tēpus habebit. Postea vero terra eis superiniiciatur primum e superficie scrobium egesta,& super eam solida terra procul inde sumta, vt ceruæ quammaxime occultus sit locus: quodq; terrę supererit e scrobibus, procul a tendicula deportetur. Etenim si motæ recenter humi odorem cerua perceperit, quod facere statim solet,hæsitabunda restitat. Obseruet autem vena-
991 tor cum canibus ceruas,quæ in mōtibus degunt, matutino præsertim,nec minus etiam reliquo diei tempore;quæ cultis in locis,ante lucem. Quippe non tantum noctu capiuntur in mōtibus,sed etiam interdiu, propter solitudinem: in locis autem cultis,noctu;idq; propterea,quod homines admodum in erdiu ceruæ metuant. Quum autem tendiculā euersam repererit, solutis & incitatis canibus insequatur, qua lignum tractum erit;& quonā id tendat,obseruet. Plerumq; vero non obscurū erit. Nam & lapides erūt loco moti,& ligni tracti,vestigia manifesta in aruis exstabūt. Si per aspera oca feratur,delibrati ligni cortex saxis adhęrebit,& hoc ipso signo facilior erit insecutio. Quod si fera pede capta fuerit anteriori,cito in potestatē veniet. Nā lignū inter

curren-

currendum corpus totum & os percutit. Sin posteriore, lignũ, quod ægre trahitur, vniuersum corpus impediet. Nõnumquã & in bifida quędam per siluã incidit dum ita trahitur; & nisi funiculũ abruperit, illic deprehenditur. Quod si fera vel hoc modo, vel lassitudine victa, in potestatẽ venerit, & mas sit; propius adiri non debet. Nam & cornib. ferit, & pedibus. Itaq; iaculis eminus vtendũ. Capiuntur etiã sine tendiculis, quũ quis ceruas æstate persequitur. Quippe cursu tã vehementer exanimantur, vt etiã stantes iaculis se cõficiendas exhibeant. Itidẽ vbi tenentur, tam in mare, quam alias aquas se coniiciunt: nonnumquam deficiente spiritu, concidunt. At in aprum siluestrem canes comparet Indicas, Cretenses, Locrenses, Lacænas: casses, iacula, venabula, tendiculas. Ac primũ quidem canes ex hoc genere oportet esse minime vulgares, vt ad pugnandũ cum fera paratæ sint, ac promtæ. Sagenas ex iisdẽ filis, quibus ad leporum venationem vtendũ diximus, necti oportet; filis quinq; & quadraginta, funib. tribus; & vnusquisq; funis quindecim filis cõstet. Longitudo nodos habeat a summo fune decẽ, latitudo laqueorũ sit cubiti minoris. Funiculi circuitores retiũ crassitiẽ habeãt sesquialterã, & in fastigiis annulos laqueis suppositos, extremaq; horũ per anulos exeant. Sufficient vero quindecim. Iacula varia sint, quæ spicula habeãt satis lata & acuta noua culæ instar, hastiliaq; firma. Venabula vero primũ habeant spicula quinũ palmorũ, & vbi spiculum hastili adnectitur, illic in medio dentalia vel aures sint æratæ, firmæ; ipsaq; hastilia cornea sint, crassitudine hastæ. Tẽdiculę; quales ceruorũ, sunto. Sed venationis comites adsint. Quippe fera ista vix a multis etiã capitur. Quomodo autẽ singulis instrumẽtis hisce sit vtendũ ad venationẽ, ostendam. Primũ igitur, quũ ad locũ venerint, vbi aprũ esse coniiciũt, adducere prædã venatu capiendã debent, vna de canib. Lacænis soluta: reliquas loris adstrictas tenentes, cum soluta circũeant. Vbi vero canis hæc apri vestigia deprehenderit, ducentẽ per ea comitando sequi debẽt. Sed & ipsis venatorib. argumẽta multa prodent aprũ, velut in mollib. locis, vestigia: in siluosis, ramorũ fragmẽta: vbi arbores fuerint, dentiũ ictus. Canis autẽ vt plurimũ ad locum aliquem siluosum indagando perueniet, quod in eiusmodi locis fera plerumque recumbat. Nam hyeme calidiuscula sunt, æstate frigi-

De aprorũ venatione.

99

diuſcula. Cum ad apri cubile peruenerit, latrat: ille vero plerumq; ſurgere non ſolet. Sumãt igitur canem, & eam cum aliis omnino procul a cubili religent, ac ſagenas in aditus ad apri cubile tendentes iniiciãt, & laqueos in erectos ſiluæ ſtipites bifidos imponant. Ipſius autem ſagenæ ſinum longum producentes, intrinſecus ſuſtentacula faciant, ſuppoſitis vtrimq; ramis: quo per laqueos ſplẽdor lucis in illum ſinum maxime tẽdat, vt accurrenti apro pars interior quam lucidiſſima ſit. Funiculum circuitorem ab arbore firma religent, non ad ſpinam. Quippe nudis in locis ſpinæ nonnihil adiuuant. Supra ſingulas plagas etiam aditu difficilia loca ramis arborum obſtruant, vt in ipſa retia curſu feratur, nec vſquam deflectat. Quum retia tetenderint, ad canes redeãt, omneſq; ſoluant, & iaculis venabuliſq; ſumtis procedant. Canes vnus aliquis incitet, qui eius rei peritiſſimus ſit. Reliqui ordine ſequantur, magnis interuallis alius ab alio diſtãtes, vt traſitus feræ ſatis late pateat. Nam ſi retrocedens in confertos inciderit, periculum eſt, vt ſaucientur. Etenim irã ſuam in eum effunderet, quem adoriretur. Canes autem, quum iam a cubili propius aberunt, impetum facient: ille perturbat⁹ exſurget, & quæcumq; canis ad os eius cum impetu feretur, eam in altum iactabit: ſimul currens, in plagas
993 incidet. Sin minus, omnino curſu perſequendus erit. Quod ſi decliuis fuerit locus, in quo reti captus detinetur, ſtatim exſurget: ſi planus, mox intentus in ſeipſum ſtabit. Tum vero incumbent canes, & ipſi venatores ab eo ſibi cauentes tela coniicient, & lapides in eum torquebunt, a tergo circumſtantes, & longo quidẽ ex interuallo; donec ſeipſum propellens, circumcurrentem plagæ funiculum intẽderit. Tunc aliquis eorũ, qui adſunt, peritiſſimus & inprimis apro capiendo idoneus, in eum progreſſus, a fronte venabulo feriat. Quod ſi petit⁹ ictuſq; telis ac lapidibus, funiculũ illum circuitorem intendere noluerit, ſed in accedentẽ conuerſus tendat, ſeipſum circũagens: tum ſcilicet, ita re cõparatã, neceſſe eſt venatorem ſumto venabulo accedere, tenentem id anterius manu ſiniſtra, poſterius altera. Nam telum ſiniſtra dirigit, dextra impellit & vrget. Anterius autem pes ſiniſter manui cognomini iungatur, dexter dextræ. Accedens vero, venabulũ obiiciat, cruribus nõ multo plus diuaricatis, quã in lucta fieri ſolet, ac toto latere læuo ad manum

læuam

læuam conuerso. Deinde feræ frontem & oculos inspiciat,
capitis in ea motum obseruans. Venabulum infligens ca-
ueat, ne ictu declinatione capitis euitato, venabulum ei de
manibus excutiat. Quippe sequi solet aper excussionis im-
petum. Id autem si cui contigerit, pronus in os cadat opor-
tet, & subiectę sibi materiei adhæreat. Nam si fera in aliquē
ita comparatum irruerit, subiicere corpori dentes simos, e-
ius prehendendi caussa, nequit: sin erectus sit, necesse est eū
sauciari. Subleuare quidem altius eum nititur, verum id si
nequeat, hinc inde inscensum proculcat. In hoc vero discri-
mine constitutus vnam dumtaxat hanc viam liberationis
habet, vt venationis sociorum quispiam cum venabulo ac-
cedens, velut hoc immissurus, aprum irritet. Non emitten-
dum id tamen, ne lapsum feriat. Hoc aper vbi conspexerit,
omisso illo, quem sub se premit, in prouocantem præ ira &
furore conuertetur. Tunc ille celeriter exsiliat, memor in-
terim vt cum venabulo surgat. Nam alia ratione saluti ho-
neste non consulet, nisi fera superata. Rursus ergo venabu-
lum eodem modo, quo prius, infligat; ac ferrum intra sca-
pulas, vbi vulneratus est, admoueat; & obnoxius acriter ve-
nabulo incumbat. Ille præ animi ardore progreditur, & ni-
si aures spiculi prohiberēt, per hastile se propellens ad eum
penetraret, qui venabulum tenet. Adeó autem magna vis 994
eius est, vt ipsi etiam insint ea, quę nemo putaret. quippe re-
center occisi dentes adeo feruent, vt eis impositi pili, in se
contrahantur. Viuenti vero, si quādo prouocatus irritetur,
ignescunt. Nam alioquin aberrans in ictu a canum corpo-
re, summos eorū pilos hinc inde non adureret. Ac mas qui-
dem tot negotiis, atq; etiam pluribus exhibitis, capitur. At
fœminam, si ea inciderit in retia, venator accurrens feriat;
non sine cautione tamen, ne impulsus cadat. quod si conti-
gerit, proteratur necesse est, ac mordeatur. Non est igitur
sponte cadendum. At si quis huc peruenerit inuitus, ei non
aliter surgendum est, quàm qui sub masculo ceciderit. Ex-
surgens vero, venabulo percutiat oportet, donec eam occi-
derit. Solent autem hoc etiam modo capi. Tenduntur eis
plagæ ad exitus cōuallium in loca nemorosa, & edita mon-
tium aspera, vbi patent aditus ad lucos & paludes, & aquas
alias. Is, cui datum est hoc negotij, retia venabulo instru-
ctus seruat: alij canes adducūt, & aptissima quæq; loca per-

quirunt. Vbi fera inuenta fuerit, insequendo petitur. Quod si in casses inciderit, retium custos accedat, sumto venabulo; & cum fera sic agat, quemadmodū diximus: sin minus, cursu intercipiendus est. Capitur etiam, dum æstu medio premitur a canibus. Nam licet hæc fera viribus supra modum præstet, præ nimio tamen anhelitu exanimatur. Pereunt vero multæ in eiusmodi venatione canes, atque etiam venatores ipsi periclitantur. Quum autem persequēdo exanimatæ admouere venabula coguntur, siue in aqua, seu in rupis secessu præruptæ fuerit, seu de loco siluis denso prodire noluerit, quandoquidem nec a reti, nec alia re quauis impediri se patitur, quominus in adpropinquantem irruat: vbi redacta huc fuerit, eundum in eam, & animi magnitudo, cuius caussa cupiditati suæ cum labore satisfaciundum statuerunt, declaranda. Vtēdum est autem venabulo, & gestu obiectuq; corporis, vt dictum est. Nā hoc modo si quid etiam aduersi contingat, non id propterea, quod recte agat venator, contigerit. Ponūtur vero ipsis tendiculæ in iisdem locis, sicut & ceruis: & speculationes eædem sunt, & insequutiones, & aditus, & vsus venabuli. Quum fœtus eorum recens editi capiuntur, hoc ipsum grauiter ferunt. Quippe non solent eos relinquere solos, dum adhuc recentes ac teneri sunt: & quū canes eos inuenerint, vel aliquid ipsi præ-
995 senserint, statim se abdunt in siluas, & ambo sequuntur eos vt plurimum, quorum sunt; id temporis sæuiores, & pro illis acrius, quam pro seipsis pugnantes. At leones, pardi, lynces, pantheræ, vrsi, & aliæ, quæcumque sunt eiusmodi feræ, partim peregrinis in locis capiuntur, circa Pangæum montem, & * Cittum, qui supra Macedoniam est: partim in Olympo Mysio, & Pindo: aliæ in Nysa supra Syriam, & iuxta montes alios, quotquot idonei sunt alendis huius generis bestiis. *Capiuntur vero partim in montibus aconitico veneno, propter asperitatem regionum. Hoc autem venatores rebus iis miscentes, quibus quæque delectatur fera, secus aquas illis obiiciunt, & si quid aliud adire consueuerint. Partim etiam illæ, quæ noctu in plana descendunt, equis & armis interclusæ & circumuentæ, nec sine venatorum discrimine, capiūtur. Sunt quibus & foueas amplas orbiculari forma conficiunt, profundam in medio relinquentes terræ columnam, cui sub noctem capram religatam imponūt, &

*Vulgo Græcorum Cissus, hodie Tuganus, Turcis Zoga. Cō sule Pandectē Turcicum nostrum, cap. 30. & 93.

*De rationib. capiēdi feras ceteras.

vndiq;

vndiq; foueam materiæ siluestri circũsepiunt & obstruunt, ne circumspiciendi facultas sit, aditu ad ingrediendũ nullo relicto. Illæ vocem noctu audientes, sepem circumcursitãt; & quum nusquam inueniunt aditum, transiliunt, & capiuntur. Hactenus de iis quæ in venatione faciũda sunt, dictum. Huic autem labori ac studio dediti, magnam inde vtilitatẽ capient. Nam & corporib. valetudinẽ bonam cõciliabunt, & visu audituq; meliori fruentur, & serius senescent. Ad disciplinam vero militarem potissimũ eos venatio instituit. Primum, vbi gestantib. arma per difficiles vias eundũ erit, animos haud despõdebunt. Quippe labores sustinere propterea poterunt, quod iis ad feras capiendas adsuefacti fuerint. Deinde poterunt etiam cubare duriter, & egregios se declarare custodes in eo, quod fuerit imperatum. In hostib. adeundis simul & progredi aduersus eos, & facere poterũt, quæ imperantur; idq; propterea, quod eadem ratione feras etiam capere consueuerint. In fronte collocati, quũ labores tolerare norint, acies haud deserent. In hostiũ fuga propter consuetudinẽ & vsum quibusuis in locis aduersarios recte pariter ac tuto persequẽtur. Si quid infeliciter exercitui suo cesserit, in siluosis, prærupris, aliisq; difficilib. locis tam seipsos, quam alios absq; macula turpitudinis conseruare poterunt. Nã præbebit hoc eis ipse rei vsus, vt plus aliis norint. 996 Nonnulli quidẽ tales aliquando, magna sociorum turba in fugam coniecta, iam victores hostes, ob difficultates locorum in errorẽ abreptos, suo ipsi robore atq; audacia prœliũ instaurando terga dare coegerunt. Semper enim illi, qui tũ a corporibus, tũ animis egregie cõparati sunt, haud procul absunt ab eo, vt rem prospere gerant. Quum autẽ maiores quoq; nostri cognouissent, hinc prosperos aduersus hostes successus suos manare: iuuentutis curam sibi suscipiendam censuerunt. Nã licet ab initio frugũ inopia laborarent, non tamen venatorib. interdicẽdum venatione iudicarunt; quũ ij nihil eorũ, quæ supra terram nascũtur, venari soleãt. Prætereа vetuerũt intra multa stadia [propter vrbẽ] pernoctari, ne huius artis periti homines suis ipsos prædis ac venatione fraudarent. Videbant enim hanc vnam voluptatẽ iunioirib. vtilitates adferre plurimas; quum & prudentes eos reddat, & iustos, quod in veritate instituantur. Itidem res bellicas per hæc sibi cedere feliciter intelligebant. Eadem

Venationum vsus ad res bellicas.

voluptas a ceteris quoq; prçclaris & honestis rebus, quibus se dare velint, minime iuuenes arcet; quod aliæ voluptates improbæ faciunt, quæ discendæ non sunt. Ex his igitur & boni milites, & imperatores boni euadunt. Quorum enim labores ex animis & corporibus turpitudinem ac insolentiam expellunt, & studium virtutis excitant, ij præstantissimi sunt: quippe qui nec iniurias patriæ, nec regionis & agri vastationem sint neglecturi. Dicunt vero nonnulli, non esse studio venationis indulgendum, ne res familiaris negligatur: quum nõ norint, eos omnino patresfamilias adtentiores esse, qui de republica & amicis bene merẽtur. Quod si studiosi venationis ita se comparant, vt patriæ maximis in rebus vtiles sint: nec priuata certe negligent. Nam vniuscuiusq; fortunæ sic cum republica coniunctæ sunt, vt cum ea pariter & incolumes sint, & euertantur. Itaque viri tales simul & suam, & aliorum rem priuatam conseruant. Multi tamen ex illis, qui hæc dictitant, per inuidiam imprudentes, sua ipsorum ignauia perire malunt, quam aliorum virtute seruari. Nam multæ voluptates ac prauæ sunt, quibus seruientes, vt peiora dicant aut faciant, inducũtur. Hinc vana & incõsiderata oratione sibi odia pariunt, improbis vero factis morbos, damna, neces, non sibi solum, sed etiam liberis & amicis arcessunt; omni vitiorum sensu destituti,
997 sed eodem ad voluptates ceteris acriore præditi; quorum opera quis vti ad reipublicæ salutem velit? At his a vitiis nemo non abstinebit, qui excitatus illorum studio fuerit, quæ ipse prçcipio. Nam honesta institutio docet parere legibus, deque iis & loqui, & audire, quæ iusta sunt. Quapropter ij, qui sic se gerunt, vt semper aliquem obire laborem, & doceri velint, studia quidem illi & exercitationes sibi laboriosas sectantur, sed ciuitatibus suis salutares: qui vero laboris vitandi caussa doceri nolunt, sed vitam potius in voluptatibus immodicis exigendam statuunt, ingeniis præditi sunt improbissimis. Quippe nec legibus, nec admonitionibus rectis obtemperant. Dum enim laborem fugiunt, qualis esse vir fortis & egregius debeat, non inueniunt. Itaq; nec religiosi esse possunt, nec sapientes: quumq; se gerãt, vt rectæ institutionis expertes, bene institutos plerumq; reprehendunt. Nequit ergo quidquam in statu per hos esse prospero, quum his meliorum opera mortalibus omnia commoda

moda

moda concilientur. Ideoq; sequitur, eos esse meliores, qui labores suscipere non recusant. Exemplo id demonstratum insigni. Nam veteres illi apud Chironem, quorum mentionem feci, facto a venationibus ætate prima initio, multas & egregias artes didicerunt: ex quibus magnũ virtutis fructum cõsequuti sunt, propter quam nunc quoq; sunt in admiratione. Atq; hanc quidem ab omnibus amari, manifestum est: sed quia labore comparatur, multi quasi resiliũt. Etenim adipiscendi eam spes dubia est, in adipiscendo labores manifesti sunt. Quod si virtutis quasi corpus quoddã conspici posset, minus eam mortales fortasse negligerent: quando perinde scirent ab ea se cerni, atq; ipsa eorum oculis esset exposita. Quilibet enim, quum ab amaro conspicitur, seipso melior existit: & a dictis ac factis turpibus & improbis abstinet, ne ab illo talia cõspiciantur. Quũ autem a virtute se nõ putent adspici, multa palam & improba & fœda perpetrãt; idq; propterea, quod ne ipsi quidem eam cernant. Illa vero, quum immortalis sit, vbiq; adest: & recte se in eam gerentes, honore adficit; improbos infamia notat. Itaq; si conspici se ab ea scirent, ad labores & disciplinas accederent, quibus capitur, licet ægre; suamq; in potestatem illam redigerent. Mirum hoc vero mihi de illis hominibus videtur, qui sapientię professores adpellantur, quod eorum plerique se iuuenibus ad virtutem duces esse dicant, quum 998
potius eis ad contraria se duces præbeant. Quippe neminẽ adhuc vidimus, quem illi modo sapientię professores egregium virum effecerint; neq; scripta proferunt, quibus homines effici meliores possint: sed multa de rebus vanis ab eis perscripta sunt, ex quibus voluptates quidem inanes iuuentus, at fructum virtutis nullum percipit. Eadem & remorantur ac detinent illos, qui frustra doctrinam ex eis aliquam sibi pollicentur; & ab aliis vtilibus auocãt, illorumque loco vitiosa tradunt. Quamobrem eos ob illa, quę grauiora sunt, grauius reprehendo: in scriptis vero, quod verba quidem exquisita sint, rectæ vero sententiæ, quibus iuniores ad virtutem instituerentur, nusquam adpareant. Equidem licet rerum imperitus, scio * tamen optimum esse, ab ipsa natura id, quod bonum est, doceri: proximum, ab iis potius, qui vere boni alicuius scientiam nancti sunt, quam ab aliis, qui fallendi artificium tenent. Itaq; verbis forsitan

*Cõsule F. P. cõment. pag. 534.

non eleganter vtor, quod hæc non adfecto; ſed ea, quibus ad virtutem præclare inſtitutis opus eſt, a me recte cognita proferre cupio. Nam verba quidem vt parum ad inſtitutionem conferunt, ita ſententiæ ſunt vtiles, ſi doctrinam egregiam contineant. Vituperant autem & alij plerique profeſſores iſtos ſapientiæ ſæculi noſtri, non ſapientiæ ſtudioſos; quod in verbis, non animorum ſenſibus, ſapientiæ ſuæ acumen oſtentent. Nec me latet, quod præſtaret, hęc a mę ſcripta non eſſe. Nam facile ipſis erit, aliquid cito, licet non recte reprehēdere. Scripta tamē ita ſunt, vt recte ſe habeant; nec oſtentatores ſapientiæ, ſed reabſe ſapientes ac bonos efficiant. Neque enim hæc videri malo, quam eſſe vtilia; vt numquam refutari poſſint. At illi ſapientiæ profeſſores ad fallendum & proferunt, & ſcribunt ſua, lucri ſui cauſſa, nec quidquam vlli hominum proſunt. Quippe nullus eorum nec fuit, nec eſt ſapiens; ſed vnicuique ſufficit habere nomē profeſſoris ſapientiæ, quod apud recte ſentientes ignominioſum eſt. Quapropter horum ſapiētiæ profeſſorum præcepta cauenda moneo, ſapientiæ vero ſtudioſorum inuenta cogitataque nequaquam reiicienda. Nam vt illi ſapientiæ profeſſores aucupantur eos, qui diuites ſunt, & iuuenes: ita communes ſunt & amici omnibus, hi ſapientiæ ſtudioſi. Fortunas hominum iidem vt in pretio non habent, ita nec ignominioſas ducunt. Non illos item moneo tibi æmulandos, qui ad captandas conditiones meliores temere feruntur, ſiue priuatis in rebus, ſeu publicis: & hac quidē in conſideratione, quod optimi viri noti ſint ex ſtudiis rerum bonarum, tamquam laborioſi; quum improbi turpiter in ærumnas incidant, & flagitioſis e rebus clari ſint. Quippe quum & priuatis auferant bona ſua, & rempublicam expilent, minus ad ſalutem communem vtilitatis adferant, quā homines imperiti; & habēt corpora bello ineptiſſima, fœdeque conſtituta, quum laboribus ferendis impares ſint. At venatores & corpora & bona ſua ciuibus bene comparata in medium exhibent. Et hi quidem feras inuadunt, illi amicos. Qui amicos adgrediuntur, apud omnes infames ſunt: venatores, dum feras adoriuntur, laudem inueniunt. Nam ſi feras ceperint venatores, belluas hoſtiles vincunt; ſin minus, laudantur tamen: primum, quia ciuitatis totius inimicos adgrediuntur: deinde, quod nec vllius hominis damno,

nec lucri cupiditate id faciant. Ex hoc ipso deniq; conatu ad pleraq; meliores & peritiores euadunt ea ratione, quam ostendemus. Quippe nisi laboribus, & cogitationum inuentis, & magna diligentia longe pręstarent, prædas nullas caperent: quum hostes eorum pro vita dimicantes, & in suo ipsorum domicilio, magnum robur habeant. Itaq; venator frustra laboraret, nisi feras industria maiori, ac prudentia copiosa superaret. Ergo quotquot in ciuitate meliori esse supra ceteros cōditione volunt, amicos vincere contendūt: venatores autem, communes inimicos. Et hos quidem hęc exercitatio præstantiores facit aduersus alios hostes, illos multo deteriores: & sua vtrisq; venatio, his cum prudentia, illis cum turpi audacia coniuncta. Malitiam & quæstum hi contemnere possunt, illi non possunt: vocem hi bona proferentem emittunt, illi turpem. Aduersus ipsum numen nihil illos ab impietate deterret, at hi religiosissimi sunt. Perhibetur enim antiquo mortalium sermone, deos etiā hoc opere tum faciundo, tum spectando voluptatem percipere. Quo fit, vt iuuenes hæc ad animos reuocantes, quæ ipse moneo, si ea faciant, religiosi sint & pij, quum hæc ab aliquo numine spectari arbitrentur: iidemque in parentes, in patriam vniuersam, in vnumquemq; ciuium, in amicos egregie se gerent. Neq; viri dumtaxat, quotquot venationū fuere studiosi, laudem pręclaram adepti sunt; sed etiam fœminæ, quibus hæc Diana largita est, vt Atalanta, Procris, & si qua præter has alia fuit.

EX XENOPHONTIS AD ÆSCHINEM EPISTOLA. 1000

POSTEAQVAM me cōuenisset Hermogenes, quum alia quædā narrauit, tum me de te interrogante, quodnam philosophiæ studium sequereris: idem, respōdit, quod Socrates. Ego vero, etiam quum Athenis ageres, propter hunc animum te admiratus sum. Quemadmodum igitur admirari te cœpi, sic nunc quoque præ quouis alio philosophiæ studioso animi tui constantiam demiror. Maximum enim, vt mihi videtur, argumentum est virtutis tuæ; quod is vir te cœperit, si modo vitam Socratis mortalem aliquis dicendam putat. Ceterum numina supra nos esse,

cuiuis constat. Satis quidem est, ea maiorem ob potestatem venerari. Quales autem & qui sint dij, nec inueniri facile potest, nec inquiri fas est. Quippe seruorum etiam non interest, scire naturam aut facta dominorum suorum; vt quibus nihil præterea conueniat, quam inseruire. Quodq; maximum est, quanto maiorem admirationem merentur, qui res humanas tractant: tanto plus hoc iis adfert oneris ac molestiæ, qui gloriam de multis intempestiuis ac vanis rebus adfectant. Nam quando audiuit quisquam, o Æschines, Socratem de rebus cælestibus disserentem, vel ad lineas ac figuras emendandæ vitæ gratia discendas hortantem? Musicam enim scimus ipsum intellexisse non vltra iudicium aurium. Quin semper aliquid egregij suis dicere non desinebat, quid esset fortitudo, quid iustitia, quid virtutes ceteræ. Vocabat autem hæc bona humana, cetera vero vel homines adsequi non posse, vel fabulis esse cognata dicebat, qualia superciliosi sapientiæ professores ridicula commemorarent. Neque vero verbis * hæc ita tradebat, vt factis eadem non præstaret. Verum ad te illa non ignorantem perscribi, quæ a Socrate gesta sunt, quamquam ingratum futurum non sit; tamen & prolixum fuerit, & alibi a nobis est præstitum. Desinant igitur conuicti, vel ad id accedant, quod probabile est, quibus Socrates non placuit; quum ei viuo sapiẽtię testimonium Deus exhibuerit, interfectores vero eius pœnitentiæ suæ purgationem non inuenerint. Illi * vero egregij viri, Ægypti & prodigiosæ Pythagoræ sapientiæ amore capti sunt, quorum superuacaneum & inconstans erga Socratem studium * tyrannidis amor redarguit, & Sicula ventris immoderati mensa frugalitati victus anteposita.

*Lectio marginis.

*Hæc in Platonem dicuntur.

*Nã Plato ad Dionysium tyrannũ in Siciliam profectus fuit.

EX EPISTOLA XENOPHONTIS AD CRITONEM.

SCIAS frequenter ad nos dixisse Socratem, quod illi, qui liberis suis de multis facultatibus prospiciunt, vt autem boni ac egregij euadant, negligunt; simile quid agant equos alentibus, qui bellicos ad vsus eos non instituunt, & multum pabuli exhibent. Sic enim equos habituri

sunt pinguiores, sed eorum quæ præstare oportebat, imperitos. Nam equi virtutem ac laudem non in corpulẽtia, sed audacia peritiaque bellici vsus, sitam esse. Eodem modo & illos peccare, qui filiis multos agros comparãt, ipsosmet vero negligunt. Nam prædia magni pretij æstimationem habebunt, ipsi viles erunt: quum oporteat e contrario custodientem re possessa longe maioris esse dignitatis ac pretij. Quamobrem si quis filium suum magni pretij hominẽ effecerit, quamuis paucas opes ei relinquat, multa tamen largitus est. Animus enim facit, vt res vel multæ, vel paucæ adpareant. quippe animo bono, quidquid possidet, moderatum est: rudi autem & recte non instituto, exiguum. Tu vero non plura, quam necessitas postulat, das filiis tuis; quæ sane recta institutione vtentes, vt necessaria, sic satis esse sibi copiosa existimant: imperitis vero præsentem quidem corporis molestiam remittunt, at futuri tẽporis exspectationem metu plenam imminuunt.

EX EPISTOLA XENOPHONTIS AD SOTIRAM.

Mihi vero mors ipsa nec turpe quiddam, nec honestum esse videtur: sed tantum esse vitæ terminus, non idem omnium, inæqualitatem annorum ferens ex dissimilitudine ipsius ortus, & pro ratione roboris aut infirmitatis: occasionem vero nõnumquam turpem, interdum pulchrã ac decoram, homini mortem adtrahere.

Ex eadem Epistola. 1002

Ne quidem mortis caussa tantum luctum excogitare conuenit, quum scias, initium viæ mortalium existimari debere natiuitatem; finem vero, mortem. Est autem mortuus, quod cuivis etiam inuito contingit: præclare vero mortuum esse, hominis voluntarij, & vt conuenit, instituti, opus est. Beatus est igitur * Gryllus, & quicumque non longissimam, sed cum virtute coniunctã vitam eligit: etsi breue tempus ætatis Deus ei concesserit.

* *Is Xenophõtis fuit filius, cæsus in prœlio ad Mantineam.*

EX EPISTOLA XENOPHONTIS AD LAMPROCLEM, QVAM alij Xenophani adscribunt.

PRIMVM Socratis admirabilem doctrinam adprobare debes, qui diuitias ex vsu metiri iubebat. Non enim immensas possessiones, diuitias vocabat; sed tantum, quantum requiritur ad vsum decentem. Monebat autem, ne in his iudicio falleremur. Illos enim, quos diximus, reuera diuites; reliquos, pauperes adpellabat: & incurabili paupertate laborare dicebat, quod animi esset imbecillitas, non possessionis.

ADPEN-







ADPENDIX NOVA LEVNCLAVIANÆ XENOPHONTIS OPERVM editionis postremæ.

LEVNCLAVII CHRONOLOGIA BREVIS, AD DECLARANDAS XEnophontis historias, & eiusdem vitam.



YRVS Cambyse, Persarum rege, natus 1003
fuit.

Assyriorum regem Cyrus in Assyria bis prœlio superauit. Libro de institut. Cyri III & IIII.

Cum eodẽ, Crœso copias aduersas ducente, tertiũ prœlio congressus ad Thimbraium siue Thymbrium, iuxta Ciliciam, victoria potitus est. Libro de instit. Cyri VII.

Crœsum & Sardes cepit, vna cum Lydia.

Cariam, & Phrygiã, & Græcos Asiam incolentes, & Cappadocas, & Arabes in potestatem redegit.

Babylonem obsessam cepit, Assyriorum rege, dum vrbs caperetur, in potestatem redacto, & interfecto. Eodem libro VII.

Cyrus Persarum rex fuit annis XXVIIII.

Solus Asiæ totius imperium, post captam Babylonem, obtinuit annis VIII.

Cambyſem & Tanaoxarem, vel Tanaoxarcem, ſecundū Cteſiam, filios reliquit. De inſtitutione Cyri libro VIII.

1004 Cambyſes filius Cyri, natu maior, regnauit annos VII.

Hyſtaſpi Cyrus, expeditionum ſocio, Gobryæ principis Aſſyrij filiam vxorem dedit. Libro de inſtit. Cyri VIII.

Darius Hyſtaſpis filius, poſt Cambyſem regno Perſarum potitus, regnauit annos XXXVI.

Xerxes Darij filius, regno præfuit annis XXI.

Artaxerxes cognomine Longimanus, Xerxis filius, regnauit annos XLIIII.

Anno XXXVII regni Artaxerxis Longimani habuit initium id bellum inter Athenienſes & Lacedæmonios, quod Peloponeſiacum dicitur, a Thucydide litteris proditum.

Anno primo belli huius, Æneſias Ephori officio Spartæ functus fuit, vt ſcripſit Xenophon, quo munus ephori gerente bellum cœpit. & Archidamus rex Lacedæmoniorum irruptione cum copiis in Atticam facta, totam depopulatus eſt. Thucydides libro hiſtoriæ II.

Anno II Braſidas Ephori munus geſſit.

Anno III belli, & regni Artaxerxis Longimani quadrageſimo, Iſanor fuit ephorus, quo magiſtratum gerente, Archidamus expeditionem ſuſcepit aduerſus Platæam, & eam obſedit.

Anno IIII, Soſtratidas ephorus factus eſt, quo tempore bellum de Leſbo gerebatur.

Anno V, quū Exarchus eſſet ephorus, dedita Lacedæmoniis Platæa, de fundamentis ad ſolum vſq; fuit euerſa. Thucydides libro III.

Anno VI erat ephorus Ageſiſtratus.

Anno VII, Angenida ephoro, rex Perſarum Artaxerxes Longimanus diem obiit, regni anno quadrageſimoquarto. Thucydides libro IIII.

Anno VIII, munus ephori gerente Onomacle, regnare cœpit Darius, cognomento Nothus, rex Perſarum.

Anno IX. Zeuxippus ephorus.

Anno X. Pityas ephori munus geſſit.

Anno XI. Pliſtolas ephorus.

Anno XII Clinomachus ephorus, quo magiſtratum gerente, belli ſocietas inter Athenienſes & Argiuos inita fuit.

Anno XIII Ilarchus ephorus.

Anno XIIII Leon ephorus factus est. 1005

Anno XV Chæridas ephorus.

Anno XVI Pateſiadas ephorus.

Anno XVII Clisthene munus ephori adminiſtrãte, claſſis Athenienſium in Siciliam miſſa fuit, ducibus Alcibiade, Nicia, Lamacho, & horum collega Sophocle poeta, qui natu maximus inter eos erat. Thucydides libro VI.

Anno XVIII Lycarius ephorus.

Anno XIX Eperatus ephorus, quo magiſtratum gerente, rex Lacedæmoniorum Agis Deceleam Atticæ muniuit.

Anno XX ephorus erat Onomantius, ſub quo prima belli ſocietas inter Lacedæminos & regem Perſarum coiit, anno Darij regnantis XIIII. Thucydides libro hiſtoriæ VIII.

Anno XXI, Alexippida ephoro, mutatus eſt Athenis ſtatus popularis in CCCC adminiſtrationem, quibus non multo poſt abrogatum fuit imperium.

Eodem anno vicere Thraſybulus & Thraſylus Athenienſes nauali pugna Mindarũ Laconẽ inter Seſtũ & Abydum. Thucydides libro VIII.

Etiam prope Abydum Mindarus iterum victus, & tertiũ haud procul a Cyzico pugnans interiit. Xenophon libro I hiſtoriarum Græcarum.

Anno XXII erat ephorus Miſgolaidas.

Anno XXIII erat ephorus Iſias.

Anno XXIIII, gerẽte munus ephori Araco, nauarchus erat Paſippidas, qui Sparta deinceps exſulauit, quod eiectis Thaſo, qui Laconicarũ partiũ fuerant, viſus eſſet eius auctor rei fuiſſe cum Thiſſapherne.

Hoc anno quũ Medi a Dario rege Perſarũ defeciſſent, denuo eius imperio ſe ſubmiſerunt.

Anno XXV factus eſt ephorus Euarchippus, Crateſippus claſſis Laconicæ prefectus; quum eſſet olympias XCIII.

Thraſylus propter Epheſum victus fuit.

Anno XXVI erat ephorus Pantacles, nauarchus autem Lyſander.

Selybriam cepit Alcibiades, & Byzantium obſeſſum, Athenienſibus ab Anaxilao deditum fuit.

Cyrus inferioris Aſiæ maritimæ Caranus à patre factus, & illuc miſſus fuit. 1006

Alcibiades nauigio domũ rediit, quũ pretor a ciuib. lectus (eſſet.

Lysander classi pręfectus, ad Cyrũ Darij regis filium Sardes adscendit.

Anno XXVII Pityas erat ephorus, classis præfecturã gerente Callicratida; qui missus in Lysandri locum, Methymnã Lesbi oppidũ vi cepit. Deinde propter Arginusas (insulæ paruæ sunt) prœlio nauali fortiter dimicans. quũ e naui delapsus esset in mare, conspici desiit. Atheniensiũ vero prætores, licet hac nauali pugna feliciter rẽ gessissent, tamẽ a populo damnati suffragiis, immerito morte fuerunt adfecti; solo Socrate contradicente, qui tunc ciuium magister erat. Histor. Græc. libro I. & Memorabilium libro I.

Anno XXVIII erat ephorus Archytas, Aracus nauarchus; cuius loco Lysander, velut nauarchi legatus; ad classem missus fuit.

Cyrus ad patrem aduersa valetudine laborantem, in Asiam superiorem abiit; datis ad vsum belli Lysandro pecuniis.

Lysander Athenienses prœlio nauali haud procul ab Ægos potamis superauit. Hinc Athenas obsedit, & cepit, & muros vrbis subruit.

Tunc etiã Dionysius, Hermocratis filius, Syracusanus, regio cum imperio patriam administrauit.

Darius Nothus viuendi finem fecit, quum regnasset annos XIX.

Artaxerxes Mnemon, siue Memor, Darij filius natu maior, regni successionem consequutus est.

Anno XXIX & vltimo belli Peloponesiaci, quo erat olympias nonagesimaquarta, quũ ephorus esset Eudicus, Lysander auehens spolia captarum nauium, & Atheniensium triremes, & coronas, vrbium dona, & argenti maximam copiam, sub æstatis finem, qua post vigesimum octauum annum, sextũq; mensem, bello finis impositus fuit, in patriã cũ classe rediit.

Hic annus apud Athenienses * Anarchia vocatus fuit, propter dominationem paucorum in Trigintauiratu. Xenophon libro II historiarum Græcarum.

* *id est, status reipublicæ magistratuum expers.*

1007 Tyrannis Trigintauirorum Athenis.

Theramenes a collegis in Trigintauiratu cõdemnatus, hausta cicuta mortem oppetiit.

Anno III regni Artaxerxis Memoris Thrasybulus Trigintauirorum

gintauirorum tyrannidem sustulit.

Iusiurandum Athenienses de iniuriarum obliuione præstiterunt.

Cyrus cum copiis Græcis adscendit in Asiã aduersus Artaxerxem regem fratrem, cuius signa Xenophon quoq; sequutus est. Libro I & II de Cyri expeditione.

Cyrus in prœlio irruens in fratrem, & tragula subter oculum vulneratus, obiit. De Cyri expeditione libro I.

Duces Græcorum post pugnam contra fidem datam occiduntur. libro II de exped. Cyri.

Xenophon dux electus, vna cum aliis, Græcos ex hostico Græciã versus abducit, cottidie contra barbaros dimicans. De Cyri expeditione libro III, & sequentibus.

Xenophon cum Cyrianis militibus Seuthæ Thracũ regis signa sequitur. Expeditionis libro VII.

Anno IIII Artaxerxis Memoris Thimbro Lacedæmonius Cyrianos milites à Xenophonte, Persis bellum illaturus, traditos accepit. De Cyri expeditione libri vltimi fine.

Anno VI regni Memoris Dercyllidas, cognomine Sisyphus, velut industriæ vir sollertis, Thimbroni successit in prætura contra Persas. Libro historiarum Græcarum III.

Anno VII Dercyllidas etiam in annum sequentem esse cum imperio iussus fuit.

Anno VIII Artaxerxis, Agesilaus Spartæ rex, quũ in Asiã traiecisset, bellum Persis intulit.

Tithraustes, Tissaphernis successor, L talenta præsidibus vrbium Græcarum dedit; vt bello Lacedæmonios adgrederentur.

Lysander ad Haliartiorũ mœnia cæsus fuit à Thebanis.

Anno IX Agesilaus à suis domi ex Asia reuocatus fuit, vt opem patriæ ferret. Libro histor. Græcarum IIII.

Pisander Lacedæmoniæ classi præfectus, ad Cnidum à Pharnabazo & Conone victus, in naui pugnans interiit.

Anno XI Artaxerxis Cono muros Athenarum pecuniis regiis refecit & erexit. 1008

Anno XV misit Artaxerxes pacem Græcis per Antalcidam, hac conditione; vt Græcæ ciuitates in Asia regis Persarum essent, reliquæ libertatem retinerent. Libro historiarũ Græcarum V.

Anno XX occupauit Phœbidas Lacedæmonius arcem

Thebarum Cadmeam.

Anno XXIII Memoris, Olynthus vrbs Traciæ Lacedæmoniis, certis legibus, dedita fuit.

Phyllidas arcem Cadmeam Thebanis recuperauit, eiectis Lacedæmoniis.

Timotheus Cononis filius, dux Atheniensium, vir fortis & egregius fuit. Libri v historiarum Græcarum fine.

Iason Pheręus Thessalorũ dux cõstitutus fuit. Hist. Gręc. libro VI.

Anno XXXI regis Memoris, Lacedæmonij a Thebanis prœlio victi fuerunt, ad Leuctra cõmisso. Historiarũ Gręcarum libro VI.

Iason Pheręus inter Thebanos & Lacedæmonios pacem composuit.

Iason, & Polydorus, & Polyphron, qui fratres fuerunt, & Alexander, Pheræi; vnus post alium interfecti sunt. Libro VI historiarum Græcarum.

Thebani Laconicam inuaserunt, ad vrbem spartam vsq; progressi.

Atheniensiũ & Lacedæmoniorũ societas aduersus Thebanos. Libro historiarũ Græcarũ VII.

Pelopidas Thebanorũ legatus in Asiam ad regẽ Persarũ adscendit.

Anno XXXIIII regis Artaxerxis mortuus est Dionysius prior Syracusanus tyrannus, Dionysio secundo filio & successore regni relicto, qui deinceps annis XII imperauit.

Epaminondas iterũ duxit exercitum Spartam, sed irrito conatu.

Anno XXXIX Memoris, pugnatum inter Thebanos & Lacedæmonios ad Mantineam, vbi victor Epaminondas obiit.

1009 Anno sequenti finiit vitam rex Persarũ Artaxerxes Memor, quum annis XL regnasset. Successorem Ochum habuit.

Anno III regis Persarum Ochi, & quarto post pugnam Mantinicam, olympiadis centesimæ quintæ * primo, mortuus est Corinthi Xenophon, quum annis amplius XC vixisset. Itaque postrema non longo ante obitum tempore cõscripsit.

* *ante Christum natũ 361.*

CHIO-

CHIONIS, DE CONSERVATO A XENOPHONTE Byzantio.

*CHIO MATRIDI S. D.

*Is Clearchum, Heracleæ Ponticæ tyrannum interfecit.

AGNAM ventis gratiam habeo, qui nos detinuerunt, ac vi quadam Byzantij commorari coegerunt. Equidem initio succensebam eis, quum valde properarem: sed ob Xenophontem, Socratis familiarem, operæpretium erat istic etiam diutius hærere. Nam is Xenophon vnus ex iis Græcis est, qui expeditionem aduersus Artaxerxen susceperunt, societate belli cum Cyro inita. Et erat initio quemdam apud ducem, nec curiose quidquam agebat, nisi quod deceret militem: adeoq; vnus erat ex eorum numero, quos Cyrus habebat in pretio. Verum postea, quam primo prœlio Cyrus occubuit, & violatis induciis, Græcorum imperatoribus abscissa fuere capita: quum ob fortitudinem, tum sapientiam, qua ceteroqui valebat, imperator creatus est; quod existimaretur egregie saluti Græcorum consulturus. Atq; hæc spes eos haudquaquam fefellit. Nam per medios hostes exiguas, quas ducebat, copias incolumes seruauit; quum quidem diebus singulis castra non procul a ducibus regiis haberet. Sunt hæc quidem admiratione digna, sed illud multo admirabilius & maius, cuius ipse nunc spectator fui. Nam Græci diuturnæ ac difficilis militiæ laboribus confecti, quum nullum pro aditis periculis præmium retulissent, præter corporum incolumitatem: a Byzantiis præ for- 1010
midine admissi, vrbem populari statuerunt; eoque factum, vt magnæ Byzantiis turbæ subito exorirentur. Quumque iam milites externi arma caperent, ac tubicen classicum caneret: equidem scuto hastaque correpta currebam ad muros, quo loco iuuenum quemdam globum coiisse videbam, Verum mœnia præsidio munire nullam ad rem proderat, quod iam vrbem hostes occupassent. Nihilominus existimabamus defensionem nobis faciliorem fore, si

loci commoditate superiores essemus; aut saltem perituros
nos aliquanto tardius. Interim quum magnæ inter Græcos
essent turbæ, cernebamus hominem cæsarie prolixa, pul-
chro ac miti adspectu, per medios incedentem milites, ac
singulorum impetus reprimentem: qui quidem erat is, de
quo loquor, Xenophon. Quum verò illi eum ex aduerso
cohortarentur, vt vnus multis pareret, ac tamdem aliquan-
do ærumnosæ difficilique tempestati finẽ imponeret: Pe-
dem igitur referte, ac de re consultate. Non enim metuen-
dum est, ne res in potestate nostra sita, dum consultabimus,
nobis elabatur. Vbi, quo minus in hoc ei parerent, verecun-
dia præpediebantur: stans eorum in medio Xenophon, ad-
mirabilem orationem habuit, quemadmodum finis ipse
declarauit. Nam a nobis exaudiri ea clare non poterat. E-
nimuero cernebamus eos, qui paullo ante vrbem diripere
decreuerant, modeste commeatum in foro, non aliter ac
reliquorum Byzantiorum quemlibet, emere: neque iam
amplius vlla ex parte iniustum illum rapacemque Martem
spirare. Atque hoc spectaculum, animi Xenophontis indi-
cium erat; quantum ille tum prudentia, tum orationis vi
valeret. Equidem ferre non poteram, vt is vir non com-
pellatus me præteriret; præsertim quum eodem me, quo
Byzantios, beneficio adfecisset. Nam & ipse vnus ex iis e-
ram, quem ventis ibi detentum spoliari contigisset. Itaque
cognoscendum ei me præbui. Tum ille amicitiæ, quæ tibi
cum Socrate fuisset, reminisci; meque ad philosophandum
cohortari, ac de rebus etiam aliis non profecto militariter,
sed humaniter admodum mecum colloqui. Nunc copias in
Thraciam ducit. Nam Thracum rex Seuthes, qui bellum
aduersus finitimos quosdam gerit, arcessiuit eos; seque sti-
pendium Græcis & amplum & integrum numeraturum
recepit. Parent in hoc illi, quod dimitti nolint inopes, sed la-
boribus suis aliquid comparare, donec adhuc coniunctæ
sunt ipsorum copiæ. Ceterum scito me iam multo luben-
tius Athenas ad philosophandum nauigaturum. Nam
meministi, quoties me ad philosophiam impelleres, & ad-
mirabilia quædam commemorares de iis, qui vllam in e-
1011 ius partem incubuissent; in aliis me facile tibi adsensum
fuisse, tantum hoc vehementer veritum esse. Arbitrabar
enim augeri virtutẽ alias in hominibus a philosophia, quę-
cumque

cumque tamdem illi susciperent. Quippe modestiam & iustitiã non aliunde, quam ex philosophia, haurire homines existimabam: verum agendi vim, ac impetum animi, remissiorem reddi. ac ad trãquillitatem quamdam emolliri. Nam philosophorum admirabiles laudes in tranquillitate mihi consistere dicebas, & in eo, quòd nullis negotiis impliciti essent. Itaq; grauiter mihi ferẽdum videbatur, si philosophia percepta, ceteris in rebus melior euaderem; at neque magnanimus, neq; miles amplius esse possem, nec (si res ita posceret) præclari alicuius facti auctor. Immo quod valedicendum mihi esset his omnibus, delenito a philosophia; quæ incantationis instar mihi omnis insignis facinoris obliuionem induceret. Nimirum ignorabam eos, quì exculti essent a philosophia, etiam ad fortitudinem melius esse comparatos. Atque hoc vix a Xenophonte didici, non quod ea de re mecum sermonem habuerit: sed quod talem se declarauerit; qualis est. Nam quum Socratẽ diligentissime audierit, tamen & exercitus, & vrbes seruare potest: nulla re factus a philosophia minus ad commodandum sibi & amicis idoneus. Quamobrem vita quieta, est illa quidem magis ad parandam felicitatem efficax; ita tamen, vt præclare faciat is omnia, qui uitam colere quietam possit. Etenim maiorem illum esse necesse est, qui auaritiam & cupiditatem, morbosque ceteros vincit, quam qui bellicis rebus occupatur: quum iis etiam illi succumbant, qui victoria de hostibus potiuntur. Itaque percepta philosophia, spero me quum ad alias res meliorem fore, tum nihilominus fortem, vtut minus audax ero. Verum satis hac de re, superque dictum. Scito autem me iam ad nauigationem accingi, quod & venti magis secundi sint.

1012 # HERMOGENIS TARSENSIS, DE FORMA DICTIONIS Xenophonteæ.

Xenophon ἀφελὴς, simplex.

Suauis.



Ic scriptor simplex est in primis, & ea dicendi forma prę ceteris formis omnibus, quæ sunt laudationum, abundat: ac vario genere suauitatis, a simplicitate proficiscentis, vtitur; ita tamẽ, vt manantes hinc delectationes, veluti quæ sumuntur a fabulis, & aliis eiusmodi, rarius adhibeat. Nam & vbi * de canibus pleraq; cum lectoris voluptate cõmemorat, id ipsum per intensionem simplicitatis facit; nõ alia qũadam illorum ratione, quæ naturaliter ad suauitatẽ pertinent. Tota quidem * descriptio morum & adfectuum Abradatis ac Pantheæ, fabulose cõficta, delectationes multas habet; nec minus & illa, quæ de * Tigrane, deque coniuge ipsius Armenia narrantur. Diximus autem rarius eum vti hoc genere suauitatis; & vtitur tamen. Amplitudinis vero formam sententiis frequenter adtingit, ita tamẽ, vt hanc etiam extenuet, ac vi quadam reuocet ad simplicitatem per ipsas tractandi rationes, verborumq; delectum, ac per alia, quæcumque proprie ad verba pertinent. Purus autem est, ac dilucidus Xenophon, si quisquam alius; & acrimonia pariter acumineque gaudet: quorum naturam in capite de suauitate ac simplicitate exposuimus. Accurationem in dicendo, vt in oratione simplici, & fictionis experte, multam adhibet. Eam vero simplicitatem, qua Plato vsus est, longe Xenophontis simplicitas superat; quum quidem hæc talis sit ipsis rerum argumentis, non verbis dumtaxat, & iis quæ verba comitantur. Scripta sunt ab vtroque conuiuia. Sed hic & saltatricum introductionem, & quasdã saltationum species, & oscula, cum aliis talibus, litteris prodere quadam cum voluptate non veretur: quum Plato, sicut ipsemet ait, mulieribus hæc relinquens, simplicitatem rerum ad grauiorem quamdam speciem traducat. Xenophon autem in historicis quoque talis est, qualis & in aliis
1013 libris; veluti quum * dicit, milites gramineis coronis vsos: item

in libro de venatione.

libro de instit. Cyri VI. pag. 168. & lib. VII. pag. 185.

** libro de instit. Cyri III.*

Puritas & perspicuitas.

Xenophontis ἀφέλεια Platonicã superat.

Symposia Platonis et Xenophontis.

** Lib. IIII de Cyri ex-*



item, quod cum pueris, tamquam surdis ac mutis, loquuti sint: & quod e cratere bibẽdum eis erat capite demisso, bouis instar. Nam hæc, & his similia, quadam eximia simplicitate delectant; cuius vsus apud Platonem non itidem reperitur. Etiam in personarum imitationibus magis excellit Xenophon, quum simplices, ac reabse fictionis expertes, & teneros, & iucũdos, animorum mores imitando exprimit; vt * indolem Cyri adhuc pueri, & quæcumque sunt huius generis. At apud Platonem nihil est tale, præterquam in adulescentum ætate: veluti quum Theætetum, vel aliã quãdam eiusmodi personam introducit; omnino tamẽ alia ratione, quam qua Cyrus ille Xenophonteus, de quo loquor, adhuc puer introducitur; vel vxor Tigranis Armenia, vel quæ alia sunt eiusmodi. Est & illud Xenophonti peculiare, quod per interualla nonnumquam verbis quodam modo poeticis vtitur, quæ natura sua plurimum ab aliis verbis differunt: veluti quum *πορσωύνειν dicit, & quæ sunt eius generis alia.

ped. pag. 332. 333.

*Libro de instit. Cyri primo.

*Lib. IIII de institut. Cyri. pag. 98, D. οὓς ὁρῶσι πορσωύοντας τὰ ἐπιτήδεια.

XENOPHONTIS DE RE EQVESTRI LIBER, EX INTERpretatione Leunclauij priore Taurinensi.



QVANDOQVIDEM ex eo, quod rem equestrem diu nobis exercere contigit, vsum eius aliquem adsequuti videmur: lubet amicis iunioribus indicare, qua futurũ ratione putemus, vt equos rectissime tractent. Scripsit quidem & Simo de re equestri, atque idem consecrauit equum aheneum Athenis in Eleusinio, ad cuius basim ab se præstita effinxit. In eius libro quæcumque reperimus sententiæ nostræ conuenientia, nequaquam ex his nostris delebimus; sed eo lubentius cum amicis communicabimus, quo maiorem illo quoque nomine fidem habitura ducimus, quod vir equestris rei peritus nobiscum consentiat. Quęcumque idem prætermisit, nos indicare conabimur. Primum vero

Xenophon equestris rei peritissimus.

Simonis liber de re equestri.

Simonis et Xenophontis præcepta cõiuncta.

Emtio pulli. perſcribemus, quo pacto quis in equorum emtione quam minimum circumueniatur. Itaq; pulli adhuc indomiti corpus explorandum eſſe, manifeſto patet. *Pulli exploratio.* Nam animi nõ admodum certa præbet indicia, qui necdum conſcenditur. At *Pedes.* in ipſo corpore primum pedes inſpiciendos dicimus. Sicut enim domus nulli fuerit vſui, ſi ſuperioribus egregie inſtructis, non etiam fundamenta conuenientia ſubiiciantur: ita nec equi bellatoris vſus fuerit vllus, ſi pedes vitioſos habeat, licet alia ſint in eo præclara omnia. Nec enim vllis dotibus ſuis vti poterit. Pedes autem exploret quiſpiã, primum *Vngulæ.* vngulas inſpiciendo. Nam hæ ſpiſſæ longe tenuibus ad bonitatem pedum præſtant. Deinde nec illud negligendum, ſintne ſublimes vngulæ tam anterius, quam poſterius; an depreſſæ vel humiles. Nam ſublimes longe a ſolo remotam habent teſtudinem, quam vocant: quum depreſſæ vel humiles, ſic comparatæ ſint, vt valgorum more tam firmioribus, quam teneris pedum partibus in inceſſu vtan*Vngulæ ſonitus.* tur. Etiam de vngularum ſonitu bonis præditos pedibus adgnoſci, tradit Simo; ac recte quidem. Nam vngula concaua ſolo impacta, non aliter, atque cymbalum aliquod, reſonat. Et quoniam hinc orſi ſumus, indidem ad reliquum corpus adſcendendo progrediemur. Oportet igitur oſſa, *κυνήποδες Græce.* quæ ſupra quidem vngulas exiſtunt, infra *callos tamen caninos, quos vocant, ſeſe porrigunt, neque nimis eſſe recta, veluti capræ, (quippe quum ſolidiora ſint, equitem ſuccutiunt; & huiuſmodi crura citius etiam inflammãtur) neque nimis eadem depreſſa. Nam calli denudarentur, & exulcerarentur; ſiue per glebas, ſeu per lapides equus agere*Oſſa tibiarum.* tur. Oſſa tibiarum ſpiſſa debent eſſe. Quippe corporis hæc fulcra ſunt. Non tamen venas, neque carnes craſſas habeant. Etenim alioquin, dum in aſperis locis equus agitur, hæc ſanguine impleri neceſſe ſit, & callos exiſtere; atq; ipſa quidem crura intumeſcere, cutem vero abſcedere: quæ ſi laxior ſit, vſuuenire ſæpius ſolet, vt etiam ſura laxata clau*Genua.* dicet equus. Ceterum ſi genua pullus in inceſſu molliter inflectat, exiſtimare liceat, itidem habiturum crura mollia, quum ad equitationis vſum idoneus erit. Omnes enim, progreſſu temporis, flexus genuum molliores conſequuntur; qui ſane non abs re probantur. Nam equus huiuſmodi, minus & offendit, & fatigatur; quam cruribus rigidis præditus.

ditus. Femora sub scapulis si crassa sint, & robore præstabunt & elegantia; sicut in virili quoque corpore. Pectus si paullo sit amplius, magis erit aptum; siue spectes venustatem, seu robur; siue non per interualla, sed longo temporis tractu mouentem crura velis equum. A pectore ceruix non vt verris, prona & præceps enata sit; sed ita recta tendat ad verticem, vt gallinacei: nihilo minus in ipso flexu incurua. Caput osseum, paruas habeat maxillas. Sic enim fiet, vt equi ceruix ante sessorem sit; oculus ante pedes spectet. Nec item contumax esse possit equus huiusmodi, licet admodum sit animosus. Nam equi, quoties esse contumaces volunt, non ceruicem & caput inflectunt; sed extendunt. Considerandum etiam, teneræ sint ambæ buccæ, necne; an harum alterutra. Quippe quorum buccæ dissimiles sunt, alterutra plerumque tractabiles dumtaxat euadunt. Si exstantes habeat oculos, magis esse videtur vigilax, quam si concauos; ac longiori ex interuallo prospicere. Nares patulæ perspirabiliores sunt compressis, & equo formam terribiliorem præbent. Etenim quum vel equus equo succenset, vel in equitatione commouetur; nares magis solito diducit. Vertex maior, & aures minutæ, speciem capitis equini magis honestam efficiunt. Armorum eminentium sublimitas & sellam equiti tutiorem, & armis atque corpori firmiorem compagem tribuit: eademq; duplex simplici commodior est ad insidendum, & delectabilior adspectu. Latera demissiora, ventrisque respectu turgidiuscula, pariter efficiunt; vt equus & sedem præbeat aptiorem, & robustior sit, & pabulo melius fruatur. Lumbi quo latiores & succinctiores erunt, eo facilius partes equus anteriores adtollet, ac posteriores adtrahet. Eadem ratione fiet, vt aluus esse minime vasta videatur; quæ si magna sit, partim deformat equum, partim debiliorem, & minus oneri gestando reddit idoneum. Coxas latas esse conuenit, & carnosas; vt lateribus & pectori respondeant. Quod si solida sint omnia, magis expeditus ad cursum, & acrior equus erit. Femorum partes sub cauda si latiore linea discretas habeat, sane fiet, vt crura posteriora longiore tractus interuallo collocet: quod ipsum efficiet, vt incessus equi sub insessore terribilior sit, atque firmior; & omnia seipsis meliora. Licet hoc vel ex hominibus deprehendas.

Femora. *Pectus.* *Ceruix.* *Caput.* *Buccæ.* *Oculi.* *Nares.* *Vertex & aures.* *Latera.* *Lumbi.* *Coxæ.* *Femora sub cauda.*

Nam quum aliquid de terra tollere volunt, nemo non id potius cruribus diuaricatis, quam compressis, facere conatur. *Testes.* Testes equus nō magnos habere debet, quod in pullo perspici non potest. De posterioribus talis, siue tibiis, & callis, & vngulis, eadem dicimus; quæ de anteriorib⁹. Lubet etiam

1146 *Indicia futuræ magnitudinis* scribere, quibus indiciis de magnitudine coniecturam aliquis facere possit, vt minime fallatur. Nam cui pullo recens in lucem edito præaltæ fuerint tibię, is maximus euadit. Omnium quippe quadrupedum vt tibię, progressu temporis, in magnitudinem non admodum excrescunt: ita reliquum corpus ea sumit incrementa, quæ tibiis respondeant. Atque hoc modo qui pulli formam examinant, maxime nobis aliquem posse consequi videntur, qui & bonos habeat pedes, & robustus sit, & iusta carnis, habitudinis, staturæ proportione præditus. Quod si maxime quidam in ipso mutantur incremento, nihilo minus hac confidenter vtendum exploratione. Nam longe plures egregia corpora, quum initio turpes sint, adipiscuntur; quam fœdi de pulchris euadant.

Vt pulli tractandi. Ceterum quo pacto pulli tractandi sint, perscribē dum nobis videtur. In vrbibus quidem equestris rei cura mandari solet iis, qui & copiis locupletissimi sunt, nec in parte reipublicæ postrema versantur. Longe vero satius est, tum adulescentem bonæ corporis constitutioni, ac rei equestri, vel hac iam percepta, eiusdem exercitiis operam dare, quā pullis domandis intentum esse; tum hominem ætate prouectiorem familiæ, amicorum, ciuilium bellicarumq; rerum curam potius gerere, quam pullis tractādis occupari.

Pullorum domitor. Quod si quis de pullorum educatione mecum in eadem sententia est, haud dubie pullum domandum locabit. Sic tamen locandus erit, vt quasi quum puer alicuius artificij discendi caussa magistro traditur, litteris ipse consignes, quib. rebus institutum pullum reddi tibi velis. Nam ista pullorum domitori pro indiciis erunt, quas ad res equū exercere debeat, si mercedem accipere velit. Id tamen ante curandum, vt pullus domitori mansuetus, & tractabilis, & hominum amans tradatur. Etenim horum pleraq; domi a curatoribus suis

Vnde pullorum in homines amor. discunt, si quidem hi considerent, pullum etiam quiescentē eo possē peruenire, vt esuriat, & sitiat, & iracundus sit: at idē vt comedat, vt bibat, vt molestiis a rebus liberetur, non nisi per homines fieri posse. Quippe si hæc eis eueniant, non diligi

ligi dũtaxat homines a pullis; verumetiã experi necesse est. Præterea cõtrectandæ partes corporis, quas in primis equo iucundum est palpari. Sunt aũt illæ, quæ pilos densissimos habent; & quib. si molesti quid accidat, equus ipse nullã ferre possit opem. Iubeatur quoq; curator ducere pullũ per hominum turbã, & ad species omnigenas omnigenosq; strepitus admouere: quorũ si qua pullus reformidet, nõ sęuiendo, sed mitigãdo demonstrari debet, res minime diras esse. Ac de pullorũ quidẽ institutione sufficere mihi videtur, hęc imperito faciunda præscripsisse. Quũ vero equũ aliquis homini ferendo iam idoneũ sibi cõparat, quas tenere cõmonefactiones debeat, ne in emtione decipiatur; litteris prodemus. Primũ non ignoret, quæ sit ætas equi. Nã qui dẽtes, quos indices vocant, nullos amplius habet; is neq; spe delectat, nec itẽ distrahi facile potest. Quũ certo de ętate cõstat, ignorari rursum nõ debet; quo pacto frænũ ore, lorum verticale circum aures admittat. Ea vero haudquaquã ignorari poterũt, si emtore spectante frænũ immittatur; & eodẽ spectante eximatur. Secundũ hæc animaduertendũ, quî tergo sessorẽ accipiat. Nã, equi pleriq; difficulter admittuntur ea, quib. admissis, ad laborandũ se coactũ iri perspiciũt. Considerandũ quoq;, num conscẽsus, ab aliis equis digredi velit; an ad eos adstantes respectans sese deflectẽdo cõuertat. Sũt etiã nonnulli, qui ꝓpter educationẽ malã ex ipsis exercitiis equestrib. ad secessus domesticos aufugiũt. Altera dũtaxat maxilla tractabiles tũ ea prodit equitatio, quã * cõpedẽ vocant, tum lõge magis ipsius in equitatione cursus mutatio. Nã pleriq; deflectere nolunt ab instituto cursu, nisi maxilla cõtumax cũ inflexione domũ versus tendẽte cõueniat. Sciri quoq; debet, an equus laxatus ad celerẽ cursum, cito inhibeatur; & an reuerti velit. Expedit etiã nõ ignorari, nũ ictu excitatus, eodẽ modo velit obtẽperare. Nã famuli quidẽ, & exercitus immorigeri, nullus vsus fuerit: at equus inobediens non tantũ inutilis est, verumetiã sæpenumero facit, ꝙ ꝓditor solet. Et quoniã equũ bellatorẽ instituimus emere, periculum eorum omnium faciundum erit, quorum in bello periculum fieri solet. Ea sunt, transsilire fossas, muros superare, in prærupta euadere, de præruptis desilire. Periculũ quoq; faciundum equitationis adcliuis, & decliuis, & obliquæ. Nã hæc omnia tum animum equi, num laborum tole-

Emtio equi.

Ætas vnde cognoscenda.

1147

ἑτερόγναθοι.

* πέδην.

Equi morigerivsus.

Equus bellator.

rans;tum corpus,an ſanum ſit,explorant. Neq; tamē reiici
debet,qui non valde inſigniter hæc præſtat.Etenim pleriq;
nō eo deficiunt,ꝙ præſtare nequeant, ſed ꝙ harum rerum
rudes ſint: quas ſi didiciſſent, & conſuefacti eſſent, & exer-
cuiſſent,egregie præſtarent omnia; modo ſani ſint, mini-
Equus ſuſpicax & meticuloſus. meq; vitioſi.A meticuloſis quidē equis cauendū. Nam qui
valde trepidi ſunt,vt hoſtib.de ſe damnū dari non ſinunt;ita
ſæpenumero ſeſſorem quoq; fruſtrati, grauiſſimas in diffi-
cultates coniiciūt.Cognoſcendū etiam,num aliqua ſit in e-
quo vel aduerſus equos, vel aduerſus homines ſæuicia; nūq;
ſit implacabilis.Nam iſtæc omnia dominis moleſtiā creare
ſolent. Ceterum an frænū admittere,vel accipere ſeſſorem
detrectet equus,cum motib.aliis, multo magis etiā perſpi-
cere quiſpiā poſſit;ſi equo iam defatigato, rurſus facere co-
netur,quæ ante equitationē fecerat. Quotquot ſane labo-
ribus ſemel obitis,alios deinde ſubire non recuſant ; argu-
Dotes equi boni. menta ſatis idonea tolerantis animi de ſe præbent.Ad ſum-
mam,pedib.bonis præditus, & mitis, & ſatis ad curſum ce-
ler,& qui tum velit,tum poſſit ſuſtinere labores, ac lubēter
pareat; eum vero credi par eſt,minimum exhibiturū mole-
ſtiæ,ac in primis equiti ſalutis auctorē in rebus bellicis fu-
turum. Quibus aūt vel propter ignauiā frequenti opus eſt
incitatione,vel propter animoſitatē nimiam frequēti blan-
dimento,& operoſa tractatione:hi & manib. equitis nego-
tium faceſſunt,& in periculis animum perturbāt. Enimue-
ro quum quis equum iam ſibi probatū emerit, domumque
Stabulum equi. deduxerit;ſtabulum quidē ea parte domus eſſe conuenit,v-
bi dominus equum frequentiſſime ſit conſpecturus:nec mi
nus vtile,ſic equile ſtructū eſſe, vt nō magis equi pabulū de
præſepi,quam domini cibus e penu ſubtrahi furto poſſit.In
hoc qui negligēs eſt, mihi quidem ſeipſum negligere vide-
tur.Etenim manifeſtū eſt,dominū in periculis equo corpus
ſuum credere. Neq; dumtaxat habere prodeſt munitum e-
quile propterea,ne furto pabulum auferatur: verumetiam
quod ſtatim deprehendatur, ab equo pabulum non egeri.
Equi nauſea. Quod vbi quis animaduertet, vel os abundans humore,
curationis indigere ſciat; vel equū fatigatū,requietē poſce-
1184 re;vel crithiaſin.aliumve quempiā morbum ſurrepere. Sūt
autem vt in homine,ſic etiam in equo,ab initio ſanabiliora
omnia, quā vbi occalluerint, neglectiq; per errorē morbi
fuerint

fuerint. Quemadmodum vero pabuli & exercitiorũ equi gerenda est cura, quo robustum sit corpus: sic etiã pedibus adhibenda diligẽtia. Stabula quidẽ humida, læuiaq;, bonas etiã a natura corrumpunt vngulas. Oportet vero, ne humida sint, defluxum habeãt; neve sint læuia, lapides cõiunctim defossos contineant, vngulis magnitudine respõdentes. Nã ea stabula, præter indicatos vsus, equorum insistentium pedes quoq; solidiores efficiunt. Deinde curatoris erit, vt equum e stabulo educat, vbi destringendus erit: & a prandio religet a præsepi, quo maiori cum voluptate vespertinũ ad pabulum accedat. Rursus vt stabulum exterius quam optime comparatum sit, & equi pedes reddat robustiores; rotundorum lapidum in viis iacentium, libræq; pondus habentium, plaustra quatuor aut quinq; passim substernat, & ferro cõstringat, ne disiungantur. Super hos insistẽdo, tamquam in via lapidea, semper aliquã diei partẽ obambulet. Neq; vero fieri aliter potest, quin vngulis perinde vtatur, ac in incessu, siue destringatur, seu pungatur. Ipsæ preterea pedum testudines a substratis hoc modo lapidibus solidiores redduntur. Quemadmodum autẽ vngularum haberi ratio debet, vt sint firmæ: sic etiã oris, vt tenerum sit. Eædem vero res & hominis carnẽ, & os equi tenerum efficiunt. Ceterum & illud equestris viri nobis esse videtur, vt equorum curatorem habeat, ea callentẽ, quæ tractãdo sint equo. Primum igitur huic sciendum, numquã eius lori, quo equus ad præsepe ligatur, nodum id loci faciundum; vbi verticale fræni lorum adplicatur. Quippe quum frequẽter equus ad præsepe caput moueat, nisi lorum hoc absq; noxa circumdatum sit auribus, caussam hulcerib. sæpenumero præbebit. Si vero hæ partes exulcerẽtur, tam ad frænandum, quam destringendum se difficiliorẽ vt præbeat equus, necesse est. Expedit etiam, curatori datum hoc esse negotij; vt equi sterc⁹ atque stramenta cottidie in vnum locum exportet. Etenim si hoc faciat, & ipse molestia facile liberabitur, & eadẽ opera cõmodum equo adferet. Sciendum vero, debere curatorẽ equo capistrum quoq; circumdare, siue ad destrictionẽ, seu ad volutabrum educat. Immo semper, quoties equum sine fræno ducit, capistro eum cõstringet. Quippe capistrum vt respirationẽ non impedit, ita mordẽdi facultatẽ adimit; adeoq; circumdatum, equos ab insidiis faciundis reuocat. Et-

Pedes equorũ curãdi.

Os tenerũ.

Curatoris equi officium.

Stercoris expurgatio

Capistrum equi.

Adligandi equi ratio. iam supra caput adligandus est equus. Nam quidquid tamen dem ob os molestum equo accidat, sursum iactare caput ductu naturæ solet. Itaq; si caput sic adligatus iactet, magis laxat vincula, quã disrumpit. Quum destringit equum curator, a capite quidẽ, & a iuba incipiat; quod frustra purgẽtur inferiora, ni partes eæ superiores mũdę sint: deinde reliquo corpore cunctis ad detergendas sordes cõparatis instrumẽtis sic vtendum, vt erigantur pili, & pro situ eorum naturali puluis excutiatur. Spinæ vero pili nullo tangẽdi sunt instrumento, sed manib. fricandi, mollioresq; reddẽdi, prout a natura se inclinant. Sic enim hanc ipsam velut equi sellã minime curator læserit. Caput aqua debet ablui. Quippe quum sit osseum, si ferro vel ligno purget, equum dolore adfecerit. Iuba quoq; anterior humectanda est. Nam quum prolixiores hi pili sunt, vt equo cernendi facultatẽ non impediunt; ita repellunt ab oculis, quæ molestiam creare possent. Deos quidẽ ipsos existimare cõuenit, equo pilos hosce dedisse, magnarum aurium loco, quas asinis & mulis, ad oculos tuendos, concesserunt. Eluenda quoq; cauda cum iuba, quum omnino effici oporteat incremẽta pilorum; caudæ quidẽ, vt equus hanc quã longissime porrigẽs, res molestas abigat; colli vero, vt amplissimum conscendenti adminiculum præbeãt. Quin etiã elegantiæ caussa cõcessæ sunt a diis equo tam colli, quã anteriores iubæ, cum cauda. Argumẽto est, quod equæ gregales non perinde ad coitum asinos admittant, dum hasce comas integras habent. Ideoq; coitus caussa tondent equas, quicumq; cum eis asinos coire volũt. Ceterum elui crura nolumus. Etenim vt nihil habet vtilitatis, sic noxia est vngulis humectatio crurum cottidiana. Nimia quoq; sub aluo nonnunquã intermittenda sordiũ abstersio. Nam hæc in primis equo dolorem adfert, & quanto mundiores eæ partes fuerint, tanto plura molestiã equo parientia sub aluo sese colligunt. Immo tametsi magnopere quis laboret in his expurgãdis, vix tamẽ educi potest equ⁹, quin mox immundis sit similis. Quapropter hæc omittẽda sunt. Crura quoq; manib. ipsis destringi, satis est. Indicabimus etiã, quo pacto quis cum minimo discrimine suo, & equi cõmodo maximo, destringere possit. Quippe si eamdẽ in partẽ cum equo spectans, crura detergat: erit in periculo, ne tum genu, tum vngulã equus ori eius impingat. Sin aduersam

Equi destrictio.

1149 *Partes aqua eluendæ.*

προκόμιον, iuba anterior.

Iuba ceteriq; pili lõgiores.

uersam in partem oculos dirigat,& inter abstergẽdum, extra crus ipsum, propter scapulam procumbẽs, defricet; nec mali quid ipse patietur, & vngulam equi aperiens, habere testudinis curã poterit. Eodẽ modo posteriora quoq; crura detergat. Scire vero debetis, qui propter equum versatur, tam hæc, quã alia, quæ fieri debent, minime sic faciunda; vt vel in equum aduersum, vel auersum eatur. Nam si conetur improbus esse, plus vtroq; modo poterit equus, quã homo. Verum si quis a latere accedat, nullo cum discrimine suo equum tractare prolixe poterit. Quum ducendus est equus, vt eum a tergo sequens ducas, propterea non probamus; ꝙ qui ducit equum hoc modo, minime sibi ab eo cauere possit; quum equo maxima facultas sit, quidquid velit, agendi. Rursus equum sic condocefacere, vt ad longũ lorum te præcedentẽ pone sequatur; has ob caussas improbamus. Potest enim equus, in vtrã partem velit, nocere: simulq; potest ita se conuertere, vt aduersum sese ducenti obiiciat. Et vero si plures equi hoc modo ducantur, qui fieri possit, vt a se inuicem abstineãt? At equus a latere duci consuefactus, vt minime vel equis, vel hominib. nocere poterit, sic etiã aptissime comparatus erit equiti, si quando conscensionem celerem vsus postulet. Vt autẽ recte curator etiã frænum immittat, primum ab equi latere sinistro accedat; deinde habenas capiti circumiectas summis humeris imponat, & lorum verticale dextra sustollat, sinistra lupos admoueat. Quod si equus admittet, manifestum est, adplicanda esse fræni lora. Sin os minime diducat, admoto dentib. fræno, maior sinistræ manus digitus equi maxillæ inserendus erit. Nam pleriq;, si hoc fiat, os pandunt. At vero si ne sic quidem frænum admittat, propter eum dentem, qui caninus dicitur, labrũ premat. Etenim perpauci frænum non admittunt, si hoc eis accidat. Sciat hæc quoq; curator. Primum, ne vmquã ducat equũ habenis. Hoc enim efficit, vt equi alterutra maxilla ũ intractabiles euadãt. Deinde, quantum a maxillis frænum distare debeat. Nam frænum si nimis stringat maxillas, sic ori callum obducit, vt sensum oẽm amittat. Idẽ si nimis ad extremum os vsq; demittatur, equo facultatẽ præbet, vt lupatum mordens, parere nolit. Et nequaquã equus huiusmodi reb. exacerbandus est, quum laborẽ subire debet. Quippe tantum in eo momẽti situm est, vt equus frænum liben-

Quomodo ducendus equus.

Immißio fræni.

1150

ter accipiat; vt nulli sit prorsus vsui, qui non admittit. At vero si non solum frænetur, quum subiturus est laborem; verumetiam quum ad pabulum, & quum ex equitatione domum abducitur: non mirum erit, si sponte sua frænum oblatum arripiat. Expedit etiam, scire curatorem hominis in equum subleuandi rationem, more Persico: vt tum ipse dominus, si morbo debilitetur, aut ætas eius ingrauescat, hominem habeat, a quo facile in equum adtollatur; tum alteri, si cui velit, eiusdem opera gratificetur. Vnum hoc præceptum ad equos, vnus hic mos optimus est, vt equus iracunde numquam tractetur. Nam ira nihil prouidet, ideoq; sæpenumero designat ea, quorum necesse est aliquem pœniteat. Itidem quum equus aliquid suspicando veritus, adire non vult quopiã: ostendendũ est ei, nihil esse terribile, præsertim si equus sit animosus. Sin autẽ, contrectet eques ipse rem specie terribilem, & leniter equum adducat. At qui verberibus cogunt, maiorem adhuc metum incutiunt. Putant enim equi, si quid molesti tunc eis accidat; id ipsum a reb⁹, quas suspectas habẽt, proficisci. Ceterum vbi curator equũ tradit equiti conscensuro, non improbamus id quidẽ, si possit equum ita summittere, quo facilis sit adscensus: sed ipsi tamẽ equiti putamus in hoc incumbendum exercitatione, vt vel equo se non præbente possit adscendere. Nam equus alias alius offertur, & idem curator alias alij seruit. Iam quũ eques acceperit equum, ceu conscensurus; quid agere debeat, vt in equestri re tam sibi, quã equo plurimum commodet, litteris deinceps complectemur. Primum ergo lorum ductorium, ab inferiore fræni parte, vel ab annulo religatum, sinistra manu apte prehendet; ea quidẽ laxitate, vt nec ad conscendendum sese subleuãs, arreptis propter aures pilis; nec de hasta subsiliens, equum retrahat. Inde dextra prehendat habenas, in summis humeris depositas, vna cum iubone quoquo modo conscendens, os equi fræno torqueat. Posteaquam sese ad conscensionẽ adleuarit, sinistra corpus libret, ac dextrã porrigendo semet adtollat. Quippe si hoc modo conscendat, nec a tergo deforme spectaculum præbebit. Et faciet hæc inflexo crure, neq; in equi spinam imponet genu; sed in dextrum latus tibiã transiiciet. Vbi pedem iam circumegerit; tum deinde nates etiã in equum imponat. Sin eques forte sinistra ducat equum, dextra teneat hastam:

Iracunde cum equo nõ agendũ

Equi conscensio.

ſtam: vtile nobis eſſe videtur, vt etiã a latere dextro ſtudeat in equum inſilire. Nec aliud ſane quidquã heic diſcendum venit, quam quæ dextris antea corporis partib. faciebat, ea nunc vt ſiniſtris peragat: quæq; tunc ſiniſtris, modo dextris faciat. Atq; hanc conſcendendi rationem propterea laudamus, ꝙ ſimul atq; conſcenderit, mox omnino ſit paratus, ſi forte ſubito cum hoſtib. ſit dimicandum. Poſteaquam ſiue nudo in equo, ſeu in ephippio conſederit, non ſeſſionẽ velut in curru laudamus; ſed eam, quæ crurib. diuaricatis equitem quaſi erigit. Sic enim femorib. equi firmi⁹ adhærebit. Et erectus, ſi quidẽ vſus ita poſcat, tum iacula validius emittere, tum ex equo ferire poterit. Debet etiam tibia cum pede remiſſius a genu demitti. Nam qui rigidum crus gerit, ſi quam in rem illud impegerit, mox fractum erit. At vero ſi fluxa ſit tibia, tametſi aliquid in eam irruat, ita cedere poterit; vt femur haudquaquã loco moueatur. Propterea ſui corporis eam partẽ vniuerſam, quæ ſupra coxas eſt, ita conſuefacere debet eques; vt quã maxime ſit agilis. Nam hoc modo magis ad agendum aliquid cõparatus erit, & ſi quis eum detrahere, vel impellere volet, minus titubabit. Ceterũ vbi reſederit, primo cõſuefaciundus eſt equus, vt tãtiſper quietus ſit; dum, ſi quid erit opus, eques attraxerit, & habenas æquales reddiderit, & haſtam ita ſumſerit, vt geſtari quam aptiſſime poſſit. Deinde brachium ſiniſtrum lateri admoueat. Hoc enim modo pulcherrime compoſitus erit equus, & maximum manus ipſa robur habebit. Habenas laudamus eiuſmodi, quæ ſint æquales; nõ fragiles, neq; lubricæ, neq; craſſæ: vt haſtam quoq;, ſi ſit opus, excipere manus ea poſſit. Quum equo ſignificatum erit, vt progrediatur: pedetentim id facere incipiat, quod in eo minimum perturbationis ſit. Habenas, ſiquidẽ equus caput paullo demiſſi⁹ geret, manibus eques ſurſum teneat: ſin erectior fuerit, deorſum. Sic enim formam equi quam ornatiſſimã efficiet. Secundũ hæc ſi pergat equus inceſſu ſibi a natura indito, abſq; vlla prorſus moleſtia laxabit corpus, & lubentiſſime ſe conferet ad virgæ directæ curſum. Et quoniam a læua initium fieri magis probatur; ſic inde potiſſimũ incipietur, ſi poſt conſcenſionem, equo dextrum ordiẽte greſſum, eques ei ſignificet, ad virgã directam currendum eſſe. Quippe læuum ſublaturus, ab eo curſus initium faciet: quumq; ad ſiniſtrã conuer-

Modus in equo ſedendi.

Quæ iam inſidenti faciunda.

Habenæ.

Habenas tenendi modus.

tetur, inflexionem quoq; sic incipiet. Nam ita comparatus a natura est equus, vt si conuertatur ad dextrã, a dextris initium faciat: sin ad sinistrã, a sinistris. Equitationis id exerci-
πέδην. tium laudamus, ꝙ * compedẽ vocant. Equos enim consuefacit, vt vtraq; maxilla conuertãtur. Prodest etiam, cursum equitationis mutari; vt ambæ maxillę pariter ad equitationis vtrumq; latus reddantur idoneæ. Laudamus & porrectã in longum compedem potius, quam circularẽ. Hoc enim modo lubentius se conuertet equus, iam recti cursus satur: pariterq; fiet, vt ad cursum directum, & ad inflexionem semet exerceat. Sunt etiam in conuersionib. equi retinendi:
Equos conuertendi modus. Quippe nec equo facile, nec tutum est, in illa cursus celeritate paullo momẽto semet inflectere: pręsertim si pauitum sit, lubricumve solum. Quum equũ inhibebit, vt eum fræno quã minime in obliquum adiget; sic ipsemet cauebit inprimis, ne in obliquum propendeat. Absq; quo sit, leuẽ oc-
Inhibendi equi ratio.
1152 casionẽ suffecturã sciat; vt humi tam ipse, quã equus procũbat. Posteaquã conuersione facta, directo prospiciet equ⁹; ad celeritatẽ eum excitet. Quippe manifestũ est, in pugnis quoq; conuersiones vel persequendi, vel abscedendi caussa fieri. Quapropter expedit, vt conuersus ad celeritatẽ adsue-
Equorum exercitia. fiat. Vbi iã equus habere satis exercitij videbitur, vtile quoque fuerit, quiete recreatum subito summã ad celeritatem instigari; ab equis tamen auersum, nõ versus equos: ac rursus a celeri cursu, loco proximo quiete refici: quumq; cõstiterit aliquãdiu, denuo conuersum incitari. Nam manifesto patet, futurum aliquod aliquãdo tempus, ꝙ horũ vtrumq;
Vbi descendendũ post exercitia. requirat. Quum descendendũ erit, nec inter equos vmquã id fiat, nec in hominũ cœtu, nec extra cursus equestris spatia: sed vbi laborẽ equus subire cogitur, ibidem & quietem
Ad quos cursus equus adsuefaciendus. consequitor. Et quia nonnumquã equo currendum erit per loca decliuia, montuosa, obliqua; nonnumquã transsiliendum nonnumquã exsiliendum, alicubi desiliendum: ad hęc prorsus omnia tam ipse, quã equus institui debet, & exerceri. Nam alter alterutrius hoc modo saluti cõsulet, ac maiori esse vsui videbitur. Si quis autẽ bis a nobis eadẽ dici putat, qui prius exposita nunc repetamus; nõ hæc bis dici sciat. Etenim in emtione periculum fieri iubebam⁹, an hæc præstare posset equus: nunc quemq; dicimus instituere debere suum, adeoq; litteris prodemus, qua ratione sit instituendus.

Debe

Debet enim eques, si rudis omnino sit equus transsiliendi, prehenso loro ductorio deorsum abiecto, prior ipse fossam transire: deinde lorum adducendo, equum vrgere; vt transsiliat. Si nolit, cum flagello quispiã, vel baculo, verbera summis viribus inferat: quo fiet, vt non ipsum dumtaxat spatiũ transsiliat, sed etiam vlterius, quam oporteret. Neque deinceps vllis opus erit verberibus, sed si quem a tergo tantum viderit accedentem, saltabit. Posteaquam in hunc modum consuefactus fuerit ad transiliendum, etiam equo conscenso pergendũ ad fossas, primo minores, mox ampliores. Quumq; in saltaturus est, eques ei subdat calcaria. Consimili modo, quũ eũ consuefaciet, vt sursum deorsumue saltet; calcaribus feriat. Quippe si hæc omnia totius corporis impulsu faciat, cum maiore tã ipsius equi, quã sessoris securitate res succedet; quã si vel in transsiliẽdo, vel sursum saltando, vel desiliẽdo, posteriori parte corporis deficiat. Ad decliuia primum equus in solo molliore consuefaciendus est, ac tamdẽ, quũ eius vsum habuerit; multo libentius per decliuia, quã adcliuia curret. Quod autẽ nonnulli metuunt, ne, si agantur equi per decliuia, rũpant armos: animo sint otioso licet, præsertim vbi cognouerint, Persas & Odrysas vniuersos, per decliuia cursu certantes, equos non minus sanos habere, quam Græcos. Nec item omittemus, qualem eques ad hęc singula semet exhibere debeat. Etenim ad primũ equi repente proruentis impetũ, anterius ei procumbendũ est. Nã minus hoc modo tergiuersabitur equus, sessoreue sursum iactabit. Mox quũ equus a cursu reuocatur, semet erigat. Sic enim minus ipse quassabitur. Quũ transsilienda est fossa, vel in locũ adcliuẽ pergendũ: non malum fuerit, iubã arripere, ne simul equus & iniquitate loci, & frę no grauetur. Versus decliuia se resupinet eques, ne præceps tam ipse, quã equus, deorsum feratur. Rectũ quoque fuerit, alias in aliis locis, modo longiores, modo breuiores decursus equestres institui. Nã minus & hæc ingrata sunt equo, quam si semper in eisdem locis, cõsimiliq; modo fiant equitationes. Et quoniã eũ, q omnimodo diuersis in locis equũ citato cursu agit, necesse est eius recte tractandi peritum esse; nec minus, vt armis ex eo commode possit vti: nequaquam vituperanda venit rei equestris inter venandum exercitatio locis iis, quæ tum idonea sunt, tum feras habent. At vbi hæc desiderantur, bonum quoq; fuerit exercitium, si ex cõ-

Ad transiliendum assuefactio.

Cursus per decliuia.

Persarũ & Thracum per decliuia cursus.

1153

Equitationum modi & loca mutanda.

Exercitia equestria venationum.

Pugnæ simulacrat. uento de duobus equitibus alter in equo per loca varia fugiat, haſtamque auerſam tenens ſeſe ſubducat; alter rotundis iaculis inſtructus, & haſta ſimilem in modum facta, perſequatur : ac ſicubi fugientẽ adtingat ex interuallo iaculis reſpondente, iſtæc in eum rotunda coniiciat; ſin intra ictum haſtæ, feriat ita deprehenſum. Bonũ etiã, quũ aliquando alter in alterũ irruerit, tracto ad ſe aduerſario, mox eum dẽ ab ſe repente protrudere. Nã ad hominẽ ex equo deiiciendũ hoc pertinet. Faciet etiã is recte, qui trahitur, ſi equũ abigat. Id enim faciens, citius trahentẽ deiecerit, quã ipſe ceciderit. Quod ſi aliquando contingat, vt dum caſtra caſtris obiiciuntur, equites alteri aduerſus alteros prodeant, & tum aduerſarios perſequantur ad hoſtilem vſq; phalangem, tum ad ſuam vſque refugiant: heic etiã ſcire prodeſt, quam quidem diu quis haud procul a ſuis abeſt, recte ac tuto facturũ ſi equo inter primos conuerſo, totis hoſtes viribus vrgeat: verum vbi propius ad eos acceſſerit, equũ in põteſtate retineat. Nam credi par eſt, eum hoc modo maximam habiturum facultatem lædendi hoſtes, a quibus ipſe viciſſim lædi nequeat. Enimuero Dij conceſſerunt hominibus, vt ab homine, quæ fieri debeant, oratione doceantur. Eadem oratione conſtat equũ doceri non poſſe. Verũ ſi viciſſim ei rẽ gratã feceris, vbi quid ipſe tui ex animi ſententia peregerit; ac rurſus, quum inobœdiens fuerit, caſtigaueris: hac inprimis ratione didicerit in iis obſequi, quæ fieri oporteat. Ac breue quidem iſtud eſt dictu, ſed per vniuerſam ſeſe rem equeſtrem porrigit. Nã frenum equus accipiet lubentius, ſi eo admiſſo, commodi quidpiam ſubſequatur. Idem & trãſſiliet, & ſaltabit ſurſum, & in omnibus aliis obſequetur; ſi, quũ imperata fecerit, aliquã requietẽ exſpectabit. Et hactenus quidẽ expoſuimus, qui fieri poſſit, vt minime circũueniatur, qui pullũ & equũ emit; eumdẽq; tractando, minime corrumpat: præſertim ſi exhibendus ſit equus, iis dotibus præditus, quas eques ad pugnã deſiderat. Opportunum verò fortaſſe fuerit, hoc quoq; perſcribi; ſi cui contingat animoſiore vti equo, vel ignauiore, quam oporteat: quonam modo poſſit vtroq; rectiſſime vti. Primũ ergo ſciendũ, id animũ in equo eſſe, q́ ira ſit in homine. Queadmodũ igitur hominem minime quis ad iram commoueat, ſi neq; verbis proferat aliquid rei moleſtæ, neq; faciat: ita nec equũ animoſum

Homines oratione, Equi docẽdi gratificando & caſtigãdo.

Animus equi.

Quomodo tractandi

moſum *iritabit* vllo modo, qui eũ non læſerit. Ac ſtatim quidem in ipſa conſcenſione danda eſt opera, vt in adſcendendo nulla quis equum adficiat moleſtia. Poſtea vero, quam conſcenderit; equo longius ad temporis ſpatium ſubſiſtere iuſſo, quam fieri ceteroquin ſoleat, ita deinde placidiſſimis ſignis eum promoueat. Hinc ab inceſſu lentiſſimo primordia capiens, ad celeriorem ea ratione perducet; vt equus ipſe minime ſentiat, incitatiore ſe motu progredi. Si quid equo repente velit imperare, ſciat equũ animoſum repentinis rebus haud aliter perturbari; ac ſoleat homo, qui repente aliquid vel adſpexit, vel audiuit, vel ſenſit. Quod ſi pergẽtẽ celerius equum animoſum a progreſſionis impetu reuocare volueris, non eum ſubito retrahere debes; ſed placide frenũ adducens, vt conſiſtat, non cogendo, ſed mitigando efficies. Prolixis etiam agitationibus manſuetiores euadũt equi, quã crebis conuerſionibus: eædẽque ſi placidæ conficiẽtur, equum animoſum lõgiore ſpatio demulcent ac mitigant, ſine vlla concitatione. Si quis autem exiſtimat, equũ ſe mitem redditurum, ſi eum celeri & prolixa equitatione fatiget: cõtrarium ſtatuit ei, ꝙ cõſentaneum eſt. In talibus enim vim adhibere nititur equus animoſus, & in hac ira, inſtar hominis iracundi, ſæpenumero ſeipſum & equitẽ grauiſſimis malis adficit. Retrahendus etiã equus animoſus a velociſſimo curſu, nec vllo modo permittẽdum, vt propter alium equum ad certamẽ adigatur. Nam fere qui maxime contẽtioſi ſunt, ferociſſimi euadunt. Læuia quoq; frena his aptiora, quam aſpera. Si tamen & aſperum immittatur, efficiendum erit laxitate, vt læui ſimile videatur. Expedit etiã, vt aliquis ſeſe conſuefaciat in primis ad inſidẽdum equo feroci, abſq; corporis motu; atq; vt equum alia parte nequaquã adtingat, quam quibus partibus eum tutioris inſeſſus cauſa contingimus. Sciri autẽ debet hoc quoq; præceptum, *compreſſorum quidem labiorum ſono equos mitigari: *clocitatione vero excitari. At ſi quis ab initio poſt clocitationem gratiora, poſt editum ore compreſſo ſonum moleſta quædam exhibeat: ſic conſueſiet equus, vt ad oris cõpreſſi ſonum excitetur, clocitatione mitigetur. Eadem igitur ratione tam ad clamores, quam ad tubæ ſonitum, ſic accedere debes; vt nequaquam equo ſpeciem perturbati præbeas, nec eidem turbulenti quiddam offeras. Immo quan-

equi animoſi.

Nihil repente imperandum equis animoſis.

Equi cauenda iracundia.

Animoſorum equorũ fræna.

** ποππυσμὸς hic eſt.*

** hic κλωγμός.*

Equus nimis ferox bello inutilis.

tum eius fieri poterit, & quiesces id temporis, & matutina
vespertinaq; pabula, siquidem id fieri liceat, offeres. Opti-
mum vero consilium hoc fuerit, ne quis equum nimis fe-
rocẽ ad bellum sibi comparet. De ignauo autẽ equo satis e-
quidẽ arbitror hoc fore, si huic omnia contraria faciunda
scribamus iis, quę animoso adhibẽda consulimus. At si quis

Vt equus sit spectabilis, quid agendum.

equo ad bellum idoneo sic vti voluerit, vt etiã magnificen-
tior sit & spectabilior incessus: is sese cohibere debet, ne vel
os fræno cõtorqueat, vel calcaria subdat, vel equum flagel-
lo cædat: quibus pleriq; faciundis, magnam se gloriam a-

Os equi sursum trahere.

dipisci putant. Isti aũt homines animi sui sententiæ contra-
ria faciunt omnia. Quippe dum ora sursum trahunt, equos,
qui ante se prospicere debebant, cæcos reddunt: dum calca-

Calcaria & flagella inutilia.

ria subdunt, & flagellis cædũt, eum terrorẽ incutiunt, vt nõ
sine periculo perturbentur: quæ sane ab iis equis fieri solẽt,
quibus equitatio maxime molesta est, quiq; fœda visu, non
1155 præclara quędam faciunt. Verum si quis equum ita condo-
cefecerit, vt laxiore fræno incedat, & ceruicem adtollat, &
eamdem mox a capite recuruet: is facile ab eo impetrabit,
vt faciat, quæ ceteroquin cum voluptate, & quidẽ exsultans

Equi ad equas accedentis species.

facit. Equum autẽ ista cum voluptate facere, hoc intelligi
argumento potest. Mox enim, quum ad alios equos accces-
serit, ac præsertim ad equas; sublimẽ admodum ceruicem
gerit, & maxime caput, truci cum adspectu, incuruat: crura
mollius adtollit, caudam sursum porrigit. Quamobrẽ quũ
equum ad ea præstanda perducit, quæ ipsemet equus effin-
gendo repræsentat, quoties pulcherrimum sese spectãdum
exhibet: is nimirum efficiet, vt cum voluptate incedat e-
quus, & magnificentiam præ se ferat, & terribilis sit, & spe-
ctabilis. Quæ sane quonã modo putemus effici posse, nunc
cõmemorare conabimur. Primum ergo nõ pauciora duo-

Fræna duo.

bus habere fræna conuenit. Eorum alterum læue sit, & ro-
tulas habeat grandiores; alterum rotulas graues ac depres-
sas, cum echinis acutioribus: vt quum hoc prehenderit, aspe
ritatem moleste ferendo, dimittat; quum vicissim læuius il-
lud acceperit, voluptatẽ ex eius læuitate percipiat, & pror-
sus eadẽ immisso læui præstet, ad quæ præstanda fræno a-
speriori adsuefactus erat. Sin læuitate contẽta, frequenter in
ipsum frænum incumbere velit: non abs re maiores addi-
mus læui rotulas, vt dum per eas os pandere cogitur, lupa-
tum

tum admittat. Poteſt etiam frænũ aſperius variari tum implicando, tum extendendo. Quotquot autem fręna fuerint omnia mollia ſunto. Quippe rigidum quacunq; parte prehenderit equus, totum maxillis tenet; quemadmodũ ſi veru quiſpiã quacũq; ſui parte prehenderit, totũ ſuſtollit. Alterum vero non aliter atq; catena, qua parte tenetur, ea ſola non flectitur; quum reliquum penſile ſit. atq; id loco cedens, dum ſemper in ore captat equus; lupatum a maxillis dimittit. Eam ob cauſam in medio quoq; de ipſis axibus anuli ſuſpendi ſolent, vt hos lingua dentibuſq; prenſans, frenum maxillis corripere negligat. Quod ſi quiſpiã ignorat, quidnã mollicies, quidue rigiditas freni ſit; hoc ipſum quoque perſcribemus. Eſt enim molle, quum axes commiſſuras ita latas ac læues habent, vt facile flecti poſſint. Adeoq; omnia, quæ axibus circumponuntur, ſi patula ſint, & non condenſa, pro mollibus haberi debent. Si verò quælibet fræni partes difficulter & diſiungantur, & viciſſim in ſe redeant: hoc ſcilicet eſt, frænum eſſe rigidum. Qualecumque vero ſit, cuncta quidẽ hæc cum eo præſtari oportet, ſi talem quis equum exhibere velit, qualẽ diximus. Os equi ſurſum impellendũ, neq; nimis duriter, vt caput ſurſum iactet; neque nimis remiſſe, vt nõ ſentiat. Poſteaquã excitatus hoc impulſu, ceruicẽ adtollit: mox frænum ei remittendum, atque in rebus etiam ceteris, quemadmodum perpetuo monemus, ſicubi recte obſequatur equus, viciſſim ei gratificandum. Vbi quis equum animaduertet delectari tum ceruicis elatione, tum illa laxitate: nihil ei moleſti exhibebit, quaſi ad ſubeundum laborẽ cogere velit ſed ita demulcebit, quaſi ſi quietẽ ei ſit conceſſurus. Sic enim animo confidentiſſimo ad agitationẽ celerem accedet. Ac delectari celeritate curſus equum, hoc argumento eſt. Quippe ſi fuga euaſerit, 1156
non pedetentim pergit, ſed currit. Sic enim a natura comparatus eſt, vt voluptatem hinc capiat; niſi quis forte cogat vltra, quam commodum ſit, currere. Quod ſi modum aliquid ſuperet, quidcumque tamdem illud ſit, nec equo, nec homini gratum erit. Ceterum vbi cum ſplendore quodam productus fuerit ad decurrendum, par eſt credi, ſic eum priori exercitatione conſuefactum, vt poſt inflexiones maiore cum impetu proruat. Verum ſi quis equo ad hoc inſtituto, pariter & frænum adducat, & ſignum quoddam inſtiga-

Fræna ſint mollia, nõ rigida.

Quod frænum molle, quod rigidum.

Oris impulſio.

Vt equi maxime a ſeipſis excitentur.

Nihil vltra modũ agendum.

tionis edat. fręno quidem pressus . . . . . at instigationis imperio concitatur. Ac pectus quidem anterius protēdit, crura vero præ iracundia sustollit altius, non mollia tamen. Nequaquam enim excandescentes equi crura magis habet mollia. Si vero quis equo in hunc modum excitato, frænū remittat; ibi præ gaudio, quod respectu laxitatis lupato se liberatū putet, specie quadā exsultabunda, cruribusque mollibus superbiens fertur, omnino repræsentans eam venustatem, quam erga equos alios præ se ferre solet. Ac talem qui spectant equum, & liberalem adpellant, & spontaneum, & equestrem, & animosum, & superbum, adspectuq; tam iucundum, quam trucem. Et hactenus quidem illis, qui fortassis ea desiderabunt, hæc perscripta sunto. Si quis aūt equo ad pompam idoneo, & erigendi se perito, & splendido velit vti: sciat, non abs quouis equo posse talia præstari; sed requiri, vt magnus in tali sit animus, cū corpore valido. Quod aūt pleriq; putant eum, cui crura sint mollia, corpus etiā posse facilius adtollere, minime sic cōparatū est: sed potius, qui molles, succinctos, validos lumbos habet, (& lumbos heic dico, non caudā versus porrectos, sed qui existunt inter latera & coxas, ad ilia:) sub anterioribus non exiguo spatio collocare posteriora crura poterit. Si quis igitur equum pedes ita subiicientem fræno sursum impulerit, partibus ille posterioribus in talos sese flectit, & corpus anterius sic erigit; vt e regione consistentes & aluū, & pudenda conspiciant. Quæ sane quū facit, frænum ei remittendum erit: vt quæ ab equo pulcherrima præstantur, ea tum faciat lubens, tum spectatorum iudicio facere videatur. Sunt quidē nōnulli, qui equos ad hæc quoq; cōsuefaciunt; dum partim eos virga sub talos feriunt, partim aliquē ad latus currentē baculo femora verberare iubent. Verum nos optimum hoc esse præceptum arbitramur, vt, quod semper dicimus, vbicumq; voluntati equitis paruerit; vicissim id perpetuo sequatur, vt equo requiescendi copia fiat. Nam quæ per coactionē facit equus, vt Simo quoq; tradit, ea neq; nouit ipse, neq; magis decora sunt; quā si qs histrionē flagris, atq; stimulis excitet. Quippe multo plura præter decorū, quā cum laude faciet, tum equus, tum homo; cui quid eiusmodi continget. Proinde qui dotes omnino pulcherrimas & splēdidissimas habet equus, eas signis datis exhibere debet.

Equus pō posus.

Equi generosi non cogendi.

bet. Quod si etiam tum, quum exercetur, ad sudorē vsq; copiosum agitetur; quum vero, quam honeste semet erexerit, statim descensio fiat, & frenum detrahatur: omnino futurū sciri debet, vt deinceps ad erigendum sese non inuitus accedat. Atq; in equis huiusmodi sane tam Dij, quam heroës equitantes pingi solent: & homines, qui eis dextre vtuntur, magnificentiā quādam præ se ferunt. Et vero is equus, qui semet erigit, tantopere siue pulchrum quiddam est, seu admirabile, seu suspiciendum: vt oculos omniū spectatorum, tam iuuenum, quam senum, in se coniectos detineat. Nemo quidē certo vel ab eo discedit, vel spectādo defatigatur, dum præclarā hāc ille speciem suā exhibet. Ceterū si cui talem equum habēti vsuueniat, vt vel tribui cum imperio præsit, vel equitum magister fiat: illi nō in hoc erit incumbendum vt ipse solus sit splendidus; sed multo magis vt vniuersum agmen, ꝙ eum sequitur, spectatu dignum adpareat. Quamobrē si, ꝙ in equis eiusmodi maxime laudatur, præcedat equus quispiam, qui corpus ad insignem altitudinem motu creberrimo sustollens, lente tamē admodum progrediatur: nimirum eueniet, vt equi ceteri pedetentim hunc sequantur. Ex hoc aūt spectaculo quid cōsequi splendidum possit? Sin equo concitato, neq; nimis celeriter, neq; nimis tarde præcedat; sed ea ratione qua equi maxime fiunt alacres, & truces, & speciem ad laborem obeundum maxime decentem induunt: tum vero necesse est, vt ingens strepitus, ingens equorum hinnitus, & narium flatus adsit. Ideoq; non ipse tantummodo, sed vniuersus etiam comitatus haud abs re spectabilis erit. Enimuero si quis equum feliciter emerit, & sic educet, vt labores sustinere possit, & eodem recte vtatur in exercitiis ad rem militarem consuefacientibus, in equitationib. ostētationis causa cōparatis, in certaminib. deniq; bellicis: quid huic impedimēto sit, quo min⁹ equos maioris efficiat pretij, quam eos acceperit; neque dumtaxat equos bonitate celebres habeat, verum etiam ipse propter equestris rei cognitionē in ore sit omnibus, nisi diuina quædam vis obstet? Placet etiā perscribere, quonam modo armatus esse debeat, qui aliquod in equo periculum sit aditurus. Primum dicimus, debere loricam sic esse factā; vt corpori respondeat. Aptam quidē hanc, corpus ipsum gestat; nimis vero laxam, humeri soli ferunt. Sin valde sit angusta,

Quanti sit equus erigendi se peritus.

ἀνακεφαλαίωσις.

Equitis armatura.

Thorax qualis esse debeat.

Tegumētū ceruicis. non armatura, sed carcer est. Et quia ceruix quoque de partium illarum numero est, quæ lethaliter petuntur; dicimus huic etiam tegumentum ex ipsa lorica se porrigens, esse conficiundum, quod ceruici respondeat. Id enim tum ornamento erit, tum si recte fabricatum sit, equitis ipsius faciē ad nares vsque, quum ita libuerit, excipiet. *Galea.* Galeam ducimus optimam, quæ Bœotij sit operis. Hæc enim maxime tegit, quidquid extra loricam eminet; nec prospectum impedit. Ipsa lorica sic fabricata sit; ne vel sessioni, vel inclinationi sit impedimento. Ad inguen & pudenda, & vicinas vndiq; partes, tales ac tot pinnæ sunto; vt istæc membra tegant. *Chirotheca sinistræ.* Et quoniam sinistra quoq; manus inutilem reddit equitem, si læsa fuerit: inuentam & huic probamus armaturam, quam manum vocant. Nam & humerum hæc obtegit, & brachium, & cubitum, & quidquid habenis est contiguum: eademque tum extēdi, tum contrahi flexu suo potest. Præterea partem illam sub alis, qua lorica deficit, tegit. Dextram sustolli necesse est, siue quis telū emittere, siue plagam inferre velit. Quapropter auferri debet a lorica, quidquid heic impedimento futurum est: eiusque loco pinnæ in nexibus adplicatiles sint, quæ cum manu exporrecta

1158 *Brachij tegumētū.* similiter & ipsæ explicentur; cū reducta, claudantur. Quod brachio instar ocreæ solet apponi, rectius ita nobis suffectum videtur; quam si ad ipsam armaturam sit religatū. Pars dextræ, quæ hac sublata nudatur, iuxtā loricam munienda vel loreo, vel æreo integumento: absque quo sit, periculosissima sui parte præsidij nihil habebit. Quia vero si quid equo mali accidat, eques ipse totius periculi sit particeps: *Equifrontalia, pectoralia, lateralia.* necesse est equum etiam frontis, & pectoris, & laterū integumentis armari. Simul enim hæc femoralium equiti vicem præstant. Omnium vero maxime tegenda equi sunt ilia, quod eorum, ceteroquin etiam tenerrimorum, valde lethalia sint vulnera. Possunt autem ephippio tegi. Debet illud etiam lorum, ꝙ ephippium constringit & continet, sic esse consutum: vt tutius eques ipse sedeat, & equi tamen sella non lædatur. Ac partibus quidem ceteris hæc tam equi, *Tibiarum equitis & pedū tegumenta.* quam equitis armatura fuerit. Tibias vero, ac pedes, cōsentaneum est extra femoralia propēdere: quibus sua non deerit armatura, si ocreæ de corio factæ fuerint, ex quo soleæ conficiuntur. Sic enim pariter & tibias armabūt, & calceorum

rum loco pedibus erunt. Et hæc quidem arma sunt, quę nos ita muniunt, modo Deos propitios habeamus, vt non lædamur. Verum ad hostes lædendos, potius machæra nobis, quam ensis, probatur. Nam quum eques in sublimi sit, maior vis erit in plaga copidis, quam ensis. Hastæ perticalis loco, quum ea fragilis sit, nec commode gestetur, potius corneas tragulas duas probamus. Nam harum alteram peritus eques eiaculari, altera sic vti potest, vt eam vel in aduersum, vel ad latera, vel a tergo contorqueat. Præterea firmiores sunt, quam hasta, magisque portatiles. Eiaculationem teli probamus eam, quæ longissimo fit spacio. Sic enim tempus ipsum magis permittit, vt temet auertas aliudq; telum sumas. Paucis etiam perscribemus, quænam optima sit emittēdi teli ratio. Quippe si quis partes læuas anterius protendens, dextras autem reducens, ex ipsis femoribus semet erigendo, cuspidem nonnihil arrectam emiserit: omnino fiet, vt impetu vehementissimo, longissimeq; telū feratur: atque idem rectissime feriet, si dum emittitur, ipsa cuspis scopum semper spectet. Atque hæc quidem equiti vulgari a nobis monumēta, præceptiones, exercitia; præscripta sunto. Quæ autem scire par sit, & facere magistrum equitum; alio libro est declaratum.

Arma offendendis hostibus.

Eiaculādi ratio.

EXPLICIT LIBER DE RE EQVESTRI.

HAbes iam, Xenophontis studiose lector, specimen interpretationis a me factæ Taurini, quum in aula Ducis Allobrogum Emanuelis Philiberti, & Caroli Emanuelis, filii, patre rebus humanis exemto, fere biennium degerem; ab illustri Barone, fortissimoque militum duce Suendio, ad eos principes missus. Arbitrium ego tuum non recuso, quin libere statuas, ecquam H. Stephanus caussam iustam habuerit, cur laborem meum, animo liberali, absque vllo pretio, cum sola edendi condicione sibi oblatum, tot animis hac ipsa condicione non impleta, mihi non restitueret; ac nihilo minus ad alios mirari se diceret, a me rem nullius momenti etiam auctore prætore repeti, de qua certo adfirmare non posset, incendione domus suæ, quam habebat in Allobrogum metropoli, an direptione prędij bel- 1159

*CCc

lo nupero Allobrogico periisset. Pudet hos referre prætextus hominis putidos, sed ipsum non puduit eis inniti; donec effugiis omnibus frustra tentatis, se caussa casurum videns, non sine diuino miraculo (referendo scilicet ad Apologiã ipsius Herodoteam) inuentum ab se librum profiteretur, quem amissum existimasset. Credo sane, prodigioso figmẽto id repertum ab eo fuisse; quod nusquam periisse norat, adeoq; secum habebat, vt multorum est opinio. Caussas facti ceteras non excutio. Sabim hoc manifesto patet, ferre hominem animo æquo non potuisse, quod vnus aliquis nationis eius, a qua confici versiones hypocausticas scripsit, vt lectorum molestias in conferendis interpretum plurium verbis, & eorumdem ab ipso Stephano profectis castigationibus, labore suo subleuaret, Xenophontem integrũ adgredi lucubratione noua esset ausus, cum censurarum Henrici Stephani dispendio in tot Xenophõtis interpretes, magnos plerosq; viros, & famosos; Philelphos, Amasæos, Pircameros, Camerarios, Bessariones, Ribittos, Leonicenos, Gabrielios, ceteros. Hinc illæ lacrumæ. ne quid dicam de molestia, quam ex præceptis alterius industria nonnullis sentit, quib. schediasmata sua vere tumultuaria farcire iamdudum cogitauerat. Ego Xenophonteam hanc lucubrationem tentatam in adulescentia, nonnihil expolitam ætate virili, nunc maturiore iudicio recensitam, quod vt aliquando fieret, optaui sæpe mihi euenire diuinitus, & vsui & censuris omnium exhibeo. Si quis hinc fructus ad litterarum Græcarum studiosos redibit, voti reus debitus æterno numini gratias agam. De maleuolorum calumniis, οὐ φροντὶς ἱπποκλείδῃ. Non verbis, sed reabse tuendæ sibi veritas sufficit.

ADPENDICIS XENOPHONTEAE FINIS.

INDEX

INDEX XENOPHONTEVS HISTORIARVM, ATQVE RERVM QVÆ IN EIVS OMNIBVS vtriusq; tomi libris continentur.

INDICIS *huius numeri textui nostri codicis Græcolatino respondent, quos etiam ideo in margine vbiq; designatos exhibuimus, vt eo facilius si opus esset, ex hoc in illum rediri posset.*

Ægi-

Agesi-

maxi-

Bendi-

Chære-

D.

nati

F

Manus

Menonis

Mne-

Ordo

Pasto-

Philip-

rex

S

Taber-

T

Tyran-

V

FINIS.



